11 263

5-11-263

61

5.11.263



Digitized by Google

IOANNES CONRADVS
ZELTNER.
Past. Altenthanens. &
Eccles. Altorphinæ
Vicarius.

5. II. 263. B I+

JO. CONR. ZELTNERI

PASTOR. ALTHENTHAN. ET ECCLESIAE ALTD. VICAR.

THEATRVM VIRORVM ERVDITORVM

QVI

SPECIATIM TYPOGRAPHIIS LAVDABILEM OPERAM PRAESTITERVNT.

PRAEMISSA EST

VITA ZELTNERI

DESCRIPTA

PER

FRIDERICVM ROTH-SCHOLTZIVM SILES.

NORIMBERGAE,

SVMPTIBVS ET TYPIS

ADAMI JONATHAN FELSECKERI.

M DCC XX.

II 14

ILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS ATQVE PRVDENTISSIMIS DOMINIS,

DOMINO

CHRISTOPHORO FVRERO,

ab Haimendorf in Wolkersdorf,

Eminentiſſimi Electoris Moguntini diverſorumque S. R. I. Principum Conſiliario Intimo, Illuſtris Reipubl. Norimb. Triumviro, Scholarum & Eccleſiarum Ephoro, atque Altorfinæ Academiæ Curatori ſupremo:

DOMINO GVSTAVO GEORGIO TEZELIO,

a Kirchenſittenbach in Vorra & Artelshofen.

Illuſtris Reipubl. Norimb. Septemviro, Scholarchæ, Vniverſitatis Altorfinæ Curatori, Xenodochii ad D. Marthæ, & Mentelianæ Præfecturæ Adminiſtratori:

DOMINO
JOHANNI CHRISTOPHORO
de IMHOF,
in Merlach & Stephansmublen,
Eminentissimi Electoris Moguntini & Episcopi Bambergensis Consiliario Intimo, Illustris Reipubl. Norimb. Senatori Consulari, Scholarchæ, & Academiæ Altorfinæ Curatori:

DOMINO
LEONHARDO GRVND-
HERRO,
ab Altenthan & Weyerhaus,
Illustris Reipubl. Norimb. Senatori Consulari, Scholarchæ, & Vniversitatis Altorfinæ Curatori, ac Præfecturæ Xenodochii ad D. Jodoci Administratori:

Dominis & Mæcenatibus suis omni venerationis cultu animique submissione prosequendis,

Vitam & felicitatem!

Illu-

Illuſtres, Maxime Generoſi atque Prudentiſſimi Domini,

CUm Pythagoras, Græciæ ſuæ & Italiæ Decus, interrogaretur: qua ratione homines Diis immortalibus ſimiles fieri poſſent? reſpondiſſe ferunt: Si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent. Quid verius dici a Viro non niſi rationis ductu utente potuerit, vix appa-

ret. Quandoquidem inter omnes virtutes conditio mortalium vix ulli plus debet, quam Veritati, quæ cunctarum rerum firmitas & ſolidamentum merito vocatur. Beneficentiam vero exercere, uti plane regium eſt, quando damus, quantum per fortunam licet: ita maxime jucunda ſimilitudine cum Deo homines jungit. Quamvis vero omnium mortalium ea ſors ſit communis, non tamen à recta aberrabo via, ſi dixero:

xero: Virtutes haſce clarius atque luculentius nunquam exſplendeſcere, quam in Gubernatoribus Rerumpublicarum, utpote quos gravitas muneris jam ad Divini Nominis aliquam participationem evexit. Poſt Deum quidem Benefactorem totius orbis communem atque ſupremum, primæ Parentibus propter magnitudinem multitudinemq; benefactorum & maximæ laudes debentur. Sed his utique jungere oportet ea

benefacta, quæ a Præſidibus Reipublicæ æquis in Cives ſubditosque hinc inde maximo numero conferri ſolent. Quid mirum igitur, ſi iisdem cum Parentibus honoribus, ſingularique veneratione digni ab univerſo orbe exiſtimentur, & habeantur. Quo magis dolendum, quod aut arrogantes nunc plerumque homines in præripiendis beneficiis, aut ingrati ſint in referenda gratia, ſeu, ut cum Ci-

cerone loquar, inanes Graji, vel ingratifici Argivi. Ego, *Illustres Domini*, quamdiu vivo, atque ævum agito, tamdiu certe lucis hujus meæ feliciorem partem *Vobis* post Deum O. M. tribuam, eo quod sub alis Regiminis *Vestri* indulgentissimi optimum spatium vitæ meæ inde a tyrociniis scholasticis fuit fortunatum. Crescentibus postmodum annis, crevere & *Vestra* in me

beneficia : Etenim cum totum ad ſtudia doctrinæ & bonarum artium animum conferrem, eumque in finem Altorfium, *Reipublicæ Patriæ Perilluſtris* ornamentum præcipuum, me reciperem, Alumnorum Noricorum numero gratioſiſſime adſcriptum voluiſtis. In hoc autem contubernio quæ benefacta mihi amplius exhibita ſint, dies deficeret, ſi enumerare ea incipe-

rem.

rem. Quæ quidem pio ſilentio colere ſatius erit, quam imperfectis encomiis prædicare. Magna igitur cum *Vobis* debeam, *Illuſtres Domini*, Parentibus νῦν ἐν ἀγίοις Vitam & eſſe, *Vobis* autem bene eſſe, & felicitatem acceptam ferens, ἀχαριστίας crimen ne ſubeam metuo, & ingrati animi ſcelus horreo, utpote qui non inveniam, qua ratione mentem, *Vobis*

Illu-

Illuſtres Domini, devotam aliquo modo demonſtrare poſſim. Unicum reſtabat, ut publico quodam edito ſpecimine beneficia, communi *Veſtro*, & *ſingulari etiam Patrocinio*, in me non fruſtra omnino collocata eſſe, teſtarer. Cum ergo juxtà Sacra ſtudia, DEO & Eccleſiæ unice dicata, interdum in campum Hiſtoriæ literariæ, tanquam in areolas jucundiſſimas exſpatiatus,

tiatus, flores hinc inde aliquos decerptos collegissem, & præter alia collectanea, præsens hic *de Correctoribus Eruditis* libellus hinc enatus esset, mecum constitui, typis evulgando, *Illustria Vestra Nomina* illi præfigere, atque ita simul Patronos maximos eidem *Vos* conciliare. Accipite ergo, *Generosissimi*

Domi-

Domini, exiguam hancce gratiſſimæ mentis meæ teſtificationem ſerena fronte, & Schediaſma hocce literarium ea, qua ſoletis meliores literas proſequi, benignitate complexi, Nominum *Veſtrorum* ſplendore, obſcuro mihi homini, laborique meo qualicunque accendere lumen ne dedignamini. Ego, quod ſupereſt, Deum precabor, ut *Vos*, *Patriæ Patres ſplendi-*

diſſi-

dissimos Prudentissimosque in seros vegetæ ætatis annos salvos atq; incolumes conservet: Consilia communibus Perillustris Noricæ Reipubl. omnium commodis sacrata secundet: Splendorem Familiarum *Vestrarum* Generosissimarum firmet & amplificet, atque tandem, cum naturam ipsam expleverit satietas vivendi, meliori vita, nulla ægritudine contaminata, beet. Ita valete

lete, *Illuſtres Domini*, mihique una cum ſtudiis meis Gratiam perennem porro indulgete

ILLVSTRIVM NOMINVM VESTORVM

obſequentiſſimo clienti

Johanni Conrado Zeltnero.

ELEN-

ELENCHVS
Eruditorum Correctorum, quorum Vitæ in hac Centuria ſecundum Alphabeti ordinem collectæ reperiuntur.

A.

	p.
Albinus (Adrianus)	57
Alcyonius (Petrus)	50
Amerbachii (Bruno & Baſilius Fratres)	61
Andreæ (Johannes)	65
Apin (Joh. Ludovicus)	69
Atanagus (Dionyſius)	73

B.

Badius (Jodocus)	76

Bergellanus (Joh. Antonius) 79
Beer (Joh. Chriſtophorus) 81
Bergler (Stephanus) 87
Bootius (Arnoldus) 90
Bruſchius (Caſpar) 94

C.

Campanus (Joh. Antonius) 101
Caſaubonus (Iſaacus) 106
Caſtellanus (Petrus) 111
Chriſtiani (Fridericus Albertus) 117
Cono (Johannes) 122
Coverdale (Mileſius) 126
Cruciger (Caſpar) 131
Crenius (Thomas) 137
Curcellaus (Stephanus) 141

D.

Deslerus (Wolfgangus Chriſtophorus) 148
Demetrius Chalcondylas 154
Dilherrus (Joh. Michael) 157
Dodo (Auguſtinus) 163
Deſiderius (Eraſmus) 164

Fabri-

F.

Fabricius (Guilhelmus) 173
Felbinger (Jeremias) 176
Finck (Caſpar) 180
Flacius (Matthias) 183
Flittnerus (Johannes) 190
Franciſci (Eraſmus) 194
Frobenius (Johannes) 202
Freigius (Joh. Thomas) 207

G.

Gelenius (Sigismundus) 219
Gemuſæus (Hieronymus) 229
Gerbelius (Nicolaus) 232
Geſelinus (Victor) 237
Gheesdalius (Johannes) 241
Golzius (Hubertus) 243

H.

Harduinus (Franciſcus) 250
Heiland (Marcus) 254
Herold (Baſilius Joh.) 258
Hornſchuch (Hieronymus) 262
Hohburgius (Chriſtianus) 270

J.

R. Jacob (Ben-Chajim) 276
Juntinus (Franciſcus) 284
Jungermannus (Gothofredus) 288

K.

Kilianus (Cornelius) 297
Kislingius (Joh.) 302
Knouf (Adamus) 306
Küſterus (Ludolphus) 307

L.

Laſcaris (Joh.) 316
Lonicerus (Joh.) 323
Lonicerus (Adamus) 327

M.

Manutius (Paulus) 331
Majer (Joh. Gabr.) 344
Melanchthon (Philippus) 352
Milangius (Simon) 362
Modius (Franciſcus) 365
Muſculus (Wolfgangus) 370
Muſurus (Marcus) 376

O.

Oecolampadius (Joh.) 384
Oporinus (Joh.) 388
Opſopæus (Joh.) 397
Orthuinus (Gratius) 401

P.

Pantaleon (Henricus) 408
Patinus (Guido) 412
Pellicanus (Conradus) 416
Perierius (Thomas) 422
Piſtorius (Fridericus) 424
Plantinus (Chriſtoph.) 439
Porta (Petrus) 442
Pulmannus (Theodor.) 444
Putſchius (Helias) 447

R.

Ranconnetus (Æmarus) 452
Raphelengius (Franciſcus) 458
Rhenanus (Beatus) 464
Rocca a Camerino (Angelus) 469
Rorarius (Georg.) 473
Ruſcellus (Hieronymus) 479

S.

Sandius (Chriſtophorus) 482
Scapula (Joh.) 486
Schmidius (Joh.) 493
Servetus (Michael) 496
Sextus (Joh.) 505
Stephanus (Henr.) 515
Stratander (Joh. Guicaus) 509
Strebaus (Jac. Ludovic.) 511
Sylburgius (Frid.) 524

T.

Trecius (Petrus) 531
Tulichius (Hermannus) 535

V.

Vultejus (Juſtus) 538

W.

Waltherus (Chriſtoph.) 542
Wedelius (Georg. Wolfg.) 548
Wiſſowatius (Andr.) 553
Wolerus (Franciſcus) 564

Z.

Zeſen (Filippus) 565
Zwingerus (Theodor.) 573

VITA JOH. CONR. ZELTNERI.

JOH. CONRADVS ZELTNERVS, vir & sacerdotii dignitate venerabilis, & ingenio doctrinaque clarus, ac, quod caput rei est, de sacris, quae curavit, bene rectequè est meritus. Neque etiam vel occasio laudis augendae, vel facultas animusque ei defuit; utpote qui domesticis incitatus exemplis ad praeclara quaeque contendit, & eximias animi dotes disciplina usuque confirmavit, ac nunquam languens, aut defectus, eo perrexit acriter, ut tuta planeque via ad veram procederet felicitatem, quam cum in his terris consequi se haud posse intelligeret, ad beatas in coelis se-

des mature contendit, eoque apice fortunatiſſimo per piam mortem potitus nunc beatiſſimam agit vitam, & inter aeterna coelitum gaudia DEVM ipſum intuetur. Singularem de qua diximus, animi vim ſtatim ex ſtirpe traxit vir optimus, poſteaquam ex iis auſpicato prognatus eſt parentibus, qui virtutibus & meritis rectisque exemplis inſignes nullam non filii hujus ſibi chariſſimi bene recteque a teneris educandi rationem inierunt. Naſcendi initia habuit *Norimbergae*, anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum octogeſimo ſeptimo, IV. Nonas Octobres, hora poſt exortum ſolis tertia. Pater ejus vir admodum reverendus, M. ANDREAS ZELTNER, Theologus ſacrorumque adminiſter pius & cordatus, atque in venerabili collegio Aegidiano quondam Senioris auctoritate conſpicuus; materque, MARIA MAGDALENA, ortu VOGELIA, matrone rectiſſimi moris laudibus ornatiſſima, nihil prius ſibi faciendum exiſtimarunt, quam ut filio DEI munere ſibi dato omni exparte bene conſulerent, eique

ante

ante omnia in Christianam Rempublicam adscripto & in sanctae repurgataeque religionis fidem suscepto optima recte feliciterque vivendi praesidia compararent. Ad vadimonium promittendum, cum sacra unda tingeretur, volens promtusque tunc affuit Theologus eximius & jam coelo receptus, JOHANNES CONRADUS FEUERLINUS, qui sub id tempus *Norimbergae* Presbyteri ad D. Aegidii munere sacro fungebatur, postea vero ibidem & in eodem Templo, ac tandem *Nordlingae* graves Antistitis partes sustinuit. Eluxerat in CONRADO jam a primis vitæ annis indoles haud vulgaris; cujus vim accurata & solers parentum cura majorem in modum adjuvit. Huic enim debuit, quod divinis auspiciis sine mora ad pietatem legemque emendate religionis colendae institutus feliciter adolevit, & non minus ad doctrinae, quam virtutis, decus capessendum, jam tum incitatius ferri coepit. Sed ut publicae etiam luci sensim assuefieret, aliquantisper in Gymnasium Aegidianum traditus est; in quo nomi-

natim B. J. C. Storvi fides ac dexteritas in primis rudimentis Latinitatis ponendis ipsi magnopere profuit. Enim vero ad tam laudabiles conatus prosequendos animum Conradi multum retardare potuisset gravis illa jactura quam, an. MDCCI. in obitu Parentis optimi fecerat; nisi paterni amoris paternaeque curae vicem partesque sponte sua in se suscepisset, cumulatissimeque expleviſſet, venerandus Frater, qui eo tempore *Norimbergae* in aede divi Jacobi sacerdotium obibat; hodie vero in hujus opidi coetu sacro provinciae Antistitis praeest, & in hac Academia Antecessoris theologi dignitatem egregie tuetur atque ornat. In hujus ergo aedibus, convictu & disciplina, ita vixit, ut paterno licet praesidio orbus salutem ac studia sua summa fide curari abunde experiretur. Neque enim consilium solum, sed operam etiam, is ad eum praeclare instituendum contulit. Quorum fideli duce & auctore, eximie profecit Conradvs, &, procedente aetate, pulcherrimae laudis spatia confecit. Tantum tamen abest, ut noster

viciſſim exoptatos fraternae bonitatis fructus non ſenſerit, agnoveritque; ut potius per omnem reliquam vitam Fratri natu majori, tam bene de ſe merito, aeque ac Patri, reverentiam exhibuerit, & filii pietatem approbarit; neque quicquam facile ſuſcoperit, egeritque, niſi de ejusdem ſententia. Huic adeo prudenter obſequutus, cum domeſtica inſtitutione utiliter aliorum etiam praeceptionem doctrinamque conjunxit, & ſigillatim, ubi *Norimbergae* adhuc haerebat, ſibi laudi honorique duxit, propius colere & ſectari viros fama meritisque egregios, MÜHLDORFIUM, WÜLFERUM, & ESCHENBACHIUM, quos in publico auditorio diviniores humanioresque literas profitentes tanta audiit aſſiduitate, ut horum expectationi prorſus reſponderet. Ita praemunitus, nec poenitendis doctrinae ſubſidiis inſtructus, altioris ſtudii rationes iniit, & anno MDCCVI. menſe Junio, in hanc ſe contulit Academiam, cujus leges atque inſtituta eo tempore moderabatur ADAMUS BALTHASAR WERNERUS, Jureconſultus opti-

me meritus. Poſtquam igitur non ſolum inter cives Academicos, ſed etiam, ſingulari Illustrium Academiae Curatorum gratia, inter Alumnos Noricos, fuerat receptus; cupiditate rerum optimarum accenſus nulli operae laborique pepercit, ut praeclara quaque ſcientia, quae in ſummas vitae ejus rationes conveniebat, animum exornaret. Eoque conſilio cumprimis tunc operam dedit Profeſſoribus cura & fidei docendi commendatiſſimis, jamque inter coelites beatis, Mollero, Omeisio, Roetenbeccio, &, qui adhuc ſuperſtites ſunt, Baiero, Schwartzio, atque Müllero. Neque minus teſtem induſtriae habuit Pfizerum, Doctorem Theologum maximopere venerandum, qui tunc ſtudia vitamque Alumnorum Inspectoris nomine regebat. Ita vero, quicquid reperit egregium, utilitati ſuae impendit Zeltnerus, omnesque neceſſarias humanitatis ac ſapientiae partes animo ingenioque complexus eſt, & ad interiores deſcendit doctrinas, ita, ut rationes prorſus ſejunctas ab iis haberet, qui, dum

omnia

omnia leviter curſimque, tanquam canes e Nilo, attingunt, parum, aut nihil, ex ſolido ſcire deprehenduntur. Haec ubi ex animi ſententia ei ſucceſſerant, ampliſſimum divinioris ſtudii curſum feliciter ingreſſus eſt, ducibus adjutoribusque uſus Theologis optime meritis, SONTAGIO, LANGIO, & Fratre, qui non multo poſt, quam noſter in Academiam conceſſerat, eo quoque divina providentia evocatus fuerat; in quorum Scholis ita verſatus eſt, ut vix quisquam navius diligentiusque poſſit. Sed neque dubitavit, identidem prodire in publicum, datis doctorinae ſuae documentis, ingenii facultatem periclitaturus. Itaque exedram aliquoties ornavit diſputans, & in circulo diſſerentium modo de propoſitis promte apteque reſpondit, modo rationibus conquiſitis in alteram partem argumentatus eſt. Nominatim vero, fraterno adjutus praeſidio, tres eruditas propoſuit exercitationes, primam de *eruditis in Judaica gente Feminis*, alteram de *Debora Prophetiſſa*; & tertiam denique, qua *Dei praecepta non bona*

nulla esse, ad Ezech. XX. 25. seq. ostensum est. In quibus omnibus tuendis pulchre stetit, & Patrum Civiumque Academicorum applausum promeritus est. Neque tamen substitit in hoc laudis curriculo; sed, qui bonorum mentium ardor est, in dies ad meliora audenda progressus, nullam locupletandae doctrinae occasionem praetermisit. Qua mente, anno MDCCXI. mense Majo, adiit *Wittembergam*, felicem illam studiorum parentem, & religionis emendatae meritis prae ceteris insignem. Ibi doctores interpretandae coelestis doctrinae fama praestantissimas WERNSDORFIUM, CHLADENIUM, KLAUSINGIUM, & in formandis orationibus sacris potissimum DEWIDIGIUM, publice privatimque commentantes audivit. Sed & singulari benevolentia eum complexus est JOHANNES CHRISTOPHORUS WOLFIUS, qui jam tum cum magna nominis celebritate in *Wittembergensi Academia* philosophiam & literas elegantiores profitabatur, hodie vero *Hamburgi* sacra Antistitis dignitate maxime floret. Ab hoc eximia

mia rei literariae adjumenta conſecutus eſt ZELTNERUS, ejusque favorem abſens etiam, literis crebro ſcriptis, retinuit, & ſalubribus in eo ſtudiorum genere conſiliis non raro confirmatus eſt. Anno integro, & quod excedit *Wittembergae* (a) transacto, *Berolinum*, abiit,

(a) Eamque Illuſtrem etiam Academiam, quoad vixit, grata piaque mente, & ea, qua par eſt, veneratione proſequutus eſt. Quae gravi de cauſa addere ad B. Auctoris vitam viſum eſt, quoniam occaſione Vitae PHILIPPI MELANCHTHONIS breviter in hoc ſyntagemate recenſitae *in ſaniam* quibusdam, (neque enim omnes, vocabulo *Orthodoxorum*, eo recte ſentientes, ſed inepte id affectantes quosdam deſignavit,) nimium quantum *Lutheri Cathedram* extollentibus cum attribuiſſet, in eum veluti unguibus nonnulli, quos Viri optimi haec libertas male habuit, involarunt. Ad quam litem ipſi motam dilucidius cognoſcendam, cum Fratrem ejusdem Theologum Altorphinum conſularem, reſponſum ſequens accepi. *Ad verba Fratris mei pie defuncti quod attinet*, quibus injurius in cathedram Lutheri *aut ipſam Academiam*, vel ordinem certe Theologicum *Wittebergenſem Venerabilem*, quibusdam viſus eſt, ut, *quid ſentiam, & mihi conſtet*, breviter exponam, ſic habeto: *Nec mihi unquam verba illa minus circumſpecte poſita & ſcripta, neque ipſi etiam Auctori*, a me deinceps monito, *placuiſſe. Cauſam vero*, cur paullo confidentius quae animo volverat, ſic data anſa, pronunciaret, eam fuiſſe, quam ne ipſis quidem bono Viro ſuccenſentibus probatum iri, mihi perſuadeo. Nempe cum aliquando Wittebergae ex equiſas iret B. ZIEGRAE Med. D. & Fratris mei hoſpiti, contigit,

abiit, neque tam urbis illius regiae magnificentiam, quam incomparabilem rei

gis, ut in ipsa Deductione funeris duo Philosophiae Adjuncti alter M. alter F. ille modestissimus vir, hic vero, ut constat, priori vix comparandus, (cujus nomini vel ideo, quod mortalitatem jam in patria explevit, parco,) incertum, qua occasione, de Cathedra Lutheri coloquerentur, ac tandem ita disceptarent acviter, ut posterior illo, ex disputationibus aliis vehementioribus non incognitus, defenderet, eum qui Cathedre Lutheri insisteret, INFLUXUM inde ARCANUM (physicum nescio, an moralem,) efficaciam certe aliquam supernaturalem sentire, aut percepturum esse. Cui cum alter obloqueretur, is vero opinioni huic suae inhaereret mordicus, factum esse, Frater optimus ajebat, ut & ipse, (non amplius memini, hos ne proxime sequutus, an ab utroque ductus,) affirmanti modeste contradiceret, sed parum adversus hominem istum pertinacius sua tuentem proficeret. Idque tamdiu fere continuatum esse, affirmavit mihi, colloquium & cum ferveret agitatam σύρραξιν, donec publice agenda audiendaque sacra finem disputationi imponerent. Ea re tantopere commotum se esse, fassus est mihi identidem Vir bonus & minime superstitiosus, ut, quoties ea de re cogitaret, stultitiam detestaretur. Quae animi commotio si deinceps *inter scribendum paullo minus accurate* exascitis verbis erupit veniam ei indulgeant, quaeso indignanti, quem jam non sine causa talia scripsisse intelligent. Neque etiam orbis credo, literatus Virum optimam tam absurda haud male improbasse, & veluti Tripodis illius Delphici quiddam somniantes hujusmodi homines digno carbone aliquo notasse, inficiabitur. Ceterum, cum non credere eidem tam absurda narranti voluissem, & haec serio ab inepto homine non defensa fuisse, sed per

ludum

rei literariae & antiquariae theſaurum, ſuſpexit. Hinc peragrata inferiori Saxonia, virisque doctis paſſim ſalutatis, domum redire neceſſe habuit, quia Matrem pientiſſimam interim beato ex hac vita diſceſſu amiſerat. *Altorfium* hinc reverſus, denuo ſe adjunxit ad fratrem amantiſſimum; qui eadem, qua antea, cura paterna CONRADUM ſuſcepit, eidemque domicilium, convictum, libros opesque doctrinae ſuae omnes, lubenter, ac benigne impertivit. Neque minus magno ſtudio coluit BAIERUM noſtrum, Doctorem Theologum ſummopore reverendum; cujus exquiſitis fideliſſimisque Scholis praeſertim *Exegeticis* non parum ſe debere grato animo nunquam non profeſſus eſt. Quemadmodum

ludum jocumque diſputata mihi perſuaderem, aſſeveranter Frater ſemel iterumque, ſerio ab eo iſta fuiſſe aſſerta, confirmavit, quippe qui ne monitus quidem deſtiterit, ſed magna vehementia ſuam iſtam opinionem, non ſine aliis, fervidius id agentis animi, ſignis, perficaciter retinuerit. Hactenus Viri B. Frater ſuperſtes, qui ex ipſius ZELTNERI noſtri ore ea ſemel iterumque ſibi narrata ſuis hiſce verbis ad me perſcripſit; de quibus Eruditi in querimonias adverſariorum & inſectationes Viri laudati forte incidentes, jam defoecatius judicum ferre poterunt.

modum vero hic uberrimam proficiendi occaſionem nactus, ſeſe patriae & coetus ſacri miniſterio diligentiſſime utiliſſimeque praeparavit; ita ſimul ad publicum munus capeſſendum ſua ſibi virtute & induſtria facile viam munivit. Deo enim rem moderante, jam anno M DCCXV. menſe Aprili, contigit, ut patrocinio illuſtris Grunderrorum gentis, rite legitimeque praeficeretur ſacerdotio *Altenthannenſi*, tunc vacuefacto, &, illuſtrium Senatorum Provincialium auctoritate accedente, ſimul Eccleſiae *Altorfinae* miniſtris vicarius daretur. Talia aſſecutus, poſt duos demum annos, ad lenienda vitae taedia conſilium iniit, & anno M DCC XVII. menſe Quinctili, ſingulari nutu divino, in connubii foedus adſcivit Feminam caſtimoniae fraugalicatisque laudibus eximiam, Annam Barbaram, natalibus Vlmeriam, viduam a Stephano Fichtnero, cive hujus opidi honeſtiſſimo, relictam. Ex quo conjugio pie inito, magnaque animorum conſenſione feliciter continuato, anno M DCC XVIII. Gusta-

vum

vum Georgium, & altero post anno, Annam Susannam, suscepit: in qua utraque dulcissima sobole quo majorem vitae suae Suavitatem futurumque familiae decus destinarat pater optimus; eo acerbius illam praematura orbitatis calamitate affictam reliquit. Usus enim aetate florentissima, praeter omnium opinionem, ea, quae Christi morti pie recolendae consecrata est, hebdomade; in fatalem incidit morbum, & febre catarrhali ut appellant, correptus, VI. Kal. Apriles, graviter decurabere coepit. Quamvis vero pro ea fide atque amicitia, qua conjunctissime per multos annos cum ipso vixit, nullum propulsandi mali laborem nullamque curam subterfugisset vir medendi experientia nobilissimus, & Solisbaco-Palatinus Archiater atque Consiliarius, Joh. Jac. Jantkius; febrilis tamen ardoris vis omni medicinae auxilio praevaluit, ita, ut vir optimus, inter VIII. & VII. Iduum Aprilium, nocte fere media, felici quidem & beata, sed nimis festinata morte obierit, anno aetatis tertio ac tricesimo, in quo quidem

dem ultra quinque menſes non proceſſit. Quod ad ceteras ejus vitae rationes attinet, non opus eſt, eas pluribus commemorare, ut quae in luce & ore omnium verſantur. Prima ejus & ſummam cura fuit, ut DEUM, cujus ſacris operabatur, religioſiſſimo animo veneraretur; a quo capite omnia reliqua vivendi inſtituta, veraeque felicitatis parandae rationes, ſapientiſſime arceſſivit. Nulla cauſa ab officii honeſtatisque partibus ſe abſtrahi paſſus eſt, & munere ſacro, quod obeundum ſuſceperat, integerrime functus, nullam fidei curaeque partem fecit reliquam, ita, ut non parum de viribus corporis alias non infirmi deminuerit. In convictu & conſuetudine modeſtum ſe, & ſuavem, candidumque, ſemper praebuit. Si quid temporis gravioribus curis vacuum nanciſceretur, id in amoenioribus conſumſit literis. Neque enim ſolum identidem juvenum quorundam ſtudia privato conſilio operaque adjuvit; ſed etiam in recognoſcendis rei literariae originibus progreſſibusque eo libentius verſatus eſt; quo magis hoc ſtudio-

ſtudiorum genere conſueverat oblectari. Nominatim vero ad illuſtrandam *typographiae* hiſtoriam perutilem contulit operam; ejusque rei praeclarum & cum applauſu eruditorum exceptum prodidit ſpecimen, anno MDCC XVI, evulgata *Correctorum in typographis eruditorum centuria*. Cujus generis plura affecta reliquit monimenta; (b) neque ſolum *Schediaſmati de Fauſto praeſtigiatore ex Joh. Fauſto Typographo a quibusdam ficto*, ipſe ſupremam jam impoſuit manum; ut in lucem propediem poſt quaedam obſtacula proditurum ſit; ſed & Diatriben de *privatis Typographiis* magnam jam partem confecit, & ſpes eſt, eam quoque cum ceteris, quae in ſchediis adhuc latent, fraternae manus itidem limam & expolitionem deſiderantibus lucem publicam DEI beneficio ad ſpecturam eſſe; eo quidem maxime, quod & inſignia harum Typographiarum per multa jam aeri incidi B. auctor

(b) Alteram enim Centuriam jam colligere coepit: Quam tamen cum nondum in ordinem Vir B. redegerit aut elaboraverit, Fratres Theologus pollicitus eſt, ſe ad limam revocaturum, eaque, quam potis eſt, induſtria, ſi vita viresque ſuppetant, *Semicenturiam* certe, cum orbe erudito communicaturum.

curavit. Taceo nunc, & de *Judaeorum Typographiis* multa documenta per plures annos ab ipso fuisse conquisita: verum haec & alia hujusmodi institutа, mors necopinata impediit; quam tamen non exhorruit vir beatus; sed memor ejus institutionis consolationisque, quam ipse aliis antehac impertiuerat, & a Fratre, animaque suae Curatore, corroboratus, in extrema luctatione, & inter ingentes angores, constantem firmumque retinuit animum, atque per brevia ac luculentiora aestus febrilis intervalla, DEO immortali salutem suam pie commisit, tandemque, plenus coelesti fiducia, placide IV. Iduum Aprilium A. R. S. MDCCXX. expiravit. (c)

Luci

(c) Postremum moriendus est L. B. nos in hac vita enarranda ductum programmatis funebris Altorfini, cujus scriptor fuit *Excellentissimus* DN. SCHWARTZIUS *P. P. celeberrimus* maximam partem secutos esse.

α & ω.

Uci expono publicæ, B.L, Schediasma Literarium, de *Correctoribus Typographicis*, iisdemque *Eruditis*, simul tamen Autorem harum pagellarum judiciis virorum de studiis meritorum subjicio. Ea vero, quæcunque demum sunt, si meruero, non detrectabo, cum quantæ vires meæ sint, in hoc studiorum genere, præcipue in materia rei Literariæ specialissima, bene intelligam. Interim justa mihi & æqua expeto, nec ea, quæ a cavillandi pruritu, & Scholastico corrigendi animo, qualia plurima hodie solent esse, proficiscantur. Quicquid de reliquo huic opusculo doctrinæ & ornatus deerit, illud favore Doctorum compensandum esse autumo. Hac etiam nisus spe, recensum hunc prelis

commiſi, confiſus penitus, fore, ut boni omnes ſibi perſuadeant, me non ex præmatura ſcriptitandi & inclareſcendi libidine, ſed vires meas periclitandi gratia, hanc qualemcunque opellam conſcripſiſſe. Antequam vero negotium ipſum tractandum ſuſcipiam, paucis de fatis Typographiæ quædam erunt præfanda. Quod itaque Artis hujus Inventorem ſpectat, & annum ipſum Inventionis, neutiquam litigia inter Harlemenſes, Argentoratenſes, & Moguntinos, exorta, mea ſum facturus. Sufficiat meminiſſe, ab anno 1440. ad annum usque 1448. repertam, & excultam ſingulari DEI beneficio fuiſſe. De reliquo pro Harlemenſibus acriter pugnavit *Marcus Zuerius Boxhornius*, Tr. Anno 1640. 4to. Lugd. Batav. edito: cum quo unum inflaſſe cornu conſtat, *Petrum Scriverium* im Laurentz Cranz vor Lorentz Küſter / Anno 1628. Belgice ſcripto libello; Eademque ſentiit *Hadr. Junius in Hiſt. Bata.* & alii Germanos, & Moguntinos quidem, Inventores hujus artis agnoverunt, &

pro

pro iis militarunt *Nicolaus Serarius*, in *Antiquitatibus Moguntinis*: *Bernhardus a Mallinkrot, de ortu & progreſſu Artis Typogr.*&c. Nec diſſentit inter nos *B. Saubertus in Hiſtoria Bibliothecæ Norimbergenſis*, quem tamen id feciſſe eam ob cauſam crediderunt permulti, ut eo majorem laudem, codicibus in Bibliotheca Norica extantibus, & a Moguntinis impreſſis, acquireret. Fauſtum hi omnes, & *Joh. Guttenbergerum*, Petrum item *Schäferum*, primos tanti artificii Inventores fuiſſe meminerunt. Argentoratenſes vero ſibi has competere laudes exiſtimantes, Mallinkrotium & Scriverium oppugnaturi, magno conatu & induſtria Civibus ſuis eam aſſeruerunt honorem, editoque peculiari libello, quo Johannem Mentelium, pro Autore venditarunt, tuiti ſunt. Conſentiunt cum iſta relatione *Wimpfelingius*, vetuſtiſſimus Hiſtoricus; *Hieronymus Gebwilerus in Panegyri Carolina*: *Jacobus Spigelius*: *Adamus Schragius in Relationibus ſuis de Typographia*, ejusque inventione: *Boeclerus* item celeberrimus

berrimus Polyhiſtor, paria cum his defendit, in oratione quadam eum in finem habita. Atque hi quidem, uti fieri ſolet, ita omnes ſcripſere, quem admodum vulgare illud Germanorum: **Deß Brod ich eß / deß Lied ich ſing /** innuit. Quisquid horum ſit, manebit certe honor iſte penes Germanos, quem nec Chinenſes, uti *Iſaacus Voſſius* ſomniavit, artificioſis ſuis picturis, multoque minus Galli poterunt labefactare. Saniores profecto Scriptores cuncti, multaque doctrina conſpicui viri, noſtris hoc Inventum tribuunt, unde paucas quasdam Hirundines diſſentientium, minorumq; gentium Deos, in contrarium euntes, haud curandos eſſe cenſemus. Interim tamen ſæpius miratus ſum, qui factum, quod Ars iſta optima, ultimis his demum temporibus fuerit enata. Nam prima quando adſpiciamus ſtamina, quibus reliqua omnia adjuncta nituntur, non aliter poterimus judicare, quam rem fuiſſe inventu facillimam: nec enim acre quoddam requirebatur judicium, nec ſingula-

ſingularis ingenii vis. At tamen neque illud inficiandum, facilia nunc nobis videri poſſe, ad quæ tunc nec milleſimus quisque reſpexerat: non ſecus atque uti factum eſſe legimus a Schweppermanno, ovum ſuper menſam in cuſpidem ſtabile reponendo, de quo nemo ante cogitaverat. Sed tranſeant hæc: Satius erit agnoſcere beneficium ipſum, & gratias Supremo agere Numini, ejusque Providentiam concelebrare, quod ea hæc ars detecta fuerit tempeſtate, qua & viri doctiſſimi vivebant, & barbaries literarum profiganda videbatur, & quod maximum, qua Lux Evangelii e Tenebris protrahenda fuit per Megalandrum Lutherum, ſuppreſſa per multa Secula: cui promovendæ, ſi non præcipue deſtinatum a DEO, certe maxime erat negotium Typographicum uſui. Sic enim Biblia hujus ope, in tot hominum pervenerant manus brevi tempore, ut hominum prope fidem ſuperet. Ex codice vero ſacro doctos & indoctos, de corruptelis Pontificiæ Eccleſiæ certiores factos, eo

melius juvare puram verbi divini professionem potuisse, non indiget ulteriore probatione. Pedetentim igitur, & de die in diem perfectum, expolitumque nobilissimum est illud institutum, nec tamen ita absolutum, ut ante annum sexagesimum codices integri potuerint imprimi. Unde etiam vetustissimi, quos habemus, libri hanc vix excedent ætatem. Fatendum tamen, initio chartam, atramentum, typos, ejus fuisse conditionis, ut laudibus ea multis extollere nollem. Quamquam &, quod non diffitemur, volumina impressa conspexerimus, sat nitide Venetiis præcipue Anno 1474. 1478. & 1486. excusa. Defuere etiam primo literæ majores & Initiales, quæ vel pingendæ erant, vel minoribus utendum: easque alicubi etiam Anno 1507. desideratas fuisse, ex libris quibusdam hoc Anno typis mandatis, evinci posse puto. Neque titulos habuere splendidos, in fronte de Contentis voluminis Lectorem monentes, imo non raro nulli prorsus conspiciebantur, ut non nisi ex lectio-

lectione libri ipsius, cujus generis sit, intelligi potuerit. Postmodum tamen ita omnia crevere, ut nostra hæc tempora quam diversissima ab illis sint; cum tamen aliis in rebus paulatim cultura elegantior majorque esse soleat. Postquam autem cognita hæc Ars in Germania facta esset, varii hinc inde reperti sunt viri docti & probi, excurrentes in vicinas regiones, sua cum iis communicaturi. Migrarunt Venetias *Sampson Hammanus*, dictus Herzog / & *Octavianus Scotus*, *Nicolaus* item *Jensonius*, qui Jus Canonicum primus ibidem impressit Anno 1477. Tom. IV. Romam transiere *Antonius Bladus*, *Conradus Schweinheim*, *Arnoldus Pannartzius*, *Udalricus Han* sive *Huldricus Gallus*. Neapolim *Sextus Argentinensis*, a Ferdinando Rege Catholico Episcopi dignitate ornandus, abierat. Pari modo in Galliam, aliasque regiones profecti Germani multum captabant lucri, quos nominatim hic recenseri angustia chartæ non permittit. Sic igitur proserpserat Ars plane divina, usque dum

Seculo XVI. ejusque initiis ad ſummum perveniret culmen. Nam omnes Regiones, cum facultas non fuiſſet data excogitandi artem; in ea tamen excolenda, ornandaque certatim allaborare cæperunt: Itali præcipue, Gallique cum noſtris Germanis ſtrenue conjunxerunt manus. Habuerunt Veneti ſuos *Manutios*, *Aldum Avum*, *Paulum* & *Aldum*, filium, nepotemque, viros doctiſſimos & laborioſiſſimos, felicisſimosque, ut in Scientiis, ſic in Arte impreſſoria Magiſtros. Primus ille Græcis ſua excudit literis, ita eleganter & nitide, ut in ruborem noſtros det Typographos, qui velut umbræ, jam cum eo comparati, volitant. Antea ſpatium reliquerant vacuum, vel latinis exprimebant Elementis, ſi quando occurrerent Græca. Homerus autem prela Aldina primum tam feliciter fatigavit, ut cum optimis quibusque hodie certare poſſit, & quanta cura geſta fuerit ea editio, inde patet, quod ſingulis hebdomadibus duo tantum excuſa fuerint folia. His adjungendus venit

venit *Daniel Bombergius*, Antwerpienſis patria, qui Anno 1511. Venetias delatus, Hebraico imprimere cœpit charactere. Ex qua re, quamvis & eo interdum Manutii uſi fuerint, æternam conſecutus eſt gloriam, & in miſera licet paupertate, immortale decus. Referunt enim aliquoties opus Talmudicum, cum Commentariis Rabbinorum procudiſſe, ſingulisque editionibus myriadem aureorum impendiſſe; quod ſi ita ſit, fieri aliter non potuit, quam ut in miſerum & anguſtum prolapſus fuerit ſtatum. Quem, eundem pene ſubiiſſe in Amſtelodamenſe opus, Talmud dictum, qui impenſas fecere, fama circumfert. Neque id mirum: iſtis enim temporibus pauci erant, qui hoc ſtudio delectati, magnam auri ſummam pro hujusmodi Libris, uti ne nunc quidem fit, ſolverent. Interim tamen commonſtravit optimus Bombergius, ſe non fami, ſed famæ, & utilitati, ſibi quamvis noxiæ, & Reipublicæ Literariæ potiſſimum, inſerviiſſe. Vixerant etiam Venetiis, *Dominicus Ba-*

ſanus, *Bernhardus Junta*, *Bernhardus Pictor*, *Erhartus Ratdold* de Auguſta, quorum libri impreſſi nitidiſſimi ſunt, & *Lazarus de Soardis*. Quanquam habeam *Guilhelmi Verrilongii* ſuper quatuor libros ſententiarum Lombardi Commentarium, impreſſum Venetiis, Anno 1496. ubi in fine hæc adjecta ſunt verba : *Venetiis per Jacobum de Leuchs, impenſis vero Lazari de Soardis.* Unde concludo, non niſi Soardum ſumtus procuraſſe, ut noſtri Bibliopolæ ſolent, atque ideo inter Typographos forte ipſos, referendum non eſſe. Quæ utcunque ſint, optima de reliquo, & denſa utitur charta, at nimis abundat notis, ſeu abbreviaturis ut vocant, Syllabarum. Nec ſollicite capita invenio diſtincta, atque eo proinde loco, quo Manutii & Bombergius, vix habendus erit. Romæ claruere Paulo IV. P. R. *Paulus Manutius*, & *Aldus* filius ejus, uterque magna auri ſumma conducti, ut & imprimerent, & publice ſimul docerent. Ipſa autem officina quam acceperant, Vaticana audiebat, & Pontificis ſummi

ſummi authoritate, nummisque munita, non niſi egregia proferebat. Florentiis artem hanc, præter alios, exercuerunt Juntæ, quorum nomen & codices, Clariſſimum olim Germanorum in Belgio decus *Grävius* ita quidem amavit, ut, cum Scriptores ſuos ederet, latinos, Claſſicos vocant, Juntarum, ubi potuit, editiones inprimis conſuluerit, & ſuos codices ex illis emendaverit. Ex Italia feliciſſima, amœniſſimaque Europæ Provincia in Galliam migranti offerunt ſe certatim viri Eruditiſſimi, quibus vix hodie pares vivunt. Quosdam horum & celebriores nominabo, ceteris omiſſis. Quis enim eſt, cui *Stephanorum* nomen notum non ſit. Ecce benevole Lector Genealogicam Tabulam familiæ Stephanicæ celebratiſſimæ, in qua

Henri-

Henricus I.

Robertus I. Typogr. Reg. Franciſcus I. Carolus. Doct. Med. Typ. Reg.

Henricus II. Robertus II. Franciſcus II. Catharina. Nicolaina Joh. Libant Med. Doct. uxor.

Paulus. Dionyſius Florentia Is. Caſauboni uxor. Robertus III. Henricus III. Aulicus Regius.

Antonius Typ. R. Catholicus Joſephus. Johannes. Mericus. Robertus IV. Advoc. Parl. Henricus, Magiſter foſſarum.

Omnes de Typographia, aut plerique certe, meritiſſimi. Cum his conjungendi erunt, *Adrianus Turnebus*, Græcæ linguæ Profeſſor Pariſiſus, & Typogr. Regius, qui obiit Anno 1565. vir toto orbe clariſſimus, & cujus codices rariuſcule apud nos reperiuntur, ſignique loco gerunt, Thyrſum Lauru & ſerpentibus circumdatum: *Guilhelmus Patiſonius*, *Guilhelmus*, *Johannes*, *Fridericus* & *Claudius* omnes nomine *Morelliorum* inſignes: *Sebaſtian* & *Gabriel Cramoiſii*, Typographi Regii: *Michael Vaſcovanus*, Roberti Stephani Socer, & *Simon Colineus*, Roberti Senioris Vitricus: Viri Eruditi pariter & Seduli, nullisque parcentes ſumtibus, ut gentis gloriam in ornanda arte Typographica acquiſitam, conſervarent, occupati. Antequam Gallia excedamus, alios ſilentio prætereuntes, Lugdunum viſitabimus; occurrent illic *Jodocus Badius*, *Andreas* & *Sebaſtian Gryphii* Germani, & *Stephanus Doletus*, infelix ille Typotheta, qui Atheiſmi ſuſpectus, vivus combuſtus eſt. Mittimus *Rovillium*, aliosque brevi-

brevitatis ſtudio, atque ſic tandem in Germaniam pedem promovemus. Poterit hæc cum Gallis de multitudine Doctorum Typogr. in certamen deſcendere; tot enim numerare poſſum Viros & Principes literarum, quot Gallia ſe habuiſſe, gloriatur; ſed nolo Civibus meis aſſentiri, ne partium videar eſſe ſtudioſus. Reperies autem Baſileæ viros doctiſſimos, nudo nomine audito omnibus venerabiles: In quibus excellunt *Johannes Amerbachius* cum filiis: *Johannes Frobenius*: *Johannes Oporinus*: *Nicolaus Epiſcopius*: *Antonius Winterus*: *Henricus Petri*: *Johannes Hervagius*: *Ludov. Regius*: *Petrus Perna*: *Andreas Cratander*, & alii plures, quos vide ſub finem *Bibliothecæ Latinæ* a celeberrimo *J. A. Fabritio* conſcriptæ. Baſilienſibus ob viciniam addi merentur Tigurini & Genevenſes cum Helvetiis, quorum illi nobis inprimis *Chriſtoph, Froſchoverum*; hi vero *Wiederholdum*, *Jacobum Chovetum* & *Jac. Stoerium* ſiſtunt. Heidelbergæ prela exercuit, idque fama nominis præ-

præclariſſimus *Hieronymus Commelinus*, natione Gallus. Marpurgi *Paulus Egenolphus*, a quo Francofurtenſis Chriſtianus Egenolphus diſcernendus eſt; *Andreas Wechelius* & ejus Hæredes, qui & Hanoviæ ſedes fixerant ſuas: *Schürerii* Argentorati claruerunt; Lipſiam vero ornavit *Erneſtus Voegelinus*, patria Conſtantienſis, qui meliori fato dignior inde ob notiſſimum partium ſtudium expulſus, in maxima egeſtate mortuus eſt, Cujus poſtea typis & ſigno aliquando uſus eſt *Johannes Steinmann*. Noribergæ varii fuere, eminent ex his *Johannes Petreus*, qui diu & ipſe literis operam dederat, & hoc antiquior *Antonius Koburgerus*, vir notiſſimus, qui per omnes Germaniæ urbes, imo & in Gallia ſuas habuit negotiationes, & tabernas: Singulis diebus vel centum in ejus laborabant officina viri, qui ſtatis horis laboribus abeuntes, & iterum ſimul redire conſueverant, ita quidem ut nulli horum janua aperiretur, niſi poſtquam ad unum omnes convenisſent; unde horis pomeridianis per cumu-

cumulos ad oſtium Magiſtri ſtantes ſuos exſpectabant labores ſibi adſignatos. Auguſtæ Vindelicorum Libri ad inſigne Pinus celebrantur; Petri etiam S. Andreani occurrunt ibi excuſi, quo nomine alias & *Commeliniani* appellantur, in certum an alii, an iidem, & Commelini ſumtibus impreſſi. Coloniæ *Gymnicus, Mylius, Birkmannus, Quentelius* & alii, ſicuti Francofurti ſupra memoratus *Egenolphus, Sigismundus Feyerabend, Schönvvetterus, Petrus Kopfius, Johannes Spies*, ceteris præferuntur. Wittenbergæ *Johannes Lufft, Mathias Rhau*, & alii caput extollerunt. In Belgium nunc progredior, ubi *Chriſtophorus Plantinus* tanta luce ſplendet, ut primus Jure merito nobis occurrat, ut qui & nitidiſſime omnium & libros centum linguis procudiſſe dicitur Antwerpiæ & Lugduni Bat.; Cui ſubjiciuntur *Johannes* & *Balthaſar Moreti*, & *Franciſcus Raphelengius* Socer, Plantini Succeſſores; itemque *Hubertus Golzius* & ſimiles quam plurimi. Ad horum etiam ætatem referendi ſunt, *Bonaventura*,

ventura, Abrahamus, Ludovicus, & cumprimis *Daniel*, *Elzevirii* omnes; qui tamen ad posteriora tempora magis referendi videntur. Atque inter hos omnes Bombergium & Plantinum excelluisse charactere Hebraico, Froschoverum Germanico, Stephanos Græco, reliquos Latino, Eruditi credunt. Multi etiam ex his ad angustias vitæ maximas, & divitiarum jacturam prolapsi sunt, ut Oporinus, Henricus Stephanus, Bombergius, & forte plures. Quotquot autem hucusque enumeravimus, vixerunt universi prope, Seculo XVI. quæ tempora aurea Typographicæ artis nominari poterunt; nam sequentibus annis inclinare iterum cœpit fortuna hujus artificii. Non tamen credendum, nullos fuisse ista tempestate Typographos indoctos rudesque. Multi certe fuere negligenter & leviſſimi animi viri, qui non famæ sed fami inhiabant; unde Henricus Stephani tantopere invehere in eos solebat. Isti tamen omnes contemti in quisquiliis versabantur, & nihil, nisi inutilia & fri-

vola excudebant. Imo quod magis mirum Anno circiter 1464. in totis Baltici littoris confiniis una ſolummodo officina unico prelo & typis Latinis Græcisque mediocriter inſtructa, fuit reperta, ita quidem, ut Typographiæ Princeps & impreſſoris & Collocatoris officio fungi debuerit. Unde Argentina ſumtibus itineris & aliis emolumentis promiſſis hujusmodi accerſendus erat, id quod David Chytræus in Epiſtola quadam ad Marbachium data abunde teſtatur. Sed ad recentiora procedemus tempora, eaque breviter exponenda. Nempe ſublata erat in altum Ars omnium Artium conſervatrix præſtantiſſima, lapſu tamen gravi Seculo XVII. iterum ruere cœpit. Et quidem ad ſummum poſteaquam evecta fuit, Genevenſes ut accuſantur, & etiam nunc ſæpius ſolent, primi erant, qui operas iſtas corruperunt: Invidia enim ducti, carius paululum vendi libros ab aliis cernentes, pretio viliori ſua expoſuêre venalia. Ne vero damnum paterentur, charta nigra literis

tis minus acutis, præcipue vero rudibus in omni genere doctrinæ Correctoribus usi sunt; Hos alii secuti, non literato amplius orbi, sed opibus quærendis inhiantes, lucri cupidi, depravatissimos luci publicæ dedere codices. Sic autem fieri aliter non potuit, quam ut successu temporis illustre inventum ad ruinas propenderet, & ad sordes redigeretur; id quod factum fuisset, ni in Belgio quidam inventi fuissent, qui pristinum tuerentur nitorem. Ipse celeberrimus *Scaliger*, quamvis ea ætate vixerit, quæ Argentea vocari potuit, cum tamen decrementa Artis conspiceret, hunc in modum conquestus in Epistola quadam ad amicum scripta, legitur. *Nunquam*, ait, *otiosi sumus, atque utinam, votorum nostrorum vela ferrent Typographi. Sed ab iis ventus nos deserit, quo minus ad portus nostros vela facere possimus: Aut enim recusant edere, aut si excudunt, suo commodo excudunt, & interea nos torquent exspectatione; dum ipsi res suas agunt, nostras negligunt.* Exemplo nobis sunt Elzevirii antea

laudati, diligentique ac ſolerti induſtria non poſtremi; Et tamen de his cauſam ſe habuiſſe *Ericus Puteanus*, cur querelas ferret, credidit. Sic enim *ad Dan. Heinſium in Ep.* quadam occurrente p. 129. ed. 120. Lugd. Bat. ſcribit: *Benigne de ſtudiis tanquam communibus delitiis inquiris: Sed ſatis frigide ea tracto, ut tempora ſunt ingeniis & elegantiis infeſta, imo ut homines ſunt, neſcio qua pertinacia ab omni cultu meliori alieni. Exiguum aliquid de Nundinis Romanis paraveram, illud fortaſſis ad Elzevirios miſſurus ſum. Nitidiſſimus ille eſt; ſed famam tam exilitas characterum non parum retardat.* Et paulo poſt: *Morbum ſeculi accuſo: quid agas? Lucrum magis, quam famam quærunt Typographi, ideo enim Typographi ſunt.* Atque hujusmodi erant temporum fata, multo tamen meliora, quam noſtra. Interim nec diffiteri poſſum, injuriâ ſæpius queſtos fuiſſe viros doctos, nec Typographos accuſandos, ſed multo magis eos, qui literatorum nomen affectant: Hi enim vel nimis delicatuli ſunt in coëmen-

coëmendis legendisque ſcriptis, ut facile habeant, quæ non placent, ideoque reſpuant: Vel nimis ſunt rudes, ut nugas potius quam bona ament ſcripta, & ideo erudita volumina, captum ſuum tranſcendentia, rejiciant, niſi forte furore librorum corradendorum, & gloriæ Nominis inde conſequendæ cauſa, compareant. Hinc igitur, ne ſumtibus, quos codicibus imprimendis impenderunt, priventur Typographi, ad libidinem plebis, & ſtudiis vulgi ſe attemperantes, quaſi quodam torrente abrepti, excudunt, quæ vendibilia ſunt. Accedit, quod prioribus temporibus ſcripta egregia typis ſubjecta plerumque fuerint; talia certe videbantur, atque hinc emtoribus ſalivam movebant: Manuſcripta enim tam Scriptorum Eccleſiaſticorum, quam profanorum ex latibulis protracta fere omnia cum applauſu ſuſcipiebantur, qua vix centeſimus quisque exemplar aliquod antea conſpexerat. Poſteriori vero ævo, Libris neceſſariis jam magna copia extantibus, & ſuper eos nonniſi obſer-

vationibus Criticis, aliisque lucubrationibus non indoctis quidem, sed non omnibus peræque gratis, prodeuntibus, factum est, ut emtores, nausea quadam laborantes, ipsimet Typographorum res eo deduxerint, ut non nisi occasio querulandi viris Eruditis subministrata sit. Interim tamen & hi meliori adhuc usi sunt fortuna, quam nos nunc utimur, ubi mali libri quæruntur a Typographis omni studio & contentione: boni vero Typographos frustra ambiunt, & tanquam orphani oberrant. Merito igitur *Clarissimus Crenius in Miscellaneis suis Philologicis* inquit: *Rem literariam non melius hoc nostro tempore, sed deterius sese habere, ac pejus. Paucissimos inveniri libros, quos non Typographorum avaritia, pertinacia, & stultæ prudentiæ persuasio corrupit.* Neque hæc labes pallianda est, sed scapham appellare scapham decet. Perlustret saltem, cuicunque vacat, omnes Germaniæ, ut de hac saltem loquar, Civitates, & Musarum potissimum sedes, quas Academias vocant;

Augiæ

Augiæ reperiet ſtabulum; tantæ enim ſtupiditatis paſſim obvios habebit Typographos, qui vix hoc digni ſunt nomine, & ſpurii, quam genuini Veterum dicendi filii. Nec deſunt Academiarum haud infrequentium Typothetæ, qui ne quidem absque vitiis Germanicè pingere poterunt, multo minus idiomate peregrino, tantum abeſt, ut literati dici poſſint. Imo vero, ſi quis ſaltem Syllabas colligere ſciat, artis de reliquo addiſcendæ cupidus, ſuſcipietur, quicunque demum fuerit, & quicquid de reliquo calleat. Quid? quod tantopere diſſoluta artis compages, ut alii ſint, qui exprimant, alii, qui typos componant, ita rudes, ut utroque ſimul labore defungi vix valeant, ſed alterutrum addidiciſſe ſatis putent. Horum tamen fidei, ſcripta maxima ſedulitate, multoque ſudore confecta, committere, nihil aliud eſt, quam ut Clariſſimus Henricus Stephanus loquitur: Furioſis hominibus gladios in manus tradere. Nec pauci hujus farinæ ſunt, ſed longe plurimi; Abſit tamen,

ut omnes ac ſingulos in recenſum hunc venire dicam; Non ſolum enim quidam dantur, ut luſci inter cæcos regnates, verum reperies, quamvis rariores, nantes in gurgite vaſto, ad veterum diligentiam, qui contendant, propiusque accedant. *Huguetani* in Belgio, *Wettſtenii* Amſtelodami: quorum & præcipue Henrici Laudes unico ſaltem demonſtrabo teſtimonio; ſic enim ipſe in præfatione Novi fœderis, editioni Gr. cum locis variantium ad modum Millianæ editionis præmiſſa, ſcripſit: *Reliqua, quæ opuſculo huic adjeci, videbis in Indiculo ſequenti. Nec præter hæc quicquam adderem, niſi laudanda hic veniret exactiſſima accuratio atque diligentia virorum clariſſimorum Græcesque doctiſſimorum, qua laborem meum in corrigendo hoc opuſculo adjuvare voluerunt. Eam vero talem, credo, reperies, qua major nulla deſiderari poſſit.* Typograph. Roman. Collegii de propaganda fide, quam intrantibus ſcheda ſexaginta linguarum characteribus ſplendida exhibetur; Oxonienſes & Cantabrigienſes in

Thea-

Theatris & Collegiis aliquot officinæ: *Bullifonius* Neapolitanus, & in Germania noſtra, *Fritſchii* cum *Gleditſchiis*, Bibliopolis, & forte etiam Orphanotrophium Halenſe, nomina ſunt, quæ emtoribus, vel in titulis præſcripta, hodie in pretio eſſe ſolent, utpote de quorum ſtudio, conſiliis, impenſisque in imprimendis libris factis, omnibus conſtat. Hujus rei, quod Gleditſchium attinet, veritati fidem facturus, Corpus Juris Civilis Rom. in 4to majori 1705. exc. in Scenam producam, in quo emendate imprimendo ita ſumtuum haud pepercit laudatus vir, ut plurimas Germaniæ Academias, in ſingulas novem miſerit plagulas, ut Doctores inſpicerent, & quæ reſtituenda putarent, reſtituerent. Illi vero, qui Lipſiæ operis ipſius Correcturam geſſit, qui jam provectiori ætate vir eſt, Imperialem pro ſingulis ſchedis exhibitum fuiſſe, non incerto nitor fundamento. Eminent tamen ex his omnibus Anglicani & Belgici codices, charta alba, typisque purioribus gaudentes, quamvis etiam Batavorum co-

dices facile prodant, an Correctorem eruditum fidumque habuerint, nam & hi non raro ut ſplendidiſſimi, ſic mendoſiſſimi prodire ſolent. Unde Jacobus Oiſelius in Theſauro ſuo Numiſmatum nitide, ſed vitiis plene excuſo, ſub finem ita conqueſtus eſt : Miraberis haud dubie, Mi Lector, in opere tam nitidis alioquin typis deſcripto, tantum Typographicorum ſphalmatum ſeptem irrepſiſſe, & miratur indignaturque ipſemet Auctor, quod, dum in alio loco degat, propter abſentiam in tam ſtupidi hominis manus incidere neceſſe habuerit, qui forſan ad ſtivam ducendam aptior, quam Typothetarum erroribus corrigendis idoneus videretur &c. Hoc igitur miſerrimo noſtro ſtatu, meliori jure querelas Typographicæ Artis ab *Henrico II.* decantatas meas ſum facturus, inclamans :

Illa ego, quæ quondam cœlo delapſa tolebar,
Illa ego, quæ multis Numinis inſtar eram :

Quam

Quam Comitem addiderat Mundi miracula ſeptem,
Quæ decima Aonidum ſum numerata Soror.
Deliciæ Humani generis vocitata per orbem,
Quæ vocitabar amor, deliciæque Deum:
Hei mihi! nunc miſeram, contemta, ingloria, vitam,
(Si tamen hæc vitæ eſt nomine digna) traho.
Nunc traho, quod ſupereſt, per mille opprobria vitæ,
Sicque meæ laudi vivo ſuperſtes ego &c.

Eadem ſentit clariſſimus *Maittere in Hiſtoria ſua Stephanorum*, Londini non ſine multis tamen vitiis ex Typographia reſiduis, quorum nuper ego vel viginti in perluſtrando iſtum librum obſervavi excuſa. *Hujus operis*, inquit ille, *utilitatem nemo non cognoſcet niſi, qui ignorat character characteri, liber libro, Typographo Typographus, quid præſtet, deformi pulcher, emendatus corrupta, doctiſſi-*

doctissimus ineptissimo, quid interſit, qui color, nitor, ornatus vetuſtis erat illis Athenarum Latinisque ſcriptoribus: cum prodirent ex officinis, ubi elegantiſſimis ipſorum operibus typorum munditiam, obſcuris lucem, depravatis ſenſum, vagis locum, confuſis ordinem, dubiis veritatem, artifice manu accurata lectione, felici conjectura, ſolerti ingenio, certa methodo, ſagaci cenſura dabat idem Interpres & Typographus. At contra quam inſignem accipiunt jacturam venerabilia antiquitatis docta monumenta, cum in ea involent illotis manibus Typothetæ & Correctores, qui vix aliud, niſi album & nigrum norunt; multumque ſibi præ ceteris ſapere videntur, ſi Græca a Latinis, Hebraica a Græcis poſſunt diſcernere. Interea quicquid delirant Typographi, optimi plectuntur Auctores, in quibus tot eduntur monſtra, ut dubites, Cenſore ne an Haruſpice opus ſit. Artis autem Typographicæ uſus non corrumpitur tantum, ſi ſcripta bona excudantur male, ſed etiam ſi bene mala, quæque a flamma potius, quam prælo lucem accipere meruerint.

Vide-

Viderint igitur bonarum literarum Vindices ac Patroni, quibus datum eſt licentiæ frœna injicere; ne, Typographiæ, quæ artium liberalium familiaris fuit ſemper ac neceſſaria, dignitas prorſus evileſcat, ne eam barbariem, quam olim introducta & culta fugaverat, reducat neglecta & violata.

Lacrymis vobis deploranda eſt, Muſarum Principes, hæc miſeria: omnes veſtræ intendendæ vires, ut barbaries iſta tollatur, omnibus eo nitendum, ut in meliorem ſtatum hic corruptiſſimus mutetur. Bibliopolæ, qui hodie nonniſi Titulos librorum norunt & pretium, reliqua negligentes, & Typographi ipſi, Muſis ſtrenue operam navent neceſſe eſt; neque aſſumendus quisquam ad cognoſcendam artem, ni præcipua, aut Humanitatis certe notitia probe imbutus fuerit. Lucri bonus odor, non ſit illis ex libro quolibet. Omnium autem maxime Correctores, qui omnem fere ducunt lineam, præficiantur officinis Eruditi, & linguarum, earumque indolis inprimis

mis periti. Sic Deo favente felicius impoſtrum omnia ſucceſſura credo, ac inventum hoc ſplendidiſſimum, ad priſtinum rediturum eſſe decus, penitus confido. Non poſſum, quin, memor conſilii, a viro Clariſſimo mecum communicati, illud paucis commemorarem. Devolvebat ille omnem curam in Magiſtratum cujusque Civitatis. Exſtruendæ illi videbantur officinæ publicæ; congerendi ab eo typi; comparandæ plagulæ, idque totius Reipublicæ ſumtibus. Ad hæc, frequenter viſitandæ: Cenſores conſtituendi, dicebantur, probi & Eruditi: Pretium laboribus definiendum, ne lucri cupido rem deſtruat: Alendi, id quod maximum, viri ad officia pro ratione Artis ſubeunda, idonei, ii omni Eruditione referti, qui attente corrigerent codices, & toti officinæ gubernandæ præeſſent, iidemque Theologi, Juris periti, Medici & Philoſophi omnium artium Doctores, facile, data pecunia, comparandi. Sed amplius putaverat ille, juramento ſolemni a Magiſtratu obſtringendos eſſe,

de

de ſervandis legibus, & totius Imperii Germanici, & ſingularum Civitatum: Nam id olim etiam in deſcribendis codicibus, uno dictante, reliquis calamo excipientibus, unde poſtea tot variæ lectiones ortæ ſunt, obſervatum fuiſſe in *Paſchii Nov-Inventis* legiſſe memini. Commoda, quæ ſi ita, uti animo conceperat, expedirentur, ſpondebat, conſilium ob multas cauſas vix implendum, permulta ſecutura eſſe. Fore enim, ut plures libri, ob voluminum multitudinem conſpicui, lucem viſuri ſint publicam, Magiſtratu pecuniam prænumerante, cum alias Typographis, privatæ conditionis tantam auri vim uni operi haud impendentibus, in ſcriniis deliteſcerent. Adde, quod ea valeat Magiſtratus authoritate, qua, ne quis doloſe editiones repetere poſſit, impediat; quibus alioqui de cauſis non raro mediocris fortunæ homines, impendii ſui fructu deſtituuntur, imo penitus ad interitum rediguntur. Tot futiles præterea, & nullius pretii plagulæ orbi erudito non obtruderentur; nulli

nulli enim libri prelis mandandi eſſent, niſi Correctoris & Cenſoris, Magiſtratus decreto publico conſtitutorum, approbatione muniti : Neque ipſa denique Bibliopolia ſcaterent tot Amatoriis, aliisque viliſſimi argumenti ſcriptis. Præcipue omnium vero conceſſa Correctoribus ea poteſtate emendandi ac caſtigandi & typos, & res ipſas, verbis ſignificatas, tot novæ opiniones, tot jurgia, tot altercationes ceſſarent; exterminatis inprimis illis, ut loqui amant, putidis perſonarum inſectationibus : Turpe utique lectu, quanta ſæpius animi contentione Lumina ac Principe Eruditorum, Theologi, etiam ii, qui præ aliis pii videri cupiunt, & alii, magno cum Lectorum ſcandalo, ſibi invicem vitia exprobraverint, ac morum minus probatorum objectatione toti literato orbi facta, famam nominum, Eruditionis, modeſtiæque graviſſime læſerint. Poſſem his alia addere emolumenta inde fluentia; ſed nihil ulterius, niſi illud urgeo : Ipſas Imperii Germanici ordinationes & Leges, ea a

Typo-

Typographis jam dudum requiſiviſſe: Sic enim in *Additionibus ordinationum Politicarum de Anno 1527. ad 1535.* publica Ordinum authoritate conſtitutum eſt: Es ſoll keinem Buchdrucker zugelaſſen werden / der nicht zuvorhin von ſeiner Obrigkeit / da er häußlich ſitzet / darzu redlich / erbar (utinam adderetur gelehrt) und allerdings tüglich erkennet / auch daſelbſt mit ſonderbahrem leiblichen Eid beſaden / in ſeinen Trucken / jetzigen und andern Reichs-Abſchieden gemäß zu verhalten. Ferner ſollen einem jeden allerley läſterliche Bücher / Schrifften / Carten / und Gedicht in Truck zu geben / oder zu trucken / durchaus bey hoher Straff / ſo wohl Verluſt der Bücher als Truckereyen / verbotten ſeyn. Es ſoll auch keiner etwas zu trucken Macht haben / das nicht zuvor von ſeiner Obrigkeit erſehen / und alſo zu trucken ihme erlaubet wäre. Es ſoll derſelbe auch des Tichters oder Autoris gleichfalls ſeinen Namen und Zunamen / die

Stadt und Jahr-Zahl darzu ſetzen / da aber deren Dingen eins oder mehrs unterlaſſen / ſollen nicht allein die gedruckten Bücher / Schrifften und Carten von der Obrigkeit confiſcirt / ſondern auch der Trucker / und bey weme die zu kauffen / oder ſonſten auszubieten begriffen / an Gut / oder ſonſt nach Gefallen / und vermög gemeiner Rechte / unnachläſſig geſtrafft werden / ꝛc. Si hæc obſervarentur melius utique res noſtræ ſe haberent; ſed quot Anonyma ſcripta? Quot impudica carmina? etiam iis voluminibus immixta, quæ bona alia & a magnis profecta viris videntur? Quot plagulæ invectionum & injuriarum plenæ propelluntur? Quot impia dogmata foventur & incruſtantur? idque fit prætextu relinquendæ conſcientiarum libertatis; hoc eſt, ut quod res eſt, dicamus: Scriptori concedendum eſſe, ut ſcribat, quicquid placeat. Optime igitur Magiſtratum facere judicamus, quem harum rerum ſollicitudo tenet, ſi ſuo ſatis facit officio, ſic enim & ſibi ſuæ-

ſuæque tranquillitati, & quieti Rerum publicarum non minus quam Eccleſiæ conſulet. Sed hæc hactenus; ad ipſos enim Correctores tandem cura noſtra convertenda eſt. Verum cum & hic diſcrimen maximum appareat inter veteſtiores & recentiores, paullulum adhuc disquiſitioni hujus negotii erit inſiſtendum. Habuerunt Veteres ſuos Bibliopolas; habuerunt Scriptores Librorum; Habuerunt Correctores. Illi tales non raro erant, quales apud nos certatim habentur, ut *Lucianus* de iis teſtatur, cujus verba *Clar. Schoëttgenius in diſſertatione* erudita *de Bibliopolis & Librariis Veterum*, latine hunc in modum reddidit: *Quis autem cum Bibliopolis de Eruditione certabit, qui tot libros habent & vendunt? Sed ſi forte mecum diſputare velis (quare Tibi hoc objiciam) videbis, eos, quod Eruditionem ſpectat, Te non multo eſſe meliores, ſed barbare eos loqui, ſicut Tuquoq; ſoles, & nihil plane intelligere, quales illi ſunt, qui nihil boni aut mali unquam cognoverunt.* Conveniunt etiam iſti in aliis vitiorum

generibus, cariori ſua vendebant pretio, laudabant Scriptores, ut venales protrudere poſſent, quamvis nulla interdum laude dignos, unde *Martialis* L. XIV. Ep. 194.

Sunt quidam, qui me dicunt, non eſſe Poëtam,
Sed qui me vendit, Bibliopola putat.

Quod Scriptores attinet, ranciora primis Seculis fuiſſe ſcripta, crediderim, & cariora, quam recentioribus. Nam ordinibus Monachorum ortis, ignavi iſti homines nihil, quod agerent, habebant, niſi ut de ſcribendis codicibus, modo antea jam indicato, vacarent. Nec tamen Correctores deerant a quorum fide & induſtria codices commendabantur; Eum vero laborem vel Autor ipſius libelli, vel alii mercede ad id conducti ſuſcipiebant, a quibus etiam Indices adjici ſolebant. Unde *Sidonius L. V. c. XV. ad Ruricium* citante Schoëttgenio: *Librum igitur*, ait, *Heptateuchi ſcriptum velocitate ſummâ, ſummo nitore, quanquam & nobis relectum & retractum. Defert & volumen Prophetarum, licet me abſente*

abſente decurſum, ſua tamen cura manuque de ſupervacuis ſententiis eruderatum; nec ſemper illo contra legente, qui promiſerat operam ſuam: Credo, quia infirmitas fuerit impedimento, quo minus pollicita compleret. Obſervat præterea laudatus Schoëttgenius Bibliopolas laudaſſe merces ſuas, nonnunquam in emendatos libros pro emendatiſſimis inſcio Lectori vendendo, exemplumque *ex Gellio L. V. c. 4.* adducit. Grammaticum quempiam e nobilioribus ab emtore ad ſpectandos libros adhibitum, reperiſſe unum in libro mendum: Sed Librarium in quodvis vocaſſe pignus, ſi in una uspiam litera delictum eſſet. Et ego mihi facile perſuadeo, iis temporibus, quibus adhuc literæ valebant, & Bibliopolas & Scriptores & Correctores excelluiſſe; nec tamen id negandum, imminente poſt quartum, imo tertiūm, ſeculum barbarie, omnia iviſſe in pejus: Ipſi enim, qui Eruditi vocari cupiebant, Bardi erant, & vix primis tincti literis Seculis præcipue IIX. IX. X. XI. XII. ſeqq. Quid igitur de reliquis

boni exſpectari potuerit non video. Remittente vero Sec. XV. immani iſta ſtudiorum barbarie, & reliqua ceſſura videbantur mala. Nam arte Typographica inventa, aderant non niſi ſcripta, manu peſſime picta. His autem, ut genuinus ſenſus, quem Autores indigitaverant, reſtitueretur, non inepti, & pingui Minerva ludentes idonei erant viri, verum doctrina varia liberaliter inſtructi. Tales proinde plurimi fuerunt, qui in recenſu mox inſtituendo occurrent, Græce, Hebraice & Latine bene docti. Nam Patrum ſcripta Voluminaque, quæ & quanta ſint, quis ignoret? & quanti labores fuerint in reſtituendis iſtis, quis non miretur? Interim tamen plenaria utebantur poteſtate, quidlibet mutandi corrigendique, unde Patres S. ita caſtigatos in Locis Romanæ Eccleſiæ addictis Correctorum culpa prodiiſſe conſtat. Quidam autem vel in ipſis Typographorum ædibus has navabant operas, quidam vero per ſcripta conſulebantur; Cujus rei fidem facturus exhi-

exhibebo literas, a *Johanne Amerbachio* ad *Reuchlinum* missas, & a *Venerabili Majo Vitæ ejusdem 8. editæ p. 71.* insertas, quibus loca quædam Hieronymi explananda cupit. *Sunt enim*, scribit, *Vocabula in antiquis libris ita corrupte scripta, quod literas quoque non cognosco. Quapropter ea Vocabula Græca, quæ non intelligo, quaternionibus quibusdam depinxi, eo modo, quo potui ex antiquis libris, & eis breves sententias ex Commentariis præmisi, dedique ea omnia religioso viro Conrado Leontario, tibi, ut ait, notissimo, ad Te deferenda, qui & mihi affirmavit, rem meam apud Te promovere, & instare, ut operam des illorum emendationi & Correctioni. Quod & ego ea instantia, qua possum, peto, & pro laboribus quicquid petieris, libentissime dabo. Si autem me derelinquis, neminem scio in Alemannia, qui me juvare possit.* Paria etiam præstitit, celeberrimus Altdorfensium Polyhistor, *Conradus Rittershusius*, qui sæpius in consilium a Typographis vocatus, lubens & strenue eos juvare solebat. Unde, quanti fue-

rit tunc temporis Ars Critica habita, haud obſcure patet. Quæ tamen ſucceſſu annorum, cum ejus uſus adeo inſignis non amplius eſſet, fere iterum exſpiravit, aut in nænias nugasque inutiles abiit, unde etiam Correctores recentiorum temporum ea doctrinæ vi non inclaruere, ut iſti. Interim tamen dolendum ita evanuiſſe & artem ipſam & reliqua ejus ornamenta. Unde jam *Thom. Garzonis in Piazza Univerſali diſcurſ.* 128. vertente ſic *Ahaſvero Fritſchio*, piiſſimo Juris-Conſulto, *in Schediaſmate de Juribus Typographiarum*, ſcripſit: Bey dem Trucken hat man heutiges Tages keinen ſonderlichen Mangel / als daß ſie bißweilen um der Wolfeilung willen einen ſchlimmen Vocativum zum Correctore nehmen / der in geringen Sachen mehr Fleiß anwendet / als in was rechtſchaffenes. Melius vero vera hæc exprimit Pius & Beatus *Mengeringius in Scrutinio Conſcientiæ*: Es wollen die Buchdrucker offtmals nicht etwas ſpendiren / und aufwenden / daß ſie einen

einen verſtändigen und gelehrten Correctorem in den Druckereyen hätten / und hielten / der die Materie cum judicio revidiren / und corrigiren thäte / ſondern Hümpler und Stümpler / halbwächſige Studenten / Penäle und Pedanten / die nehmen quid pro quo, und ſchauen aus Unverſtand oben hin / daß offt die Correctur eben lang / wann ein Opus publicirt worden. Optime ſane judicavit vir candidiſſimus, cum quo conſentire videtur Celeberrimus *Caveus in Prolegomenis Scriptorum Eccleſiaſticorum ed. Genev. fol. 1693. §. V.* ſcribens: *Alii ſunt, qui Typographiæ quidem ſuæ Curatores ac Correctores admovent, virosque alunt libris prelo parandis invigilaturos, ſed vili pretio conductos, ignaros nempe & ignavos Monachos, qui levi, quod ajunt, digito, rem ſuam oſcitanter agunt, & pro uno vitio ſublato, immenſo mendarum cumulo libros augere ſolent: ut de prelis Lugdunenſibus aliisque nonnullis, non infimæ notæ viros conquerentes non ſemel audivi.* Meditare ſaltem, benevole Lector, &

perpende quæſo, quot hodie invenire poſſis Correctores doctos? perpauci ſane erunt, idque ideo, quoniam nonnulli, aut latent, aut latere ipſi ultro cupiunt, cum vana perſuaſione labores iſtos ſua gravitate & doctrina indignos cenſeant, alii vero minus ambitioſi, ut non vereantur innoteſcere, tanta tamen vulgarium hominum copia quodammodo opprimuntur, ut juxta cum illis in tenebris deliteſcant: Plerique vero fungi ſunt, & ea indole, qua Mengeringius antea depinxerat. Quibus rebus fieri ſolet, ut plurimi Scriptores in Academiis præcipue, ſuos fœtus in lucem emittendos purgare & ipſi neceſſe habeant; quo labore a reliquis negotiis promte agendis non ſolum avocantur, ſed etiam, ubi ſe abſentibus quid excudendum ſit, longa opus habeant mendorum Typogr. deprecatione. Non deſunt quidem in quibusdam locis Magiſtratum mandata, & *Petrus Rebuffus tractatu de Privilegiis Univerſitatum* ſcripſit: *Ob id bonum eſſet, ſereniſſimum Regem ſtatuere, neminem*

nem posse imprimere, nisi haberet Correctores doctissimos, & paulo post : *Scio, quod hæc Parisiensis Universitas suis Librariis juratis præcipiat, ut Correctores idoneos haberent, sub pœna privationis.* Gedanenses certe prudenti admodum consilio Typographis injungebant, si pagina tria vel quatuor ostenderet vitia, recudendam esse, si efflagitaret Autor, sine hujus impensis. Optaverat jam hujuscemodi *Cel. Lipsius*, de quo *Beyerlinckius in Theatro Vitæ Humanæ* refert, dixisse: *Correctores hoc difficillimo rei Literariæ tempore, utiles necessariique sunt, non ii tamen promiscui, non indocti, rapaces Petrones, sed qui consilio reque ipse juvare scriptores possint.* Robertum Stephanum decem aluisse hujusmodi viros in ædibus suis, certis monumentis constat; ipsum vero etiam omnia revidisse, & in plateis paginas suspendisse, pollicitumque pretium certum pro singulis erroribus Typographicis, relatum habemus. Id si fieret a nostris Typothetis, Iro pauperiores brevi omnes crediderim futuros. Do-

lenda

lenda hæc ſunt, & optanda meliora fata. Nos interim non male actum fore judicamus, eos plagulis quibusdam recenſere, & merita extollere, qui in hujusmodi laboribus deſudarunt. Quorum adeo Centuriam ab aliquo collegimus tempore, & nunc etiam exhibemus. Equidem videbis B. L. nonnullos non comparere in hoc indice, quos vel Tu, vel alii intuliſſent. Sunt vero *Conradus Goëdenhuſen* Juris-Conſultus, & *Cornelius Schrevelius* Medicinæ Doctor & Gymnaſii Lugd. Rector, quorum ille Amſtelodami, hic Lugduni in Belgio emendationis curam habuere Corporis Juris Juſtinianei, cum notis integris *Dionyſ. Gothofredi*, opera & ſtudio *Simonis* van Leeuwen / Juris-Conſulti Lugd. editi fol. 1663. ita quidem, ut Goëdenhuſius Codicis Novellarum, & quæ has ſequuntur capitum, rationem habuerit; Schrevelius vero Inſtitutiones & Pandectas correxerit: uterque ob eos labores non ſatis laudandi. Similiter *Dan. Guil. Mollerus*, Poſonienſis Hungarus, Prof. Metaph. & Hi-

& Hiſtoriarum Altdorfinus, ante aliquot annos mortuus, ex Itinere Italico redux Argentorati aliquamdiu ſubſiſtens *B. Dorſchei* Biblia Numerata ſub prelis ſudantia erroribus liberavit Typograph. *David Clodius*, Celeberrimus Giſenſium Prof. curam geſſit Lexici Arabici a *Clar. Golio* conſcripti & in fol. editi. *Hippomeneus Trapezuntius*, Eruditus Græcus, Conſtantinopoli Venetias miſſus eſt, ut Correcturam Lexici ſ. Theſauri univerſi Græcæ linguæ ageret, *Varini Phavorini Camertis Nucerini* Epiſcopi editi 1711. fol. recuſi Lipſ. apud Gledituchium & Weidmannum, de quo conferatur Bücher-Saal P.XXV. p. 2. ut nihil dicam de veteribus quibusdam, *Johanne Sybero*, *Germano*, qui floruit Anno 1548. in Italia. *Thoma Genuenſi de Valerano* Correctore Venetiano An. 1561. quem laborem exhibuit in Cornu Copiæ emiſſo & emendato a *Benedicto Brugnolo*. Taceo item *de Hieron. Salio Faventino*, & *Georg. de Ruſconibus*, quorum ille Bononiæ Anno 1488. alter vero Venetiis hujusmodi curas ſuſceperant.

rant. Prætereo etiam *Franciſcum Garſiam*, Profeſſorem Theol. in Tarraconenſi Academia, *Matth. Moretum, Brixienſem, Johannem Santonum de Baſſonis*, Med. Doctores; Petrum Loslein de Langenzen, qui Appianum pulcherrimis typis Venetiis Anno 1477. correxit. Johannem & Gregorium de Gregoriis itidem Venetiis clareſcentes. M. Jacobum Merlinum officinæ Aſcenſianæ Præfectum, & alios forſitan in Centuria altera memorandos. Et quis omnes norit, qui pauca & non niſi ſingula ſcripta fidei ſuæ commendata habuere, quos ſicco tranſire pede conſtitui. Omiſi etiam eos, qui non niſi ſua volumina emendarunt. Ideo anxius diu hærebam, memorarem ne aliquid, vel ſilerem, de viro apud Remonſtrantes ſplendidiſſimo, & undiquaque celebratiſſimo, *Johanne Clerico : Burmanni* veſtigiis ſi placuiſſet inſiſtere, utique in numerum Correctorum eum retuliſſem: Ille enim inter alia objecit Clerico, quod, antequam ad officium publicum promotus fuerit, corrigendis codicibus

dicibus Amſtelodami operam navarit. Et quod maximum, eum in emendando apud Huguetanos Heſiodo, Clariſſimo Gräfio curante, in lucem emittendo, inſolentem egiſſe Correctorem affirmat, ea, quæ Gräfii fuerant, ſibi tribuendo, mutatoque titulo, ex recenſione Gräfii, fraudulenter ſupponendo, ex recenſione Clerici. Quo dolo comperto, Gräfium vix eo redigere rem potius ſe, ut nomen & Exemplaria ita excuſa reſtituerentur. (Præter hæc ignorantiam in Græcis, animum maledicum, in eos præcipue qui mortui, & quos vivos veneratus admodum fuerat, objecit. Addidit genium viri in ſcripturis interpretandis nimis ſolutum & liberiorem, uxoris etiam Polygraphi iſti *Greg. Leti* filiæ Magnificentiam, Luxum & Opulentiam.) Hæc & alia a Perizonio & Burmanno aliisque Clerico exprobrata, quibus vero audacter ſemper reſtitit, repetenda fuiſſent. De quibus cum meum non ſit judicare, illud ſaltem moneo, quod ipſum attinet Burmanni effatum de curis Clerici

Typogr.

Typogr. acriter etiam huic imputationi contradixiſſe novi, per calumniam & maledicentiam hæc tradi contendentem indignumque hoc opus ſua doctrina & gravitate exiſtimantem. Utut illud nunquam negaverit, quod in ſuis ſcriptis impreſſis & recuſis talem præſtiterit operam. Hac igitur de Cauſa omiſi Clericum, & hoc loco paucis mentionem ejus litigii feciſſe ſufficere arbitratus ſum. Pari modo tranſire lubuit, *Marcum Meibomium*, qui una cum Clerico editionis nobiliſſimæ in Belgio excuſæ, Diogenis Laërtii Vitarum Philoſophorum ejusque correctioni præfuiſſe dicitur. Neque etiam præter *Plantinum*, *Henricum Stephanum*, *Frobenium*, *Oporinum*, & *Golzium* mentionem de aliis Typographis feci, qui libros ex officinis ſuis prodeuntes reſtituerunt; nam hoc modo omnes Eruditi Typogr. de quibus hæc peregiſſe probabile eſt, in Catalogum meum referendi fuiſſent. Eos autem, quos hic vides B. L. breviter recenſui, addidi tamen, ex fide dignis Biographis

vitæ

vitæ fata pauciſſimis, & qua brevitate potui, delineata. Libros vero ipſos, quos ſinguli emendarunt enumerare nolui, quin etiam ſi voluiſſem, faceor, non potuiſſem. Nam quod vetuſtiores ſpectat, vel prorſus iis latent, vel obſcurius nobis innotuere, & ut Chronologiæ parum reſpondeat. Quod ad recentiores vero attinet, paucis interdum eosdem tetigi vel ad annum impreſſionis reſpicere juſſi. Ipſum vero hoc negotium exactius peragendum, quamvis utiliſſimum foret, & ad notitiam librorum, eorumque nobilem præ aliis prærogativam apprime faceret, meis tamen humeris grave nimis onus judicavi; relinquendam igitur aliis in hoc mari literario magis verſatis duxi, quibus non erit arduum & moleſtum ad noſtram qualemcunque opellam ſubinde obſervata, ut fieri ſolet, fundamentis poſitis, addere. Neque etiam, ſi quæ a nobis animadvertentur accuratiora, cum B. L. ea communicare impoſterum dedignabimur. De reliquo ordine Alphabetico prima

hæcce lineamenta a nobis ducta, benevolentiæ & æquitati Lectorum iterum iterumque commendamus, agnitaque tenuitate noſtra, ſi quando hallucinatiſſimus, modeſtæ & ex amore veritatis profectæ correptioni lubentiſſime cedemus. Si vero viderimus gratas has primitias viris bonis & acceptas eſſe, de Momis parum ſollicitis opella quadam haud diſſimili *de Typographiis Privatis* ulteriorem favorem nobis conciliare annitemur. Quibus præmiſſis jam primus eſto in Elemento

Petrus Alcyonius,

MAgnæ Seculo XVI. celebritatis vir, ac literarum Latinarum pariter ac Græcarum Anno præcipue a Nativitate Chriſti 1530, lumen Italiæ fulgentiſſimum: quodque eo clarius præ aliis emicare potuit, quo præſtantiora certatim quaſi tunc temporis ſtudia elegantiora ſectantia extitere alia. Erat autem cum primis publice literas profidendi facultate clarus ac Florentiæ maximam

ximam de se concitaverat exspectationem, quamquam abreptus sæpissime laboribus aliis apud Venetos suscipiendis fuerit, quibus multos & elegantes peperit, aut si mavis aliorum in partu adjuvit fœtus. Siquidem apud celeberrimum Aldum Manutium, omnium Typographorum facile Principem, officinæ chalcographicæ, corrigendis typorum erroribus operam navavit, mercede menstrua constituta, & cum *Galeni librum de Animalium partibus* ex Græco in Latinum transtulisset sermonem, præter fixum præmium, decem amplius in singulos menses aureos obtinuit nummos, ex liberali donatione Cardinalis Medicei. Hoc in Pontificem electo, majora fortunæ suæ incrementa sibi imaginatus, primo quoque tempore ipsum Romam, nemine tamen invito, adire laboravit. Sed a Florentinis detentus, nec dimissus est, nisi postquam alius Vir Eruditus inventus erat, qui locum Alcyonii occuparet, & pro muneris ratione, ea, quæ desiderabantur, præstiturus esset. Quod cum

difficulter procederet, abiit tandem nemine ſciente exceſſitque cunctis ignorantibus, atque Romam evaſit. Obtinuit tamen mercedem deſertione iſta promeritam, ut ut nihil eorum inveniret, quæ ſibi erat pollicitus, Medico quippe ex Purpurati dignitate ad Papalem evecto, mutatoque longe ab illo familiari Alcyonii, qui quondam erat. Multis tamen annorum intervallis præterlapſis, poſtquam Romæ etiam corrigendo ſudaverat, tandem non deerat illic provincia, cui præficeretur nova, quam etiam publice, docendo non ſine magna Auditorum frequentia, omni ſtudio omnique diligentia & conatu adminiſtrabat. Sed hæc temporum tranquilla facies turbulentis motibus inter Columnenſes atque Pontificem exortis, fœde turbabatur: Cæſaris enim Caroli V. copiis Romam armata vi expugnantibus, Alcyonius, arcem Æliam, quam & Molem Hadriani dicunt, fuga ſalutem quæſiturus, vulnere in brachio accepto, ingreſſus eſt; quæ incommoda duabus poſtea orationi-

bus

bus, quibus de crudelitate militum Cæſaris querelas effudit, ſe ſatis ultum eſſe putavit. Nihilominus deinde Clementis partibus deſertis ad Pompejum Columnam tranſiit, ejusque & Imperatoris facta omni ſtudio defendit; nec non paulo poſt vitæ finem homine literatiſſimo indignum, eſt conſecutus. De reliquo, ſi *Jovio* fides habenda, *fuit neglecti vitæ generis, non ingenuis ſed ſordidis præditus moribus, impudens, Gulæ mancipium, ut eodem ſæpe die ter, imo ſæpius, cœnitaret.* Hæc autem Jovium infenſiſſimo, peſſimoque, & ut dicam, quod res eſt, invido ſcripſiſſe animo, non pauci ſunt, qui tradunt, Alcyoniumque defendunt. In eo *Pierius Valerianus L. de infelicitate Literatorum*, cum Jovio conſentit, *quod multum ſemper ſibi arrogaverit; de omnibus Eruditis maleſentiens dicaciſſima omnes laceratione, detrectaverit, cunctorumque, tam doctorum, quam imperitorum odium in ſe concitaverit.* De varia ejus mente & perfida ſatis certe teſtatur deſertio, officii Florentiæ, laborum Aldo

præſtitorum, quæ ad finem ſe continuaturum promiſerat, & derelictio denique partium Pontificis, qui ante cum foverat & defenderat, id quod in pejorem partem nemo non ei interpretabitur. Ex *ſcriptis*, quæ nobis reliquit, eminent *Commentarius in Ariſtotelem, in quo cum perperam inſolenterque quædam vertiſſet, Sepulveda, vir Hiſpanus, egregiè de literis meritus, edito volumine, peracuta in eum contorſit jacula, tantis quidem Literatorum plauſibus, ut Alcyonius ignominiæ dolore miſere conſternatus, Hiſpani hoſtis libros, in Tabernis gravi pretio conquiſitos, publice igni concremare neceſſe habuerit.* Audiamus Longolium, qui Ep. ult. L. III. Epp. eleganter ſatis hanc iram Alcyonii depinxit, *ut hominis*, ſcribens, *ad tantæ contumeliæ nuntium vultum videas, quod unum ſane ſpectaculum tibi magnopere invideo: Nunquam enim is ex oculis laborabit, qui tum ejus frontem ſpectavit.* Commentario huic adjungo libellum elegantiſſimum *de Exilio ſive de Legato Medices Venetiis apud Aldum.* An-

no

no 1522. quam editionem ipſe correxit, ſicut & alia plura circa ea tempora in hac officina excuſa. Prodierat hic liber etiam Anno 1624. Aureliopoli, & Baſil. 1546. quem quoniam rariſſimus & cariſſimus factus, inque paucorum extiterat manibus, non ita pridem recudi curavit, & utiliſſimo inſtituto *cum Pierio Valeriano* de Infelicitate Literatorum, *Cornelio Tollio*, de ſimili argumento *Joſephoque Barberio* de Miſeria Poëtarum conjunxit celeberrimus *Joh. Burch. Menckenius* Lipſ. 1707. 12°. Verum hoc etiam opuſculo partam Alcyonio gloriam ſuffurari denuo quidam auſi ſunt, præeunte nequiſſimi Elogii, ut *Clar. Menckenius* vocat, ſcriptore Jovio; In quibus eminet *Paulus Manutius* in Epp. ubi, *Librum*, ſcribit, *Tibi celeriter mittam de gloria: qui (duos enim Cicero ſcripſit) usque ad Patrum noſtrorum ætatem pervenerunt; Nam Bernh. Juſtinianus in Indice librorum ſuorum nominat Ciceronem de Gloria. Is liber poſtea cum univerſam Bibliothecam Monacharum Monaſterio legaſſet, magna*

conquiſitus cura, neutiquam eſt inventus. Nemini dubium fuit, quin Petrus Alcyonius, cui Moniales Medico ſuo tractandæ Monaſterii Bibliothecæ poteſtatem fecerant, homo improbus furto averterit. Et ſane in ejus opuſculo de Exilio, adſperſa nonnulla deprehenduntur, quæ non olere Alcyonium autorem, ſed præſtantiorem artificem videantur. His accedit, ut ſolet, *Jovius Elogior. p. m. 267. & alii plures.* At defendit eum, & ab hac contumelia purgavit laudatiſſimus *Menckenius*, *Rich. Bentleji* Angli celeberrimi nixus teſtimonio, quem conferre poteris. Ne nimis vero longus in his, quæ jam cuivis nota ſunt, videar, meminiſſe ſaltem juvabit, Verſionum ex Græco in Lat. variarum: Iſocratis & Demoſthenis, variorum etiam Scriptorum Ariſtotelis, ita quidem, ut ab Eraſmo & aliis non ſatis abunde potuerit. Videatur Bælius in Lexico Hiſtorico Critico Ed. Nov. T. I. p. 152. Pierius Valerianus Ed. Lipſ. p. 342. & præfatio inprimis Menckeniana. Morerius in Lexico Univerſ. &c. Pergimus ad alterum

Adria-

Adrianum Albinum.

PArens ille Studiorum atque Doctorum optimus natus est Laubani, oppido Lusatiæ superioris satis venusto, Anno Christi post Millesimum & quingentesimum, decimotertio, duodecimo Calendarum Novembris. Nomen quidem a Patre Gregorio adeptus fuerat Weisii, id vero nota sub id tempus inter Literatos Κακοζηλία in Albinum transtulit. Fundamentis studiorum in ludo Patriæ & Svidnizensi, positis, altiora & graviora degustaturus, Poloniæ Civitatem nobilissimam, & Musarum sedem ea tempestate celeberrimam Cracoviam adiit, literis ibidem elegantioribus operam indefesso studio navaturus. His igitur sese abdidit totum, ac præcipue carminibus exquisitius conficiendis studuit, eo quidem successu, ut omnium favorem consecutus, paulo post honores sibi debitos acquisiverit. His autem posthæc laboribus non quidem abdicatis penitus ad tempus tamen sepositis in cognitionem

Juris profundiorem, vires intendit ſuas quam etiam non vulgarem brevi temporis decurſu eſt adeptus. Abhinc a Senatu illuſtri Wratislavienſi ad officium Con-Rectoris in Gymnaſio S. Eliſabethæ ſacro petitus, *Andreæ Wincklero*, viro admodum conſpicuo operarum Scholaſticarum fuit Collega. Muneri huic fidelem ſeſe atque induſtrium præſtitit, omnium favore in ſe concitato, ita quidem, ut Capitanei urbis, *Johannis Mezeleri* filio, cum Academica aggrederetur ſtudia, vitæ doctrinæque moderator fuerit datus. Eo Vittenbergam in Saxonibus deducto, *Megalandro* illic *Luthero* & *Melanchthoni* ob doctrinam & vitæ probitatem fuit commendatiſſimus: quorum etiam opera in officina Typographica *Rhauiana* & aliorum, Librorum exprimendorum curam & Correctionem ſibi creditam habuit, iſtoque labore utiliſſimo non exigua ſimul ſtudiorum ſuorum fecit incrementa. Nunquam certe pœnituiſſe eum hujus operæ conſtat, quin potius incitamenta & adminicula ad erudi-

eruditionem in foro etiam Theologico perveniendi ſibi fuiſſe ipſe tradidit: præcipue cum ſtudiis juridicis non poſthabitis ſimul ſatisfecerit quam cumulatiſſime. His laboribus tamen & Civitati ipſi poſtea valedixit, & in Italiam peregrinatione facta, Mezelero, incertum quo morbo, Bononiæ defuncto, acceptis illic Doctoris Privilegiis & honoribus, per Galliam paravit reditum; atque eo non ſine fructu in Germaniam, doctrina inſtructus multifaria, ex Juris-Conſultorum, præcipue Anſovini de Medicis ore hauſta, felix fauſtisque avibus reverſus, Lipſiæ docendo mox inclaruit. Factum deinde, ut a Joachimo II. Anno 1543. Francofurtum ad Oderam deſideratus fuerit, & Jura ſummis omnium laudibus docuerit. Ad majora tamen a DEO ſervatus, paulo poſt a Marchione Johanne ad Conſiliarii, & Cancellarii in Nova Marchia munus fuit evectus: Cui magno & honorum & negotiorum officio, quamvis renitens primum per annos complures maxima fide, ac indefeſſis

defeſſis viribus præfuit. Quo tempore variis, iisdemque etiam negotiis publicis implicitus, aliquot ſubiit legationes, ac Principibus & Ferdinando Imperatori Auguſtiſſimo, ad Transactionem Paſſavienſem miſſus, fuiſſe dicitur chariſſimus, ut etiam Elogio ſplendido, & Nobilitatis honoribus ab eo donaretur. Qualem & Cæſaris Maximiliani II. benevolentiam meruit, ut clementiorem optare ſibi vix potuiſſet. Tandem duplici quidem matrimonio contracto, at nulla prole hærede relicta, obiit. Poſt fata Mæcenatis Literatorum laude mactatus. E vivis autem exceſſit A.S.R. 1590. ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, inter alia maximum ſui deſiderium variorum Principum virorum, inprimis *Georgii Friderici* Marchionis Brandenb. reliquit, qui in lectulo Fatali decumbentem inviſit, & lacrymis etiam fuſis fidum ſuum ac candidum Albinum, cui ſimilem inter Principes iſthæc ætas non conſpexiſſe ferebat, deploravit, hoc ipſo amorem, quo proſecutus cum fuiſſet aperte oſtendens. Sepultus eſt

in

in æde ſacra Cüſtrinenſium, monumentumque ſibi poſitum promeruit Encomiis eximium: Quod legere ſi vis, poteris in Clariſſimi Becmanni Notitia Univerſitatis Francofurtanæ fol. 1707. Ed. p. 187. ex cujus vita Albini excerpta hæc me accepiſſe, gratus profiteor. Sequuntur

Bruno & Baſilius Ammerbachii Fratres.

CEleberrimus *Autor* des Verſuches zur Einleitung in die Hiſtoriam Literariam derer Teutſchen / P. III. c. I. p. 231. tractans de Typographis fama induſtriæ & Eruditionis claris, aliquot ſimul inſperſos eorum Correctores mihi, quod fateor lubens, ſuppeditavit. Occurrunt autem inter alios, quos recenſet, Typographos, *Johannes Frobenius*: Huic cum aliis in corrigendi opere Johannem & Vitum Ammerbachium dediſſe operam clariſſimus Autor tradit: Verum, cum quædam circa horum virorum labores mihi venerint in mentem dubia, ea explicanti, ut condonet, mode-

modeſte rogo. Fuit Johannes Ammerbachius inter primos, qui artem excudendorum librorum Baſileæ exercuit; pater trium filiorum, Bonifacii Juris-Conſulti famigeratiſſimi, Baſilii & Brunonis, claruitque maxime ſub initium Seculi XVI. Vitus vero Ammerbachius patria Vedingenſis, in Schola Lutheri & Melanchthonis formatus, Profeſſor poſtea Ingolſtadienſis creatus eſt, de quo nusquam, tale quid egiſſe, memini me legiſſe. Neque etiam Johannes ille, Frobenio libros emendaſſe mihi videtur: Siquidem prior ætate & tempore Frobenio erat: quin imo conſtat, rem Typographicam eum jam tractaſſe, cum Frobenius ſe illi tradere incepiſſet. Præterea etiam Frobenium potius Ammerbachio adfuiſſe in hujuscemodi laboribus, exploratum habemus, & jure optimo tuemur. Ea, ut confirmemus, adducenda erunt, quæ in Vita Frobenii, a me, & quidem, ex *Adami vitis Philoſophorum* repetentur. *Erat Frobenius*, inquit ille, *ex Hamelburgo Franconiæ oppido, una cum Adamo Petri*,

etri, ex Langendorf, propinquo loco, Basileam vocatus, ab ipso Johanne de Ammerbach, & Johanne Petri, Typographis Basileensibus; Hisce, cum præclaram operam navarent, postea succesſerunt, & ad artem illam, ea in urbe, accessionis non parum attulerunt. Quid clarius dici potuerit non video: illud certe mihi vix persuadere possum, Johannem Ammerbachium jam decrepitum & Seniorem, Frobenio juniori, imo post fata hujus inclarescenti, corrigendo operam locasse, præcipue cum hunc ab illo emerito, officinam accepisse *Beyerlinckius*, ut rem abs dubio tradat, *in Theatro Vitæ Hum. Tom. VII. L. T. p. 238. ed.* Lugd. ap. Huguetanos 1555. fol. Addam, ut major sit fides dictis, & tandem, quinam isti Ammerbachii Correctores fuerint, emineat, alia adhuc verbo laudati Adami, in vita Erasmi obvia, quorum cum singula exscribere noluerim, sententiam tantummodo explicabo. Erasinum nempe officinæ diligentioris Frobenianæ motum, Basileam profectum, præcipue cum audi-

audiviſſet, Hieronymi opera prela illius fatigatura eſſe, huic operi commoda quædam ſe præſtiturum putaſſe. Nec vana etiam ſpe fuiſſe deceptum; ſiquidem, jampridem Johannes Ammerbachius, Ambroſii & Auguſtini libris abſolutis, hoc opus fuerat molitus, conductis hinc inde viris doctiſſimis, in quibus eminent Joh. Reichlinus, & Johannes Cono, qui ex vetuſtis Manuſcriptis, integra Hieronymi reſtituerent ſcripta. Verum Ammerbachio e vivis erepto, opus illud ad Frobenium eſt delatum. Id cum audiviſſet Eraſmus Baſileam venit, ac *novo hoſpiti, ſtatim in ædes Frobenianas recepto, placuit editionis nitor, ſed inprimis Ammerbachiorum fratrum in caſtigando ſedula diligentia &c.* Patet ſane ex his dictis, Ammerbachios quidem vacaſſe apud Frobenium conjunctis viribus & typis horum operum caſtigationibus & emendationibus; Eos tamen non fuiſſe Johannem & Vitum, ſed Baſilium & Brunonem, Johannis filios, qui in patris mortui officina manſiſſe, & cum ipſi ſuis ſumtibus

operi

operi ſatisfacere non potuiſſent, concedentes Frobenio prela corrigendo, aliisque laboribus adſtitiſſe, credendi ſint. Huic vero negotio immortui ne id, quod veriſimile videtur, an aliorſum devenerint, compertum non habemus. Sufficiat hæc monuiſſe, circa ea, quæ a laudatiſſimo *Autore Hiſtoriæ Literariæ Germanorum* dicta ſunt. Equidem non dubito, quin & ſuis non deſtitutus fuerit fundamentis, & aſſertorum rationibus, quibus etiam expoſitis, facile me erraſſe profitebor. Conf. Adami Vitas Philoſophorum ed. 1663. Francofurti 8. 92. & 95. His adjungendus venit

Johannes Andreæ.

CElebris in primis apud Pontificios & nominis & honoris vir, quem alii appellant, Johannem Andreæ, h. e. Andreæ filium, alii Johannem Andream. Claruit quam maxime, Anno recuperatæ a Chriſto ſalutis Nonageſimo ſupra milleſimum & quadringenteſimum. Juris Eccleſiaſtici ſacri, ut

vocant, itemque Civilis, peritiſſimus, &, a Nicolai Cuſani, Theologi eximii, Decani ad S. Florianum, Archi-Diacqni Templi Cathedralis Leodinenſis, Protonotarii Apoſtolici, & tandem beneficio Nicolai V. P. R. Cardinalis titulo inſigniti, familiaritate valde clarus, ejus quippe fuerat contubernalis, qui amice alius inter ſe vivere ſolent. Hac igitur ex cauſa cum iſtius fortuna, ſuarum quoque rerum feliciora ſenſit incrementa: Nam ad Purpuratum dignitates illo elato, Apoſtolicæ Bibliothecæ Secretarius & ipſe creatus fuit, ac tandem Epiſcopus, ſive ut alii loqui amant, Præſul, & ex mente *Freheri in vita Cuſani*, neſcio vero, quibus fundamentis, aut quo ſenſu, Cardinalis, Alerienſis evaſit. Quæ bene facta noſter Andreas vix aliter compenſare poterat, quam ut Nicolaum ſuum pro roſtris publice elogiis meritis extolleret. De laboribus vero ejus Typographicis mentionem fecit *Marvillius in Melanges d'Hiſtoire & de Literature* Roterodami 1700. 8. excuſis, ubi meminit, quod in

Conra-

Conradi Schweinheim, & Arnoldi Pannarzii Librariis Tabernis Correctorem agere non fuerit dedignatus. Primi isti erant, ut in præfatione monitum est, qui Romæ excudebant; & cum Germani essent, utique necesse erat, ut Correctores haberent Eruditos, & quibus lingua Italica vernacula esset. Ipsi enim gente Germani tantam notitiam hujus & aliarum linguarum vix habuisse creduntur, quæ ad libros correctissime edendos desiderabatur. Bene igitur fecit Johannes Andreæ istos juvando viros, sic enim immortalia suo modo sibi in orbem literatum peperit merita, quæ eo illustria sunt, qua majorem laborem & doctrinam tunc ad hujusmodi operam requisitam fuisse, certi sumus. Obiit tandem septuagenarius fere. Ex operibus, quæ *correxit* eminent *Biblia latina cum opusculo Aristeæ Anno 1471. exc. II. Voll. fol.* cui priori Epistolam præmisit ad Paulum I. Pontificem Rom. scriptam d. 10. Martii 1471. ubi in fine sequentes inveniuntur versus ab eo conscripti:

Aſpicis Illuſtris Lector quicunque libellos,
Si cupis Artificum nomina noſſe, lege.
Aſpera ridebis cognomina Teutona: forſan
mitiget Ars Muſis inſcia verba virum
Conradus Sweinheim: Arnoldus Pannazque, Magiſtri
Romæ impreſſerunt talia multa ſimul.
Petrus, cum fratre Franciſco, Maximus ambo
Huic operi optatam contribuere domum.

Curavit etiam noſter imprimi Livii Libros Hiſtoriæ Rom. ex Manuſcripto Romæ ſervato Anno 1470. apud eosdem Typographicos & pari ſua Sedulitate ornatos. Ipſe vero edidit Commentaria in Librum IV. V. & VI. Decretalium, quibus jura Pontificiarum Regularum continentur, Romæ primum, deinde Venetiis 1583. edita. *Scripſit* etiam *de uſu Feudorum. De Appellationibus: De Sponſalibus & Matrimonio:*

monio: Additiones ad Guilhelmi Durandi Speculum Rom: Extat etiam *Volumen Epiſtolarum*, quod rariſſimum eſt, ad diverſos ſcriptarum, Venetiis excuſum. Videantur Excerpta ex Laudato Marvillio, in denen monatlichen Auszügen von neuen Büchern/ Hanoveræ 8. 1702. in Mart.

Johannes Ludovicus Apin.

MEdicus ex ævo recentiori clariſſimus, & multis honorandus nominibus. Ille editus eſt in lucem Oehringæ Francorum oppido, Hohenloicæ ditionis, Anno poſt Chriſtum natum cIↃ Ↄ LXVIII. duodecimo Calend. Decembris, Parentes nactus eſt bonos, & morum æque ac officii ſanctitate conſpicuos. *Pater* erat *Johannes Fridericus Apin*, Sacerdos Oehringenſis, de Eccleſia puriori iſtius loci meritiſſimus. Ab his igitur bonis artibus innutritus & moribus, cum præcoci indole excelleret *Magiſtro* tandem uſus præ Parentem in Schola *Joh. Jacobo Ludovico* Illuſtris Gymnaſii Oehringenſis Moderatore.

tore. Poſtquam vero Parens è vivis his exceſſerat, laudatus ille Præceptor ſolus autor ſuaſorque, ne a ſtudiis retraheretur, fuit, quem mater ejus ſecuta, filium, editis domi ſpeciminibus egregiis in Academias mittere conſtituit. Altdorfium igitur, nobilem Muſarum eligens, auſpicato petiit. Atque his locis cum in ſtudiis progreſſus facere felices pæne prohiberet res anguſta domi, & quæ a matre vidua ſubinde acceperat, pauca eſſent, ut tantam inopiam, qua premebatur, levarent. *Henrico* igitur *Meyero*, Typographo Altdorfino, pro certo pretio, quæcunque excuderentur, mendis repurgare diutiſſime conſuevit. Eoq; labore nominatim defunctus eſt in *Lexico Medico Caſtello Brunoniano*, quo tum dicti Meyeri fatigabat prela, & aliis pluribus. Nec tamen his negotiis impediri ſe paſſus eſt, quo minus ſtrenue in ſtudiis literarum pergeret; *Roëtenbecci* nempe & *Sturmii* Philoſophorum Clariſſimorum imprimis amicitia uſus, ex eorum Scholis plurimum profecit. Poſtquam igitur

in

in Campo Philoſophico ſatis mentem exercuerat, ad Caſtra Medicorum tranſiit, Doctoribus *Jacobo Pancratio Brunone* & *Joh. Maur. Hoffmanno* potiſſimum operam dedit. Sed ea egeſtas, qua olim laboraverat, adhuc aderat, quam inde etiam colligere L. B. poterit, quod, cum honores pro Eruditione non vulgari capeſſeret, prima vice tunica indutus fuerit ex panno confecta, antea vero nonniſi tenuioribus uſus eſt fundamentis, id quod ſuis ipſum ſæpius narraſſe ex filio, paternarum virtutum hærede, cognovi. Patriam poſthæc repetens, ita Comiti ſuo probavit doctrinam, ut provinciam ordinariam Medici nullo negotio domi impetraſſet, niſi bello interveniente in Noricas retrogreſſus terras, ibidem ſpartam eandem ornandam obtinuiſſet, honores poſtquam Doctorales, *diſputatione publica de Syncope* præmiſſa, ſuſceperat: Nam ab Illuſtri Senatu hujus Reipublicæ oppidum Herzbruccenſe, curæ ſuæ commiſſum accepit. Huic muneri per annos undecim magna laude

& felici ſucceſſu ita præfuit, ut exteris quoque innoteſceret, & *Lucæ* præcipue *Schroeckio*, Medico Auguſtano, & Præſidi quondam Collegii Naturæ Curioſorum celeberrimo inprimis charus eſſet, a quo in Societatem laudatam ultro receptus eſt, *Nonique cognomentum* (qui floruit Medicus ſub Conſtantino Duca circa annum 959.) inditum geſſit. Orbi Erudito ſuam probavit Experientiam tractatu potiſſimum emiſſo *de Febri Epidemica* Anno 1694. & 1695. in Noricæ ditionis oppido Herzbruccenſi, & vicino tractu graſſante, qui Anno 1697. Svobaci excuſus proſtat, & a Celebb. Collectoribus A. E. L. Anno 1697. menſ. Januar. p. 25. non ſine encomio recenſetur, quo etiam Anno noſter *Archiater Principis Solisbacenſis* factus erat. Nonageſimo vero nono in Societatem Medicam Noribergæ florentem; Anno vero 1702. Altdorfium, evocatus eſt, quo poſteriori loco Phyſiologiæ & Chirurgiæ Doctor publicus conſtitutus eſt. Quam functionem oratione *de Temperamentis* habita, alacri

cri animo quidem acceſſit, ſed non diu, neque ultra ſesqui annum & menſes tres in ea adminiſtranda deſudavit, ad immortalem ſiquidem vitam acuta febri, catarrhali, ut vocant, d. XX. Octobris correptus Anno 1703. placide obdormivit. Quod ad ſcripta attinet, præter ſupra citatam Hiſtoricam relationem & aliquot *diſputationes de Principio vitali*, quas Altdorfi *quinque* habuit nihil adhuc nobis innotuit. Paratum verò etiam habet Filius prælo, tractatum *de morbis, qui dum vixerat curandi ei obtigerunt, eorumque cauſis & medelis.* Vid. Programma funebre. Supereſt in Elemento A.

Dionyſius Atanagus.

POëta Italiæ Seculi XVI. Clariſſimus, ob Eruditionem & ingenii bonitatem, animique dona illuſtris & propterea ſuis Civibus, quin & exteris commendatiſſimus, & ab omnibus, qui literas elegantiores amant, maximo ſemper habitus in pretio. Id quod maximopere meruit: Erat enim inge-

nio promtiſſimo, &, quale ſtudia Poëtica poſtulant, excitatiſſimo. Non ubiq; tamen fortuna proſpera eſt uſus; multum enim diuque in patria verſatus, non tamen ad munus aliquod publice gerendum eniti potuit, id quod vel ex obtrectatorum malitia, vel quod in reliquis artibus uti in Poëticis non ita excelleret, ortum ſuum traxiſſe credidero. Unde vitæ ſuæ ſuſtentationi ut conſuleretur cum non haberet, factum, ut, egeſtate attritus, aliud quoddam vitæ genus, alimenta ſibi quærens, circumſpexerit. Pauca enim, imo nulla erant, quæ ipſe poſſidebat; Poëtæ autem, ut qui magis excellunt ingenii, quam judicii, viribus, rariſſime rebus ſuis ſolent proſpicere, ſed ſanguineo quam maxime gaudentes temperamento, varia amant ſtudia, compotationes, amores, ludos, quibus tamen omnibus non augentur divitiæ, ſed dilapidantur, maximo cum diſpendio & vitæ & famæ, eorum præcipue, qui ex munere aliquo publico ſumtus iſtos ſuppeditatos ſibi non habent. Pari igitur in miſeria noſter

noſter poſitus Atanagus, prelo Typographorum inſervire cœpit, quem laborem, viro erudito haud indignum, deinceps ita adamavit, ut vix abduci poſtmodum ab eo potuerit: Conducere enim id videbatur pariter fami depellendæ, & occaſionem largam magis magisque in Literis proficiendi, ſubminiſtrabat. Quibus vero officinis præfuerit, cognitum & exploratum nondum habemus, neque etiam conſtat, quot codices a mendis expurgaverit, quippe ut ſæpius jam monitum eſt, & impoſterum monebitur, altioris indaginis eſt, & nonniſi a viro, cui commercium Literarum cum Italis Eruditis intercedit, vel paullatim inquirendo expectare licebit. Claruit autem quam maxime Atanagus Anno 1567. & reliquit *opus Poëmatum* Anno 1565. editum, & quod elegantiſſimum, facetiisque inſperſis lectu jucundiſſimum utiliſſimumque vocat *Marcus Creſcimbenius*, quem vide in Commentario ad Hiſtoriam Poëſeos Italicæ Voll. II. L. I. p. 252. Nunc progredimur ad literam B, ubi primus erit *Jodo-*

Jodocus Badius,

ASCENSIUS cognominatus: Patriam enim habuit Aſſenum, urbem quandam minorem Ducatus Brabantiæ Anno 1462. Eruditus eſt in ludo patriæ, poſtea Gandavi expolitus, ac tandem ſua perfecit ſtudia Ferrariæ in Italia, ubi ſub diſciplina *Baptiſtæ Guarini* maximos in Græcis Literis fecit progreſſus. Ab hinc igitur onuſtus omnibus Humanioris Literaturæ ſcientiis Lugdunum, ipſe nunc alios optimas artes educturus pervenit. Neque Spes ejus conſilii inanis fuit: Siquidem acceptiſſimus ob Græcam & Latinam linguas, quas profitebatur, claruitque in ea urbe publicus artium Doctor. At præter hos labores, & alios illic ſuſcepit, minus quidem utiles, ſuo tamen ſtudio admodum idoneas. *Johannem* nempe *Trechſelium Typographum* iſtius loci non incelebrem, juvabat in rebus Typographicis, præcipue vero in expungendorum mendorum negotio: in quo aliquot annos non ſine incrementis &

famæ.

famæ ſuæ, & Divitiarum laudati Trechſelii deſudavit. Tandem vero & ipſe hujus artis amore, Eruditis tunc haud raro, captus, officinam inſtructurus Pariſios migravit. Omnibus hic curis ſtudiisque ſuo ſatis fecit deſiderio, eo ſucceſſu, ut non multo poſt & ipſe nominis celebritatem juxta conſecutus fuerit. Namque non niſi optima quæque doctorum virorum ſcripta eaque bene & eleganter procudiſſe fertur. Quod tametſi de plerisque affirmari poſſit, de cunctis tamen non auſim aſſeveranter defendere: Quidam enim mihi viſi ſunt codices ab eo exſcripti, qui, ſi delectaſſe oculorum aciem dixero, a vero me ipſum aberrare crediderim. Edidit vero ut plurimum *Autores*, quos vocant, ſive ſcriptores Claſſicos, Eum notis a ſe adjectis, & recentiorum quorundam opera, ut *Petrarchæ*, *Politiani*, *Laurentii Vallæ*, *Baptiſtæ Mantuani* & aliorum opuſcula. Hæc omnia ipſe ſummo cum ſtudio vidit reviditque & a ſuis nævis purgata Luci publicæ exhibuit emendatiſſima. Tantus

tus ejus de reliquo in ſtudia erat affectus, ut filias ſuas tres (quæ per errorem *in Dictionario Buddeano* Sorores ejus vocantur) ipſe linguam latinam docuerit, in quibus una fuit, quæ Roberto Stephano nupſerat : Eademque ſine dubio erat, de qua *Henricus Stephanus* filio ſuo Paulo ſcripſerat : *Aviæ Tuæ eorum, quæ latine dicebantur (niſi rarius aliquod vocabulum intermiſceretur) haud multo difficilior erat Intellectus, quam ſi dicta Sermone Gallico fuiſſent.* Obiit Aſcenſius tandem Anno 1534. relinquens, uti diximus, *Notas* varias in Scriptores nonnullos veteres, ſenſum Autorum exprimentes: *Silvas Morales* : Librum unum *Epigrammatum* : *Naviculam Stultarum mulierum. Vitam Thomæ a Kempis*, & alia His dictum Epitaphium ejus non niſi unicum adjiciam :

Hac tumulatus Humo, ſibi qui, jam feſſus ab annis
Sponte Typographicum congeminavit onus :
Luci dum libros, libris ferentia lucem
Scripta ſui fœtus tradidit ingenii.

Quæ

Quæ digna eſſe ſua nobis eſt laude fatendum,
Digna ſuo ut Seclo nemo negare poteſt.

Vid. Almeloveenius in Vitis Steph. p. 28. Cl. Buddei Lexicon. p. 261. Maitterii Hiſtor. Stephanorum. p. 168. Hunc excipit

Johannes Antonius Bergellanus.

VIr, ut creditur, doctiſſimus, qui Seculi XVI. nomini claritatem conſecutus, mihi vero nonniſi ex *Mallinkrotio, de Inventione Typographicæ Artis*, cognitus eſt: Ille enim Baſileæ eum vixiſſe, & Typographos hujus loci opera ſua juvaſſe, corrigendo nimirum eorum opera, affirmavit. Ex qua re non rudem, ſed eruditum eum fuiſſe non ſine cauſa judico; eo ſiquidem tempore libri imprimendi ad fidem Manuſcriptorum vetuſtiſſimorum reſtituendi erant; qui vero labor Criticus non bardum, ut in præfamine jam monui, & impolitum hominem, ſed doctiſſimos

mos quosque requirebat viros. Fidem his dictis facturus, accipiat vel unicam plagulam Seculo XII. & seqq. Latino vel Græco idiomate scriptam, & pessime ob abbreviaturas, quibus Monachi compendii gratia nimium quantum indulserant, pictam, investigaturus Scriptoris sensum genuinum, & experiretur, quam sit sudandum, millies abjecturum cum Schedam, credo, priusquam unicæ paginæ sensum habebit verum. Tales vero sub id tempus codices Typographi Basileenses omni labore & sumtu conquirebant, edebantque tanto lubentius Bergellano locum inter Eruditos dare, voluimus. Non sine laudibus igitur ejus meminisse juvabit, utpote cujus fidei & doctrinæ plurima volumina nitide & accurate impressa debere, nos minime dubitamus: quamvis quæ quantaque sint ignoremus. Ceterum extat ejus *Carmen de Chalcographiæ inventione*, ex quo, quamquam rarissimo, tanquam ex ungue Leonem L. B. cognoscere poterit.

Johan-

Johannes Chriſtophorus Beer.

HIc DEI beneficio procreatus eſt Norimbergæ Anno 1638. d. 17. Septembris, *Patre Dominico Beerio* Diacono Seniore, ædis primariæ Laurentio ſacratæ. Ab hoc ad meliorem mentem educatus, totusque literis involutus, *Præceptoribus Schroedero, Riednero, Albino* & aliis mirum quantum profecit. Præter hæc Muſicam didicit artem, & doctrinas altiores hauriens, *Dilherrum, Wülferum, Martinum Beerium* & *Arnoldum* audivit, quos tum Norimberga venerabatur Profeſſores. Antequam Academias petebat, Latino & Græco ſermone Orationes duas in Auditorio Ægidiano recitavit, illa *de Cecropia Arce Athenienſium*, hac *de Fratricidio Caini* diſſerens. Migravit exinde annos natus XVIII. Altdorfium, ibique Doctoribus uſus eſt *Weinmanno, Reinharto, Dürrio, Felwingero, Trewio, Hackſpanio* & *Kœnigio*, viris celeberrimis doctiſſimisque. Hinc poſtea non

ſine publico diligentiæ ſuæ edito ſpecimine diſceſſurus, *de Miniſterio Eccleſiaſtico*, Præſide Dürrio; *De Hæreticis* ſub regimine Reinharti docte & cum applauſu diſſeruit. Nobilem poſthæc ad Salam Academiam petiit, ubi Muſæi, Chemnitii & aliorum doctrinis imbutus longius progreſſus eſt. Vivebat tunc temporis celeberrimus Altorfenſium Philoſophus *Beatus* nunc *Sturmius* in illuſtri Salana, Philoſophorum ordini adjunctus & clarus. Hujus igitur conſuetudine ſibi conciliata, *de Conſequentiis Syllogiſticis* publice cum Eruditis conflixit. At caſu quodam infelici, maxilla ſiniſtra disrupta, maleque reſtituta, in patriam rediit, & meliori ſuccéſſu, exemtis oſſibus, ſanatus privatam egit vitam, & ſtudiorum ſuorum fructus colligens, multa inter alia Literatorum variorum curricula concinnavit, quæ poſtea *Theatro Freheriano* inſeruit. Illud ſiquidem opus a *Johanne Hoffmanno*, Bibliopola, Beerio noſtro ad revidendum corrigendumque traditum fuerat. Præterea in

Cathe-

Catechiſmo Eccleſiæ Noricæ cuique lectioni, verſiculos ſummam rei continentes, adjecit, in iis præcipue exemplaribus, quæ ſumtibus *Eberhardi Felſeckeri* & poſterorum ejusdem prodierunt in lucem. Vitæ ſuſtentandæ interim dum conſulturus pueros etiam docuit, privatasque horas, quicquid ad Literarum emolumenta conferre poterat, ſtudiis conſecravit. Atque adeo ſacra etiam, quibus operam dedit in Academiis, non omnino neglecturus, concionibus habendis haud raro vacavit; unde in Seminarium Candidatorum Theologiæ receptus in ædibus Salvatori noſtro dicatis, primum ex cathedra concionantium publica ad populum verba fecit, explicandum ſibi ſumens dictum *Pſalmi XL. v. 10.* Qui poſtea ſermo Rotenburgi ad Tubarim Anno 1667. 8. excuſus eſt, cui ipſe adjecit *Analyſin verborum Paulì I. Cor. XIII. 1--7.* Ibidem etiam locorum Anno 1668. imprimi curavit *explicationem v. 4. & 5. capitis 18. Apocalypſ. Johannis*, adjectis in fine verſibus,

quibus nomen dederat: Poëtiſche Gedancken. Hac occaſione *Joh. Ludov. Hartmanni* Superintendentis Rotenburg. amicitiam & patrocinium ſibi conciliavit, cujus etiam ſuaſu Sermones iſti publicabantur. Edendorum vero hæc erat occaſio: Accuſabatur Frater noſtri Wolfgangus Dominicus ab Inſpectore Candidatorum de erroribus dogmaticis in iis commiſſis. Vt ſe igitur ſanos eſſe monſtrarent, omnium judicio ſermones illos expoſituri typis ſubjecere, verum magno exinde contracto odio, alter Solisbacum & in Hollandiam, poſtea Hamburgum abiit, ibidemque mortuus eſt, poſtquam ediderat: Zwölff Klagen über das ärgerliche unchriſtliche Chriſtenthum/ ſo von unterſchiedlichen Lehrern Sec. XVII. geführt worden. It. Chriſtliche Gedancken über etliche Sprüche der Bibel. Noſter vero poſtquam duos integros annos Rotenburgi moratus fuerat, Noricam repetiit civitatem, ac vertendis præterea ex Gallico Italicoq; idiomatibus in vernaculam noſtram incubuit.

cubuit. Juxta hæc Correctorium opus in Typographicis Endterianis ex Felseckerianis ſuſcipiens, multa & præclara in hac functione egit; præcipue vero Libris imprimendis adjecit indices copioſiſſimos, quibus hodie cum fructu Lectores utuntur inſigni. His laboribus vacuavit ad ultima Vitæ tempora, qua fuere Anno 1712. d. 25. Decembris Annorum 24. Dignus de reliquo repertus, cujus imagini æri inciſæ ſequentia apponerentur verba:

Inter defunctos pars præterit optima Vitæ:
Fama proinde Virum viva per ora volat;
Perpetua quoniam ſcribit digniſſima, vitâ.
Dignus, & ipſe Viri Vultus in ære placet.

Scripta ejus quam plura ſunt, qua tamen omnia recenſere anguſtia chartæ non concedit. Numerum eorum Catalogus impreſſus accurate quidem non recenſet, ſunt tamen 72. Eminent *Dapperi* Meſopotamien und Arabien/

ex Belgico in German. fol. Ejusdem Persien und Groß-Mogols Land fol. cum Figg. Beschreibung von Groß-Britannien / cum Fig. 4. Der Durchl. Ertz-Herzogen von Oesterreich Leben / Regierung und Groß-Thaten / 4. Vischers Land- und Hauß-Buch vermehrt / 4. Beschreibung des Königreichs Hungarn / cum Chronico & Continuationibus, 8. Historische Erquick-Stunden / 8. Eichhorn verbesserte geistliche Rüst- und Schatz-Kammer / cum Fig. 8. & 12. Die andächtige Jungfer. Der andächtige Handels-Bediente. Leben der Könige in Spanien: Hungarn: Schweden: Dennemarck: Böhmen / 12. Du Val Geographia II. Voll. 12. ex lat. Beschreibung Siebenbürgens: Tyrols: Des Bayrischen Craises: Des Schwäbischen: Des Fränckischen / 12. Der verunruhigte Löw / Partibus XII. Das allarte Teutschland / P. P. VIII. Memoria Glorioſa Regiæ Stirpis Habspurgicæ. Das neue der Zeit / P.P.VIII. 12. &c. &c. sequitur

Stepha-

Stephanus Bergler.

CÖrona Tranſylvanus, vir ut ſolertiſſimus, ſic longe doctiſſimus, mediocris fortunæ & conditionis Parentibus procreatus. Ab iis tamen omni ſtudio & pietate educatus humanioribus diſciplinis a puero innutritus eſt. Paululum tamen, ætate creſcente, ad exteros evolaturus, patrias ſedes reliquit, Lipſiamque devenit. Hæc, cum maxime, ut omnibus ſolet, arrideret, ibidem, ut in Celeberrimo Muſarum foro, mroari conſtituit. Mox tamen cum eſſet curta ſuppellex foras iterum ire, alio conceſſurus unde vitam toleraret, neceſſitatem ſibi impoſitam cernebat. Accepto igitur a Clar. *Th. Fritſchio* literis commendatitiis, Amſtelodamum migravit, ibidemque vitiis ex codicibus imprimendis tollendis & reliquis ſtudiis operam navavit. In *editione* cum primis iſta *Homeri Belgica* multum negotii ſibi faceſſens, & præclare non pauca elimans, politiusque exornans, quæ in perniciem Editoris, & contemptum

libri intacta alioquin manſiſſent. Simili labore perfunctus eſt, cum *Onomaſticon Julii Pollucis* impreſſum fuit, cui editionis pulcherrimæ & nitidiſſimæ, quatuor addidit Indices pleniſſimos, curamque correctionis impenſiſſimi operis habuit. Hinc poſtea migravit Hamburgum, ubi locorum tum in conficienda Bibliotheca Græca gravi perfungebatur opere celeberrimus *Joh. Albert. Fabritius*: Hujus igitur amicitiam maximam expertus, eidem in hoc opere utiliſſimo ſocius adjutorque extitit. Quibus rebus feliciter confectis a *Fritſchio* repetitus, ut Ariſtophani typis mandando præſidium ferret, Lipſiam reverſus, acceptus gratusque venit. Magno etiam poſt modum ſtudio, induſtria, omni doctrina, præſertim Græca excellens literatura, laudatiſſimis his conatibus adfuit, ut a prelis & negotii gravitate haud fatigatus robuſtior magis, & doctior factus ſit. In vivis ſupereſt Patriæ ſuæ decus in nobili ad Pleiſſam Muſarum ſede, & quidem in ædibus Domini Fritſchii, viri de

Repub-

Republica Literaria meritiſſimi, & quotidie merentis. Atque in hujus familia degit noſter Stephanus vitam ſuam in abditis & penetralibus ædium partibus altiſſimis, ſui ipſius tamen arbitrio: Cujus rei cauſam ſingulare temperamentum viri optimi eſſe credimus, quæ cauſa eſt, quod & conſuetudinem aliorum averſatus raro, in Societatibus conſpicitur, etiam Eruditorum, quamvis accerſitis. Interim tamen, ne ſicquidem Rei literariæ ejusque emolumento, ſtudia ſua invidioſe ſubtrahit: ut potius hinc inde non paucis ex Eruditorum cœtu in perſcrutandis Græcorum præcipue monimentis antiquis diligentia ſua ſubveniat. Grave ejusmodi munus ſuſcepit in Manuſcripto quodam Codice Homeri ejusque Scholiaſte. Poſterior enim, quem Celeberrimus Lipſienſium Theologus *Boernerus* inſpiciendum mihi tradidit, literis peſſime pictis exaratus eſt, ut exercitatiſſimo in eo luſtrando oculus hærere poſſit. Cui tamen malo crebro reguſtatis literis Berglerus medicinam paravit,

clavemque invenit, ita nunc melius procedendum in explanatione mentis istius Scholiastis sit. Factum exinde Spes est, fructus hujus laboris ad alios aliquando etiam redundaturos, siquidem prælo committendum codicem fore, non ex vano rumore nobis persuademus. Qui si prodierit, præcipuas Berglero doctissimo pro hoc labore deberi laudes Doctores, harumque rerum gnari non denegabunt. Animum interim, quem hactenus experti sumus literis inserviendi promtissimum, ut ulterius servet officiose petimus, viresque divinitus largissime concedendas pie apprecamur.

Arnoldus Bootius.

EQuidem dubitarem virum hunc inter Eruditos Correctores referre, ni Celeberrimus *Ludovicus Capellus* tam strenue & constanter semper id affirmasset. Est quidem fateor cuique de suis rebus testimonium perhibenti fides facienda; verum cum interdum & non raro quidem Eruditi in odiosis quæ-

quædam negare, aut tergiverſari ſoleant, idcirco non video, cur idem in præſenti negotio ab Arnoldo noſtro fieri haud potuerit. Utcunque comparatum ſit, mendacium certe fœdum illud dixerat, quando Capellus tradidit, quod in Typographicis officinis Correctoris muneri ſtudia ſua impendiſſet. Sic enim in *Capult. Vindiciarum ſive Apodixeos Apologeticæ pro Hebræa Veritate* diſſerit: *Mendacium bigeminum eſt, Namque & illud Grotii opus Annotationum in V. T. in hac urbe excuſum, atque ad finem perductum fuit, jam diu antea, quam ego pedem in eam inferrem. Et neque Grotio neque illud mortalium unquam operam meam collocavi in corrigendis mercede erratis Typothetarum. Tametſi enim ingens illa ac crudeliſſima a feris & ſanguinariis Hibernis calamitas, quæ innumeros omnis generis homines, partim omnibus facultatibus momento evertit, mihi quoque haud exiguum damnum dedit, magnam opum mearum partem abſtulit. Superfuerunt tamen, Deo gratias, quæ mihi meisque honeſte ſuſtentandis*

ſuffi-

ſufficerent, ut ad talia parandi victus ſubſidia recurrendum nequaquam habuerim: Id quod ſi fuiſſet factum, minime id mihi probroſum ducerem, & ne diſſimulare quidem, multo minus negare vellem. Verum ſi omnino aliquod hujusmodi ab induſtria mea præſidium rei familiaris mutuari opus habuiſſem, non ad illum ſterilem haud minus, quam ignobilem corrigendi libros laborem confugiſſem potius, quam ad propriam profeſſionem, atque ad Medicinæ praxin, quam ante hac Londini & Dublini, magno cum ſucceſſu utilitatis aque ac honoris pleniſſimo per Annos XIV. continuos exercueram. Attamen ne ex illa quidem illum magnopere fructum capere ſtudui aut curavi per hos novem quibus hic Pariſiis ſum. Non quod etiam dedigner hunc, aut quod illis, magnis parvisque opem meam efflagitantibus eam denegare ſuſtineam; Sed quod cupido quietis, otii in bonas literas, præcipueque ſacras collocandi me compellit, ut, quantum poſſum, me ab aliis occupationibus cuſtodiam immunem. Hæc verboſius de ſe ipſe Bootius: Judicet nunc ex his bene-

benevolus Lector, an labor iſte in emendandis libris adhibitus viro huic ſit adſcribendus, nec ne. Ego unicum in eo deſidero, quod nimirum corrigendi operam ſterilem & ignobilem (id quod tamen minime probroſum ducere velle, ſi factum eſſet, paulo ante dixerat) appellare non veritus eſt. Cuicunque autem animus Arnoldi interdum ſupercilio aliquo elatus, cognitus eſt, facile opinari poſſet, id eo tantum, quicquid diſſimulet, negaſſe Bootium illum a ſe peractum negotium, quoniam illud haud ſuæ gravitati, doctrinæque convenire vaniſſima perſuaſione ſibi imaginatus fuerit. Utut ſit, in eo hallucinatum fuiſſe credo, dum ſterilem & ignominioſum vocavit laborem, in quo tamen multi eruditiſſimi, & doctrina præſtantiores Bootio deſudarunt. De quo Clariſſimus *Mettairius* in ſua *Stephanorum Hiſtoria p. 168.* optime ſcribit: *Non eſt, quod quemquam pudeat hujus muneris, quo multos, tum illuſtri loco natos, tum ad ampliſſimos honores evectus accipimus non-*

nonnunquam functos fuisse. De cetero floruit Bootius noster An. 1646. natusque est in Belgio, & vel Arnoldus de Boot, vel etiam Bootius scribi voluit. Fratrem habuit *Gerardum* itidem Medicum: de reliquis enim cognatis aliquid addere pretium non est. Quod superest, erat noster, quod nemo negabit, linguarum Lat. & Græc. peritissimus, & Medicus experientissimus, & quidem Pro-Regis, ordinum atque exercituum Hyberniæ Archiatri munus obiit, at postea tumultibus bellicis sibi haud amicis in Gallias secessit, ibidemque artem Medicam professus est. Tandem Anno 1650. e vita excessit. Excudi fecit, dum adhuc viveret, præter supra citatum opusculum contra Capellum, *Epitomen Concordantiarum Græcarum Kircheri*; It. *Observationes Medicas de affectibus* ab aliis Doctoribus omissis; ut de *Abscessu Hypocraneo*, *de Vomica Hypocranea* nihil dicamus, &c. Lond. ap. Thom. Whitaker & Thom. Neucomb, 1649. 12. recus. cum præfatione *Meibomii* Helmst. 1664. 4. Extat etiam cum

Petri

Petri Borelli Hiſtoricarum & Obſervationum Medico-Phyſicarum Centuriis IV. Francofurti & Lipſiæ 1676. 8. Vid. Lindenium Renovatum 4. Norimb. p. 88. adde Crenium in Animadv. Philoll. P. V. p. 102. Claudat hoc agmen

Caſparus Bruſchius.

VIr in eruendis antiquitatum ſcriniis ut laborioſiſſimus, ſic feliciſſimus. Suſceptus in lucem An. Chr. 1518. d. 19. Auguſti Egræ Variſcorum, aut ſi malueris Bohemorum, ſecundum mentem *Adami*, *Pantaleonem*, qui Gandavi Flandriæ natum tradidit, confutantis. Majores hujus viri nunquam Bruſchiorum nomine, ſed *Peiſeros* ajunt dictos. Proavum vero ob pinguedinem ventris German. Vocabulo Bruſt / Bruſtium vocatum, occaſionem dediſſe, ut ex eo tempore poſteris hujus familiæ nomen Bruſchii adhæſerit: Ad noſtrum Caſparum ut accedamus, ad literarum ſtudia ille natus videbatur, iisque innutritus, ita profecit, ut in Poëſi cumprimis ex tempore ingenii ſui vim & alacritatem

tem ſæpiſſime commonſtraret. Promeritam exinde lauream non ſine acclamationibus & plauſu Eruditorum obtinuit, & ſuccedente tempore optimus ejus ævi carminum ſtruendorum artifex cenſebatur, molliſſimaque Poëmatum dulcedine memorabilis. Anno ætatis ſuæ 48. Germania relicta, Italiæ terras amœniſſimas petiit, ſed Alpium raro amore captus, diu in iſtis locis ſedes habuit fixas. Præcipue Monaſterii Laczienſis ſive Coxienſis in Tumiliaſca ſuperioris Rhetiæ, originem & incrementa, ut ſolebat, conſcripturus, hoſpitium per aliquod tempus in eo invenit jucundiſſimum. Abbatiſſæ, quæ fuerat *Catharina de Marmoribus*, tam acceptus hoſpes, ut ſæpius ſaltationem amicam cum ea exercuerit; abiit autem denique muneribus, monumentisque Monaſterii oneratus Baſileam. Studio ibidem juvandarum literarum captus, non otiatus eſt, ſed deſiderio ſuo ſatisfacturus, confeſtim *Oporini* officinam Typographicam adiit. Habitabat Vir iſte celeberrimus in excelſo

Civi-

Civitatis loco, unde ædes ejus vulgo Arx vocabantur, Hanc arcem ingreſſus quid a ſe ſperare poſſet Oporinus, Bruſchius expoſuit. Scriptis igitur, agnita viri doctrina, tunc ſub prelo ſudantibus emendandis præfectus eſt, quibus magna cum laude & eruditionis & patientiæ proſpiciens, deſideria accuratiſſimi Typographi explevit. At præterquam quod victum & amictum Bruſchio labor iſte afferret, ſimul conſultum fuit, rei literariæ, cui optimos codices hoc modo paravit. Ipſe vero etiam, ex neceſſaria attentaque librorum imprimendorum lectione, Theſaurum doctrinæ ſuæ non mediocriter auxit. Atque hic non prætermittendum duco, quod viro huic aliquando contigiſſe Biographi quidem vulgo tradunt, ſed occaſionem & miſeriæ cauſam reticent. Factum nempe perhibetur, ut laborioſiſſimus ille vir, pecuniæ pondere pro laboribus factis, accepto, novo præterea veſtitu comparato, magnus quaſi Apollo in plateis ambularet. Omnibus autem e præci-

puis & honoratioribus Civitatis eum esse existimantibus, capiteque nudato salutantibus, domum reversum palliolum suum sordidum induisse iterumque in vulgum prodiisse: Nemine eo habitu honorem exhibente, iratum, togam novam discerpsisse, cultello, improba mancipia, gloriæ & honoris humani eam appellitantem. Eandem Historiam de Hermanno Buschio, Professore Heidelbergensi, circumferunt literati. Facile autem cuivis subolebit, quod ab uno ex his factum, per errorem nominis duobus perperam tribui. Lubentius quippe a nostro id admissum crediderim, quem ob raritatem nummorum male vestitum processisse, & non raro aliquantulum desipuisse aliunde constat. Tandemque denique genere mortis hoc viro indigno sublatus est, siquidem in silva Rotenburgum ad Tubar. & Winsheimium interjacente, quam Schlingenbachischen Wald / vocant, per insidias sine dubio in eam pellectus, à nobilibus quibusdam misere Anno 1559. peremtus est. Cujus

jus cædis cauſam fuiſſe, quidam opinati ſunt, quod ſcriptum quoddam contra eos ſe editurum eſſe imprudens paullo ante comminatus erat Libri, quos emendavit ex Oporiniano Catalogo, qui proſtat impreſſus, cognoſci quidem poſſet, verum cum anni actæ apud Oporinum vitæ non ſatis accurate conſtent, & præterea Typographos hic alios ſimul habuerit Correctores, difficillimum erit, ſeligere libro, quorum ſplendor huic vel iſti debeat. At quos ipſe ſcripſit nomine tenus indicandi erunt: *Deſcriptio Montis Pinniferi*, Fichtelberg / Witteb. 1640. 4. *De Laureaco & de Pataovio Germ. ac utriusque loci Epiſcopatibus & Archi-Ep.* Baſil. 1653. 8. apud Oporin. cui vero ſcripti occaſione a *Wolfg. Lazio in Comment. de Republ. Rom.* plagii accuſatur, qui ex ſuo tr. *de Laureaco Veteri* dolo peſſimo plurima deſumta eſſe, perhibuit, de qua re *Lambecius* legendus erit *in Comment. Biblioth. Viennenſis Tom. II. c. VIII p. 638.* De Epiſcopatibus & Archi-Epp. Germaniæ, quod tamen opus imperfe-

ctum, quippe cujus Tomus non niſi primus excuſus eſt. Baſil. it. Norib. fol. 1649. & Solisbaci 1682. 8. *De Monaſteriis omnibus Germaniæ Illuſtribus*, opus nimis conciſe & breviter exaratum, nec ſemper, uti nonnulli judicant optimis certæ fidei conſtructum monumentis, id quod vel unico demonſtrabo exemplo Regularium Benedictinorum Weiſſenoenſium, quorum unum ex Patribus laudati Monaſterii conqueſtum eſſe meminimus: Nec omnia nec vera ſatis, Bruſchium, ut de aliis ſic & de ſuo ſcripſiſſe Sacrario, quæ qualia ſint, nunc non eſt exponendi locus, extat fol. Baſil. 1553. ap. Oporin. continuandum hunc laborem ſibi ſumſerat *Neſſelius*, ſed, quod ego quidem ſcio progreſſus, fecit exiguos. Ejus etiam eſt *Carmen gratulatorium* in Imperatoris *Maximiliani I.* ex terris Hiſpanorum reditum 4. Manuſcr. de quo videatur *Lambecius loco citato* p. 974. Ita ejusdem nomen gerunt: *Elogia de Mulda flumine, & circumjacentibus locis.* Lipſ. 8. Vid. Adami in vitis Philoſoph. p. 182. edit. 8. Buddeus in Lexico Univerſ.

Tom.

Tom. I. p. 478. Morerius in Lexico p. 509.

Johannes Antonius Campanus.

OBſcuriſſimis natus initiis; a matre ſiquidem Ruſtica, opus agreſte tractante, ſub dio non procul a Capua ſub lauru in lucem editus eſt. Hac nativitate vix melior fuit educatio; multis enim hinc inde circumſeptus miſeriis, in artus & corpus excrevit. Hoc igitur admodum, ut videbatur, robuſto, pecuariam artem tractare coactus fuit, quo aliquando Magiſter pecudum evadere poſſet. Verum enim vero, ſicut, quod vulgo dicitur, urit mature, quod vult urtica fieri, ita ingenii in aduleſcentulo viribus cognitis a Paſtore quodam Animarum in pago vicino ad ſervitia ſibi præſtanda in famulitium ſuſceptus eſt. *Paulus Jovius* vero, ædituo a matre traditum puerum fuiſſe affirmat, contrarium tamen *Balio* ſtatuente. Nos cum poſteriore faciemus, utpote ad erudiendum pue-

rum magis idoneo, in quo tamen ambo conveniunt. Quisquis autem ille fuerit, perſpecta ſagacitate Campani, bonis omnibus eruditus fuit literis. Major poſtea ætate atque doctrina viatico inſtructus, Neapolim diſceſſit, Præceptorem domeſticum Nobilium quorundam juvenum acturus, qua occaſione accepta, ipſe docendo magis magisque perfecit. Interim vero non ignorans, quantum ſit, quod neſciamus ex *Laurentii Vallæ* ore doctrinas porro hauſit, ac ſedulitate ſua induſtriaque poſt quinque annorum decurſum, ut Peruſium ad munus docendi publicum ſuſcipiendum vocaretur, effecit. Inde in Italiam remigrans, orationes quasdam concinnavit elegantes, *Vitum Brati, inclyti Ducis*, ſtilo terſo admodum ac concinno ſcriptam continentes. Poſtea *a Calixto* P. R. in urbium Reginam, Romam puta accerſitus, Amanuenſis ejusdem fuit; mortuo tamen ipſo, ſpe omni melioris conditionis fere ſublata, ſucceſſorem Pium II. paulatim ſibi conciliavit.

Cujus

Cujus favore parato, factum, ut rebus Oeconomicis Purpurati de Saxo ferrato propoſitus fuerit. Tandem denique Epiſcopus Colonenſis, ac Teramenſis, imo ut *Geſnerus* habet, Aretinus evaſit. Quibus honoribus poſtmodum acceſſit officium Archi-Presbyteriatus ædium Sacrarum S. Euſtachii. Sic igitur ſublatus in altum, vah! quanto deinceps noſter lapſu iterum in præceps ruit: Paulo enim P. R. ex vivis ſublato, Sexto IV. in ejus locum ſurrogato, ſeditioſi quidam in Provincia, cujus cura Campano tradita erat, tumultus excitabant. Horum Dux & Autor ille habitus, terris ad ditionem Romanæ Sedis pertinentibus excedere juſſus eſt, ita ut nunquam, in gratiam, quamvis multis interpoſitis ſupplicationibus, redire potuerit. Fata poſt hæc cognoſcens ſua minus fauſta, totum ſtudiis ſe ſacravit. Tandem mortuus eſt, Anno æt. 50. Sienæ d. 15. Julii 1477. Sed quo præcipitor? Dicendum enim erit, quam ob rem Correctoribus adjungendus veniat. Teſtis eſt

Gabriel Naudæus, & ex eo *Bælius*, in libello poſtea citando hunc in modum diſſerens. Fuit Romæ inter alios Typographos quidam *Udalricus Gallus* in cujus officina Correctorem egit *Joh. Ant. Campanus* qui & illam elegantiſſimo hoc prædicavit carmine :

Anſer Tarpeji cuſtos Jovis, unde quod alis
Obſtreperes, Gallus cecidit, Ultor *adeſt.*

Udalricus Gallus, *ne quem poſcantur in uſum,*
Edocuit pennis nil opus eſſe Tuis.
Imprimit illa die, quantum vix ſcribitur anno,
Ingenio haud noceas, omnia vincit Honor.

Adhæc celeberrimus etiam *Chevalerius* l. citando memorat; tanta diligentia & alacritate excudiſſe libros Gallum, ut Campano Correctori per ſingulas noctes, ne quidem trium Horarum continua quies conceſſa fuerit. *Michaël Fernus* eadem affirmat in *Præfatione*, quam operibus Campani præmiſerat,

miſerat, ne quidem interquieſcere aſſiduis emendationibus potuiſſe, inquiens. Incubuit autem ſine dubio his laboribus noſter Calixto P. R. mortuo, cum non quibus ſe ſuſtentaret, haberet: Magiſter enim rerum domeſticarum Cardinalis de Saxo ferrato vix hujusmodi rebus vacare potuiſſe mihi videtur. Meruit autem ob hanc ſedulitatem & doctrinam ſequens Epitaphium ex affectu amicorum prolatum:

Campanus jacet hic humili contectus ſub urna,
Qui vaga dum vixit ſidera tranſiliit.
Hiſtoricus ſcripſit: dixit: cecinitque nec alter
Philoſophus toto clarior in Latio.
Nihil majus natura tulit, miraculi cæli
Hujus in ingenio cuncta ſtetere viro.
Deſerto lugent Parnaſſi fonte Sorores
Et tumulus refugas, lucis hic unus habet.

Vos quibus ingenium eſt, en! quo contendimus omnes,
Virtutis ſola eſt gloria quæ ſupereſt.

Reliquit ſcripta varia maxime moralia. *De fugienda ingratitudine; De dignitate matrimonii:* Extat etiam *Oratio Inauguralis* officii Peruſini: *Libri IX. Epiſtolarum*, quas in Germaniam tranſtulit *Daumius*, atque cum ſcriptis *Textoris* exprimi fecit: *L. IIX. Elegiarum & Epigr.* Epiſtola Interamnenſis *de regendo Magiſtratu; Oratio Cinericia* Romæ dicta cum præfatione *Joh. Coſteri* 8. Lovanii 1548. Debetur etiam ei *editio Livii*, quæ ex primis eſt *Romæ 1471. & 1472.* quam correxit ipſe, adjutus opera Joh. Andreæ, de quo antea, apud Conr. Schweinheim &c. Opera conjunctim prodiere Romæ fol. 1494. ſtudio *Michael. Ferni.* vide Bælium in Lexico Tom. I. p. 837. Chevallerium in tr. Gallice 4. ſcripto de Arte Typographica p. 194. Hunc ſequitur

Iſaacus Caſaubonus,

VIr omni laude major, gente Gallus, nec ſtirpe ſatis ſplendida oriundus. Geni-

Genitus ſiquidem Anno 1559. parentibus egenis admodum, & inferiori conditione hominum poſitis. Incenſus vero a puero diſcendi cupiditate, ſuperatis omnibus incommodis, ad ſupremam tandem eruditi ingenii laudem pervenit, ita ut nemo ſuæ tempeſtatis, auguſtiore literaturæ fama præfulſerit. Unde etiam officia publica ſplendida ſatis non defuere. Mox enim docendo munus in Genevenſi urbe ei fuit demandatum, & deinde Henrico IV. Gallorum Regi a Bibliotheca fuit, poſtquam odia Papicolarum evitaturus diu iſtos declinaverat honores. Sic longe multumque in literis provectus, ex mandatis Principum, ſub Examen *Baroni* Annales vocavit, quo tamen opere filo quodammodo ducto iterum abſtinuit. *Cum Peronio S. J. de Veritate Religionis* Pontificiæ diſputatoris contulit Sermones, verum non ea laude diſceſſit, quam ſibi Henricus IV. promiſerat, titulumque Pediculoſi (ſit venia verbo) reportavit Grammatici. Variis poſtmodum modis ab hoſti-

hoſtibus ſuis vexatus, tandem Londinum a Rege Jacobo I. accerſitus abiit, ibidemque Conſiliarii Regii titulum, & ſtipendium largiſſimum obtinuit. Atque hic locorum humane admodum Georgium noſtrum Calixtum in itinere, quod obiter notamus, excepit, amicitiæque vinculo ſibi eum obſtrinxit. Ne vero otio dato vileſceret, de uno Baronium examinandum ſibi ſumſit, cui tamen operi poſtea eſt immortuus. Sic paucis delineato vitæ decurſu tanti viri, exſpectabis ſine dubio, Lector Benevole, ut Correctorem Typographicum Cauſabonum fuiſſe probemus. Id ergo peracturus, breviſſime conjungendum hac in parte eum eſſe cum Bootio ſupra memorato dixerim, quoniam neutiquam talia ſe in Typographiis feciſſe negotia falſus eſt. Imo vero acriter reſtitit illis, a quibus ſibi talia tribui non ignorabat. Scribens *in Exercitatione ad Apparatum in Annales Baronii ed. Lond. fol. 1614. n. IV. p. 42. Ego vero, ſi ita eſſet, laudi id mihi vertendum contenderem. Nam ex illa domo*

(*Ste-*

(Stephani puto) ceu ex equo Trojano multos prodiiſſe excellentes doctrina viros facile poſſem probare. Sed mentitur Cretenſis, nam ego juventutem meam non in corrigendis chartis Typographicis exegi, ſed bonis artibus diſcendis, & omnis generis autoribus diurna; nocturnaque manu pervolutandis. Quid igitur judicandum! Multi ſunt iisdemque viri fide valde digni, qui id conſtanter affirment. Caſaubono contra idem etiam ſtrenue negante, atque id ſaltem Iſaacum noſtrum inficiare dicendum, quod *annos juventutis ſuæ in iis conſumſiſſe* rebus Eudæmon & alii perhibuere. Verum Autores infra citandi, de ætate Caſauboni loquuntur, qua juvenis non amplius appellandus veniebat: Ajunt enim communi conſenſu, vixiſſe eum in familia Henrici Stephani cujus filiam Florentiam in matrimonium duxerat, eidemque operam non raro & nonniſi per aliquot annos in emendandis Schedis præſtitiſſe; Id quod eum abnuiſſe nondum exploratum habui. His paucis addo hujus viri

viri ſcripta *Exercitationes* ad Cardinalis Baronii Prolegomena, & primum eorum partem Londini 1614. excuſam. Sed notum eſt, nonniſi ad annum trigeſimum quintum id opus productum eſſe, *Samuel* quidem *Baſnagius* idem continuavit, ſed & hic ad annum 45. delatus, quievit, quoniam multi convolarant in Caſaubonum hoſtes, *Julius Cæſar Bulenger*, *Eudæmon*, *Heribertus Roſvveydus*, *Petrus Lanſelius* & alii; Illis obviam Iſaacum defenſuri iverunt: *Jacobus Capellius in Vindiciis Caſaubonianis contra Roſvveydum* Sedani 1619. impreſſis. Item *Rich. Montacutius* & *Joh. Prideaux*. Equidem & inter noſtros continuatæ ſunt Exercitationes hæ a *Tribbechovio*, *in dogmatica Baronii inquirente*, quæ prodierunt Kiloni 1666. & Hamburg. 8. 1708. ex ed. Korlholdi, qui & ipſe *Diſquiſitiones Anti-Baronianas* 4. Kiloni 1667. ediderat. Sed non eſt, cur Caſauboniano labori æquiparentur, multoque minus, in hunc locum, ut examinentur convenit: *Scripſit* etiam Caſaubonus Librum *de Libertate*

Eccleſ.

Eccleſ. fol. 4. 1612. Haagæ 1638. & Francof. auctim curante *Gräfio*, *Commentarium* in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores: Item in Perſium: Diogenem Laërtium: Athenæum: Theocritum: Theophraſti Characteres: & alia. Sed hæc parum ad nos, conferantur tamen de la Ceille Hiſtoire de l'Imprimerie p. 136. Struvius in Introduct. ad H. Lit. cap. V. §. 36. Teiſierius in additionibus ad Elogia p. 420. quos citat Almeloveenius p. 6. adde Thom. Crenium in Animadverſionibus Philoll. P. V. p. 109. Clarmund. P. I. p. 61. P. VIII. p. 87. Pedem his miſſis proferenti occurrit

Petrus Caſtellanus.

NAtus perantiqua ac genere nobili Hauverderiorum familia, multumque naturæ dotibus & meritis in Patriam illuſtris fuit. Floruit per totum regnum Gallicum Virtutum ac doctrinæ laudibus. Pater nomen *Quintini Caſtellani* geſſit, a quo, matre ex hac vita diſcedente 12. annorum puer Divionem Burgundorum ad ſtudia

dia Scholaſtica tractanda miſſus eſt. In his exercitiis ita ſe geſſit, ut Magiſtris & Condiſcipulis ſuis miraculo ſimilis viſus fuerit, ita ut habeant perpetuò, quem laudarent Præceptores & rudioribus præficerent, alii quem imitarentur. Poſthæc exterarum terrarum viſendarum gratia illinc profectus, & fama nominis magni Eraſmi Literatorum Principis, Baſileam invitatus, citato itineris curſu eo devectus eſt. Amicitiam igitur ejusdem, ut ſperabat ſibi conciliaturus, illico cum eo collocatus, mirum quantum ejus irrepſit animum ſuppetias ea tempeſtate ferebat Frobenio Eraſmus in Emendationibus quorundam librorum, qui ſub prelis ſudabant. Par itaque munus, ut ſubiret, Caſtellano perſuaſit ille, Frobenioque eum commendavit, ac ampliſſimas conditiones non abnuenti impetravit. Fortiter igitur Græcis Latinisque ſcriptis, reſtituendis, emendandisque operam ſuam collocabat, non in umbratili pulvere, ſed palæſtra ampla ſe verſari perſuaſiſſimus. Quid multis juvenis ille noſter

noſter æmulatione & cavillationibus Eraſmi, quod Galli ignorent, quæ Græci ſciant, incenſus, tantum profecit in Theologico Literaturæ genere, ac in ſtudiis, ut mox Eraſmum præcipitanter non raro agentem commentantem ac vertentem correxerit, & in quo erraverat, demonſtravit; nec malè id Eraſmo ferente, quin mirante potius Caſtellani ſtudium ac fervorem, omnibusque modis promovente. Poſtquam igitur aliquot annos huic officio Correctoris nempe ſe tradiderat, ad patrios iterum Lares receſſit, ibidemque nobilium quorundam Juvenum moderator ſtudiorum ac morum conſtitutus eſt. Quo itinere ſuſcepto, blanditiis puellæ cujusdam, ut videri volebat, pudiciſſimæ victo, mirum omnibus tanto huic viro accidit; Nam gravidâ ab eo, amoris venerei alia hoſte, factâ, poſt annum præterlapſum conſcientiæ morſibus ductus, in matrimonium, neſcientibus cunctis, quid contigerit, tanquam virginem illibatæ pudicitiæ, recepit. His ita factis, cum Legato Regis Galliæ Ro-

man & Venetias inque Cyprum etiam abiit, litterasque ibidem accepto annuo 200. Imperialium ſtipendio, docuit. Hinc in Ægyptum penetrans, Conſtantinopolin demum delatus, aliquot menſes, & duos præcipue etiam Hieroſolymæ vixit. Tandem in patrium domicilium, quod hucusque deſeruerat, remigravit, incrementa fortunæ ſuæ domi firmaturus, aucturusque. Idquod feliciter factum: In aula enim, Franciſci I. favorem ita ſibi conciliavit, ut (*Gallandi* verbis utor) prandenti Regi ſolus fere ſemper adſtiterit, percontantique de variis rebus reſponſa ut docta, ſic pia, dediderit. Conjecere adeo, his ita ſe habentibus, omnes aulici defixos in eum oculos, ob lenitatem vocis, ingenium ſummum, vultusque & geſtuum compoſitum decus, ſermonis elegantiam, & gratiam propemodum obſtupefacti. Et quod maximum, ita captaverat amorem Regis Caſtellanus, ut cum cubitum eunte Principe ſæpius conferre, neceſſe habuerit, in quibus audiendis non raro ipſe Rex

ob

obdormivit. Docuit etiam Regiam Principem *Margaretham*, atque Regi Spiritum emittenti precibus & ſolatiis ſuppeditatis adfuit. Erga quem, ut Pietatem poſt fata etiam oſtenderet, ſermone poſt funera ejus habito, incredibili Eloquentia virtutes, laudesque Principis prædicavit. Exceſſit poſthæc aulicis turbis, at revocatus ab Henrico II. magnique Eleemoſynarii officio præfectus, & amore Regis adjutus, Pietate firmatus, omnes Regni terminos circumibat, viſitans turbam ſacerdotum. Qua facta poteſtate expulit alios, alios vero melioris commatis retinuit; Tanta quidem ſolertia, ut cum Abbatiſſa quædam, quam ab Impietate retrahere laborabat, duos integros conſumeret annos. Tantus de reliquo in docendo fervor eum tenuit, ut non raro ipſe Lacrymas inter perorandum profuderit, verum etiam & alios ad parja doloris ſigna exhibenda coëgerit. Atque inde etiam ſine dubio factum, ut cum Aureliis aliquando acriter nimis diſſereret, Apoplexia correptus, per bre-

vi tempore interjecto ex hac vita migraverit. Ex antiqua sine dubio Typographici laboris procuratione fuit, quod Stephanorum Typographorum Patronus optimus ac maximus, quos alebat, fovebat, & contra clericorum dementiam tuebatur, extitit. Quamquam & Mæcenas omnium Eruditorum audiat, quem animum præcipue demonstravit, dum Regi de Collegio Eruditorum Lutetiis instaurando suasor autorque erat. Scripta vel nulla, vel quæ sunt exigui momenti, reliquit. Tribuitur ei *Epistola* a Erancisco I. emissa, quæ in Carolum V. invectiva est, inque lucem prodiit 1543. Distinguendus demum est a *Petro Castellano* Prof. Græcæ literaturæ in Academia Lipsiensi, qui Anno 1558. vitas Illustrium Medicorum edidit, aliisque, qui prænominibus a nostro facillime discernuntur. De hoc videatur Bælius in Diction. qui ex Gallando, ut ego ex Bælio, sua desumserat: addi & poterit Pauli Colomesii Gallia orientalis ex editione Fabritii, in Quarto; Hamburgi. 1709. p. 12.

Friderí-

Fridericus Albertus Chriſtiani.

PAtre Matreque Judæis oriundus, & Proſtitiæ in Moravia natus, illo Moſe, hac Sara dictis. Ab his Parentibus ſuis noſter ut genitus natusque, ſic in ſuperſtitione etiam educatus fuit, atque omnibus Judæorum ceremoniis innutritus eſt. Circumciſus, Baruchi nomen in ſacris hiſce Initiationis ſuæ gentis accepit. Poſtea a teneris ab ipſo Patre, Hebrææ linguæ & Talmudicarum doctrinarum peritiſſimo, fideliter admodum in Rabbinorum ſcriptis verſandis edoctus, ita profecit, ut poſtmodum ad viſcera Eruditionis Talmudicæ ſcrutanda, eruendaque, Poſnoniam Polonorum miſſus fuerit, ita quidem, ut cum diſcederet, Biblia in fontibus cum Commentariis Doctorum expedite legere & interpretari potuerit. Puerilibus igitur annis ibidem tranſactis, anno ætatis decimo ſexto ad paternos reverſus lares, per biennium in familia Parentum degit, usque dum Bruchſalium urbem ad flumen Rheni ſitam Præcentorem (Chaſſan vocant) acturus e patria abiit. Sin-

gulari igitur Sapientia & bonitate divina factum, ut Anno 1666. rumor de Meſſia, qui ſubitò adventaverat, iterumque mox evanuerat, ſparſus fuerit. Hac occaſione deluſus cum aliis noſter Baruchus, primum ſubinde ceſpitando, aut fluctuando dubitare de ſalute ſua, & religione vera cœpit. Scrutatus igitur Scripturas ex Malach. III. 1. Jerem. XXIII. 6. Pſ. CX. toto Eſ. LIII. 11. Hoſ. XIII. 14. Mich. V. 2. &c. luculam quandam conſpicari cœpit, quam ſecutus poſtmodum ad Lucem Evangelii de Jeſu Chriſto Dei gratia perductus eſt. Vivebat vero ea tempeſtate in cohorte Papicolarum, & horum præpoſtero cultu Sanctorum atque reliquiarũ, quem dæmone pejus & angue fugere ſolent Judæi, fere a conatibus deterritus, & prope factum, ut a laudabili ſtudio, in quo Spiritu S. manuducente magis magisque progreſſus erat, Satanæ inſidiis retractus fuiſſet. Vacillans igitur fide, Tonſoris tandem alicujus induſtria, Pietate ac doctrinis in viam reductus, majori animi alacritate, ſpirituque ferventi

venti opus Dei tractare incepit. Atque sic ab aliis accepto codice Novi fœderis, eoque diligenter perlustrato, commotus animo in eo fere statu positus, quo illi Hierosolymis Actor. II. dixerant: Τί ποιήσωμεν ἄνδρες ἀδελφοί; Lumen veritatis illucescens, sentiebat, nec tamen, quo se verteret, habebat. Tandem simulando se Musarum quoq; filium Argentoratum profectus est. Audito ibidem sermone ex suggestu sacro a *Friderico Salzmanno*, quo Psalmum centesimum explanabat, confirmatus in bono instituto *Sebastianum* conveniebat *Schmidium*. Ab hoc, ut sincere neque more recepto Sociorum ageret, admonitus, curæ *Dan. Rauchii* Diaconi ad D. Petri commissus est. Heic fundamentis doctrinæ & confessionis nostræ haustis, denique d. 18. Novemb. Anno 1674. sacro baptismatis lavacro accepto, publice Christianam professus est fidem. Atque inde multis comparatis beneficiis, in alias migravit terras, Lipsiamque devectus, docuit ibidem Academiæ Curatorum indultu linguam He-

braicam, ita quidem, ut ab omnibus magni haberetur & amaretur. Atque illic etiam, ut ad ſcopum propius accedamus noſtrum, Typographis operam exhibuit ſuam, ſphalmata in libris, præcipue Hebraico Elemento excudendis corrigendo maxima induſtria. Eaque laude doctrinæ & ſedulitatis ad annum usque 1695. mactatus eſt. Quo nemine opinante, pecuniæ ſumma mediocri tamen accepta, una cum filia ſua evaſit, erupit, non ſine ſuſpicione cum ea commiſſi inceſtus. Utrum hoc facto reſiluerit ad Judaiſmum, hactenus non compertum habemus. Multi ſunt, qui id credunt, Hamburgum nempe veniſſe & in alias etiam ab hinc migraſſe terras. Nos vero, quæ optima ſperat, charitate miſus, meliora. Edidit de reliquo Abarbanelis Commentar. in Prophetas V. priores Lipſ. 1686. fol. cui & הקדמה המגיה hoc eſt, præfationem Correctoris, variasque ſubinde obſervationes adjecit, cum Jndice ſubjecto. *Auguſtus Pfeifferus in Prælocuio* hunc in modum de eo diſſerit: *Ceterum non fraudan-*

fraudandus eſt ſua laude eximius Dominus Frider. Albertus Chriſtiani, Vir in hac Palæſtra exercitatiſſimus. Is enim Correctioni præfuit, textum diſtinxit, citationes incredibili ſtudio inveſtigavit. Cui adeo benevolus Lector acceptum feret, quod nova editione commode, & citra laborem, uti fruique poſſit. Et dolendum omnino, quod res acciſior non ſinat emergere virum optimum, qui quid in aliis præſtare queat, vel in hoc opere oſtendit, unde omnium bonorum favore, & Patronorum beneficentia impoſterum digniſſimus erit. Præter ea, quæ in hoc opere fecit, ea & præſtitit in aliis eodem ſtudio, eodemque ſucceſſu: Epiſtolam enim Pauli ad Hebr. in Hebraicum transtulit idioma, ut uſui Judæorum inſervire magis poſſit. Habemus præterea Dialogum Rabbinorum de ludis, in German. linguam accuratiſſime translatum. Emiſit etiam *M. Chriſtian. Reineccius*, tamen ab eo conſcriptum, **der Jüden-Glaub und Aberglaub** Lipſ. 1705. Oct. ex cujus præfatione & ipſius Chriſtiani annexa narratione

pleraque me desumsisse, Lector facile subolebit. Sequitur nunc

Johannes Cono.

HUnc per errorem Clarissimus *Reimmannus* vocat: Einen gelehrten Oestreicher / quo jure id fecerit, nescio, injuria autem virum sedulum id scripsisse sum persuasissimus. Certo enim compertum habeo, ex fontibus infra citandis, Norimbergam ad cives suos hunc virum posse referre. Susceptus autem est in hunc Mundum Sec. XV. Anno 1463. Studiis se tradidit non invitus, unde non parum in illis processit, ingeniique bonitate multa præclara consecutus est. Sed Deo simul se totum consecraturus in Cœnobium, more istorum temporum, sese abdidit, ac Dominicanorum ordini adscriptus est. Paduam autem ad promovenda sua studia aptam idoneamque ratus, illico isthuc profectus, *Marcum Musurum* & *Scipionem* Cartheromachum viros eo ævo fama nominis & doctrinæ maxime conspicuos, audivit, melior inde doctiorque

que indies evaſit. Græcam autem præſertim Literaturam ita adamavit, ut ad ſumma culmina iſtius linguæ procedens, mirum quantum in ea cognoſcenda effecerit. Horum ſuorum autem laborum fructus capeſſendi mox occaſio fuit ſubminiſtrata. *Johannes* enim *Ammerbachius* S. Hieronymi Scripta typis ſuis evulgaturus erat. Hæc igitur ut correctiora, & emendatiora, ex Manuſcriptis ſiquidem male pictis depromta, prodirent, vir iſte laborioſiſſimos eos circumſpexit, quos ſibi in hoc negotio quam maxime idoneos & neceſſarios fore, bene noverat. Forte fortuna Padua *Cono* hic Baſileam delatus erat, cui mercede conducto, & in ædes ſuas recepto curam librorum edendorum *Ammerbachius* commiſit. Nec defuit invitatus, quin potius omni ſtudio & conatu fidei ſuæ commiſſa perfecit. Maxima certe cum laude *Eraſmus* hujus viri meminit in vita ejus apud Bateſium p. 202. *Pridem*, ſcribens, *Johannes Ammerbachius, totum ſe comparaverat ad caſtigationem Voluminum Hieronymi; undique*

que conquiſitis vetuſtis Exemplaribus, & doctis viris conductis, qui Græcas dictiones paſſim reſtituerent, de quorum numero fuit Johannes Reuchlinus Ictus, qui ex Lexicis vacuas lacunas replere conabatur; Cui ſucceſſit felicior Caſtigator Johannes Cono, Norimbergenſis, Inſtituti Dominicani, qui meliorem viam ſecutus, e veſtigiis antiquorum codicum, ea quæ vel deerant, vel erant depravata, diligenter reparabat. Idque poterat Homo propemodum Græce quam Latine doctior, verſatus nimirum in optimis auctoribus aliquot annis, excellentiſſimorum in Italia Profeſſorum Muſuri & Scipionis, atque Joh. Cretenſis minime pœnitendus auditor. Præter hæc etiam ſcripta quædam *Gregorii Nazianzeni* & *Nyſſeni Gregorii* item *Magni* ex fontibus ſuis in Latium transtulit. Eraſmo etiam in imprimendo Novo Teſtamento multum utilitatis præſtitit. Quod vero tempus ab his laboribus relictum ei erat, illud, (ut *Johannes Sturmius* teſtatur) ad id impendebat, ut *Bonifacium Ammerbachium* & B. *Rhenanum* pueros adhuc ſcientiis augeret, cujus laboris

ris etiam in iis non pœnitendos expertus eſt fructus: Ambo ſiquidem omnibus artibus inſtructi perpolitique claritatem & famam nominis ſunt conſecuti ampliſſimam. Tandem noſter *Cono* non admodum longe provectus annis, exceſſit è vivis d. 13. Febr. An. Chr. 1513. Quo facto Rhenanus Pietatem ſuam in defunctum teſtaturus, Epitaphium Præceptori ſuo poſuit:

ΤΟΥΣ. ΑΓΑΔΟΥΣ. ΚΑΙ. ΘΑΝΟΝΤΑΣ, ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ. ΔΕΙ.

D. O. M. Sacrum.

ASta Viator, ſi non moleſtum eſt legere. *Fr. Johanni Cononi*, Norimbergenſi, Theologo, Græcæ linguæ callentiſſimo, ſingularique per omnem Vitam pietate prædito, qui ſpe juvandi meliores literas, ob immaturam mortem non nihil fruſtratus: *Beatus Rhenanus* Pietatis ergo Præceptori, B. M. de ſuo fecit. Vixit annos L. obiit Anno D. MDXIII. nono kal. Martias.

Vale & abi in rem Tuam.

Vid. Adami in Vita B. Rhenani. Urſtiſius in Chronico Baſil. ejusque Epitome.

me. p. 194. Le Grand Dictionaire Hiſtoriques fol. 1694. Tom. I. p. 239. & Omeiſius in Diſſ. quibus immortuus eſt, de Claris Norimbergenſibus. p. 23.

Mileſius Coverdale.

ANglus gente, Eboraci honeſtis Parentibus genitus, honeſte etiam educatus, & literis ſacris præcipue, ab incunabilis fere imbutus, ad Epiſcopatum Exceſtrienſem denique poſt alia officia minora evectus eſt. Sed incidit bonus ille vir in turbulenta Angliæ tempora, ut ſæpius eſſe ſolent in eo regno, quibus *Henricus Octavus*, ob recuſatam libertatem divortii a Pontifice, Reformationem in terris ſuis meditabatur. Reperti etiam non pauci, qui ex Doctoribus conſilium iſthoc adjuvarent; multos tamen etiam habuit, qui contradicerent, & adverſarentur. Mortuo *Henrico* filius ſceptra gerenda ſuſcipiebat *Eduardus VI.* dictus, incepta Patris perſecuturus; qui vero poſtquam VI. regnaverat annos non ſine ſuſpicione veneni, diem ſuum obiit ſupremum.

Soror

Soror igitur major natu, regium adscendebat solium, timentibus ac trepidantibus omnibus, qui purioris doctrinæ incrementa promovere studebant. *Cranmerus* præcipue, *Petrus Martyr* alia multa mala ex hujus Reginæ Imperio vaticinabantur: Id quod factum; *Maria* enim Pontificia sacra per totum Regnum reductura, magna vi & crudelitate id effectum dare conabatur. Quibus rebus factum, ut alii docentium intra Regnum, manerent, & vitæ periculum subire haud abnuerent, in quibus *Cranmerus* Anno 1555. & alii flammis sublati vitam amiserunt: alii vero fuga salutem sibi quæsituri, ex his malis, ut rubecula cito transitura, evaserunt. Donec mortua *Maria*, ab *Elisabetha* revocati in pace vitam domi exigere liceret. In his igitur & *Coverdalius* noster fuit, equidem jam sub *Henrico* apud exteros vivebat. Cum enim *Wilhelmus Tyndallus*, annuente Rege & operam ferentibus *Joyo* & *Constantino*, Novum Testamentum Nostri Salvatoris, ad facilitandum Reformationis negotium

gotium in vernaculam ſuam transtuliſſet, & Hamburgi vel Antvverpiæ excudi curaſſet, *Wolſei* & aliorum Epiſcoporum Pontificiorum machinationibus factum, ut prohiberetur mandato Regis, ne promercalis fieret ille codex in Regno Angliæ. Quin etiam exemplaria omnia, quotquot obtineri potuerant igne ſunt conſumta. Verum An. 1530. *Tyndallus* hanc ſuam interpretationem emendatam denuo typis mandavit, inque Angliam, ut divulgarentur miſit fatri ſuo & *Patmoro* Mercatori cuidam. Verum enim vero recognita & Epiſcopo Londinenſi ſignificata, grandi pœna iſti affecti, & ignominioſa; ſchedis quippe multis amicti & inverſa facie equis impoſiti, exempla univerſa, quæ inveniebantur, in rogum, quem in foro publico ſtruxerant, projicere coacti ſunt. Atque hoc animadverſionis genus poſtea *Tyndallus* etiam ſubiit Anno 1535. quo & ipſe in vincula conjectus igne combuſtus eſt. Hoc facto alius quidam *Joh. Roger* ſub *Thomæ Mathæi* nomine latitans denuo recudi fecit per

Graff-

Grafftonum codicem ſacrum, idque approbante Rege, verum ut eo tutius id negotium poſſet tractari, aliam editionem quidam purioris doctrinæ viri meditati ſunt. Conceſſione igitur a Rege Galliæ impetrata, ut Pariſiis id fieret, *Mileſius* noſter *Coverdale* in Galliam transiit, atque omnia direxit, ita quidem, ut totius operis Correctionem & emendationem ſuſceperit. Verum poſtquam *Matthæus Orus* Generalis Inquiſitor comperiſſet, opus prohibitum, & paginæ omnes, quæ jam impreſſæ erant, Vulcano ſacratæ ſunt. *Coverdalius* Corrector operis cum Typographo aufugit, & officinam omnem cum toto apparatu, Londinum poſtea deductum, reliquit. Attamen in Anglia denique idem opus abſolutum eſt Anno 1535. fol. & vocatum Biblia Tyndaliano-Coverdaliana. Non ſolum autem in hoc opere, verum & in nonnullis aliis poſtea ita ſe geſſit, ut ad Eruditos Correctores referri meruerit: Exul enim hinc inde vagabatur; Ex Anglia quippe denuo *Mariæ* Pontificiorum ſacra in re-

gno reſtaurante fuga abierat, & cum eo *William Wittingam*, *Andr. Gilbus*, *Thom. Sampſon*, *Guilh. Cole* & *Chriſt. Goodman*, quorum alii Francofurti, alii Genevæ vitam trahebant, usque dum, *Eliſabetha* Thronum occupante, reſtituti rebus ſuis fuerunt. *Coverdale* interim non quievit, ſed varias Bibliorum Anglico idiomate procuravit editiones; Anno 1550. Quarto Londini per *Rich. Grafton.* it. 1553. fol. ibid. Itemque novam omnino verſionem adjuvantibus Sociis jam nominatis ex fonte Hebræo & Græco concinnatam cum annotationibus marginalibus & Epiſtola præmiſſa ad *Eliſabetham* Reginam prælo ſubmiſit Anno 1561. fol. & Quarto. Novi Teſtamenti, ſuccedente Anno 1562. Veteri Genevæ, cui operi totum inſumtum eſt biennium, & in quo corrigendo, ut in aliis libris Anglico ſermone Genevæ excuſis, admodum *Coverdalius* noſter ſudavit. Vid. Bibliothecam Böernerio-Longianam pag. 322. & A. E. L. Anno 1694. p. 315. ſeqq. ubi & excerpta *ex Joh. Strype* Art. Mag. Hiſtoria Thom. Cranmeri

meri Archi Ep. Cantuarienſis conſpiciuntur.

Caſparus Cruciger.

NAtus Lipſiæ Anno 1504. d. 1. Januarii. In juventute pie a Patre & aliis Magiſtris inſtitutus, gnaviter & meditabundus omnia geſſit. Bonus proinde diſcipulus optimi Moſellani fuit, & æquales fere omnes ſedulitate & profectibus anteivit. Exorta Evangelii luce & morbo Lipſiam infeſtante in vicinam Muſarum Sedem Wittenbergam profectus eſt. Hic brevi tantum in Jurisprudentiæ ſacræ ſtudio profecit, ut mox linguarum cognitione imbutus, Magdeburgum ad regendam ibidem Scholam publicam obierit. Hic in ludo Johannitano, & æde divi Stephani, tanta cum doctrinæ exiſtimatione docuit, ut etiam provectioris ætatis homines, imo & Clerici nonnulli eum convenerint, ita quidem, ut Conclavia numerum audientium non caperent, & cœtus in ædes, Auguſtino dicatas, deducendus fuerit. Anno vero 1527. de-

nuo Wittenbergam, expetitus quidem, migravit, ibidemque Interpretationibus Bibliorum, & concionibus in templo, ad arcem sito, vacavit: Præterea in Castra Medicorum delatus, non ut transfuga, sed ut explorator, si cum Seneca loqui licet, herbas et frutices nosse didicit, tanta ejus erat in discendo aviditas. In primis vero magno nostro *Lusthero* adjutor fuit in translationibus S. codicis, paresque labores cum *Melanchthone*, *Forstero*, & *M. Auro Gallo* subeundo, & præterea mendarum a prelo commissarum rationem habendo, una cum *Georgio Rorario* & *Christoph. Walthero*, de quibus postea dicendi locus erit, strenue elaboravit. Quorum posterior affirmat verbis in præfatione ad librum in ejus vita citandum disertis; per viginti annos primum quidem cum *Crucigero* & *Rorario* in Typographiis se vixisse, & sphalmata ex libris expunxisse. Paria affirmat manus Anonymi cujusdam in fronte Postillæ Ecclesiasticæ B. Lutheri, editionis A. 1530. eodem seculo scripta, conspicienda, quæ Crucigerum summum

mum officinarum Librariarum Correctorem vocat, eumque vi ſui officii in laudata Poſtilla A. 1544. edita, quædam immutaſſe meminit. Facta autem eſt illa immutatio in verbis de Judæorum converſione ſperanda, imo jam inſtante, quum in primis Poſtillæ hujus editionibus ſe ſperare clariſſimis verbis innuerat noſter Megalander, inde etiam a B. Spenero, ut teſtis veritatis hujus citandus. Poſtquam vero cognita Judæorum impietate Lutherus de gravitate loci Paulini Rom. XI. conqueſtus, dubitare de ſalute communi Judæorum cœperat, imo in libello, Schem hamphoras dicto, plane illam abnuerat, non poterat non optimus Cruciger mutata ſententia mutare & ipſa verba: unde poſteriores editiones Librorum Lutheri meliores cenſendos, & conciliationes locorum, quæ interdum inter ſe pugnare videntur, inſtituendas eſſe, eruditi ſtatuere cœperunt. Sed dum recurrimus ad *Crucigerum* noſtrum ad hoc quidem faciendum opus ille maxime idoneus videbatur, propter ταχυγραφίαν, quam inpri-

mis callebat, unde etiam facile promtitudo ejus in aliis hujuscemodi negotiis intelligi poterit. Certe usurpari de eo *Adami* in Vita ejus posse credidit, *Martialis* effatum:

Currant verba licet, manus est velocior illis
Nondum lingua suum dextra peregit opus.

Ob eamque adeo in scribendo alacritatem putaverim ego, Notarii manus in Colloquio Wormatiensi percelebri religionis causa instituto, ei fuisse delatum, ubi etiam incredibili pennæ volubilitate notavit cuncta, imo sæpe *Philippum*, si quæ omiserat, commonefecit optimo conatu, ut *Grævellanus* Præses disputationis de eo diceret: *Lutheranos scribam habere omnibus Pontificiis doctiorem.* Excepit etiam calamo enarrationes & conciones permultas a *Megalandro* nostro recitatas, postmodum eodem ordine, numero verborum & phrasium constructione repetendas & illustrandas; Cujus laboris fidem non solum *Luthero*, verum ipsi etiam *Rorario*, a quo interdum

terdum adjuvabatur, reapſe fecit, ſi opus eſſet. Poſtmodum etiam tempus quoddam Mathematicis conſecravit artibus, quarum eam conſecutus peritiam, ut Inſtrumentis a ſemetipſo fabre factis, varia notatu digna præſtiterit. Atque ita inter rumores Belli Germaniæ crudeliſſimi, ſibi Muſisq; vivens, placidam, ſed variis morbis expoſitam, vitam egit. Tandem laboribus & lucubrationibus exhauſtus An. 1548., cum Rectoratum gereret, infirmiori uti cœpit valetudine: Eoque tempore nihil fere ex eo auditum ferunt, niſi hæc paucula, ſed magni ponderis, verba:

Omnia prætereunt, præter amare Deum.

Ut invaleſcente morbo præſentiſcens, ſibi ex vita migrandum eſſe, de omnibus doctrinæ partibus, de miranda Eccleſiæ gubernatione, de Immortalitate & aliis cum ſuis collocutus, manibus complicatis, inter vota adſtantium exſpiraverit, aliis narratum eſt. Utrum, poſteaquam chaſma in cœlo conſpectum fuiſſet, hoc prodigio Cruciger motus varia in orbe futura prædixerit, quæ Sacra miſerum-

que Eccleſiæ ſtatum reſpiciebant, aliis relinquo judicandum. Factum illud eſt An. 1548. d. 16. Nov. Filium reliquit non bene omnibus audientem, ad Caſtra *Crypto-Calvinorum* Saxonicorum transfugam, & propterea Wittenberga tandem excedere juſſum, de qua Hiſtoria Form. Conc. frequens mentio apud *Hutterum* aliosq; occurret. Cujus non refricanda hic fuiſſet memoria, niſi primũ eundem Correctoris munere functum eſſe, & mihi perſuaſum fuiſſet. Quod cum certo comperire nondum potuerimus induſtriis Hiſtoriæ ſuperiorum ſeculorum ſcrutatoribus inveſtigandum commendamus, hactenus in Patre ſubſiſtimus, cujus etiam ſcripta meliori ſunt in pretio apud Eruditos: Sunto: Commentarii in Evang. *Johannis*. In Epiſtolam *Pauli ad Timoth. I.* In Pſalmos Davidis: Enarrationes in duos Articulos ſymboli. Nicæni &c. Orationem de eo habuit *Eraſmus Reinholdus*, quæ extat Tom. III. orationum *Melanchthonis*, ex qua *Adami* ſua hauſiſſe dicit, ut nos in multis vitula ejus araſſe fatemur, collatis

tis tamen Consiliis Wittenbergensibus Francofurti fol. excusis Tom. I. p. 9. seqq. & *Mayero* de versionibus Bibliorum *Lutheri* diss. cap. IV. Huic adjungendus venit recentior

Thomas Crenius.

Diu incertus eram, quid agerem, huc ne referrem, an auferrem, *Crenium* e numero Correctorum Eruditorum. Fundamento enim nitebar impresso quidem typis; sed ob partium studium & affectum autoris admodum suspecto. Prodiit nempe Epistola quadam Amstelodami ipsis Kalend. Aprilis An. 1706. scripta & excusa, autore Severino a Clamoribus ad Amicum quendam Baronem, de studiis, vita & moribus *Crenii* latina. In his plagulis misere tractatur Vir laboriosissimus, ut libellum in famam aliorum iniquiorem eo uno, si falsa sunt, quæ illic habentur excepto, vix legerim. Ignorantem enim & omnis solidæ Eruditionis plane rudem homuncionem appellat autor maledicentissimus, & qui solus sapere velit,

lit, deſcribit : Et quæ ſunt multa alia, quæ quandoquidem verane ſint an falſa ignoramus, & in viri hujus contumeliam hic repetere nolumus. Scimus, non omnes judicare Eruditos de *Crenio*, ut ille *Severus Severinus* a Clamoribus de moribus, ſtudiis & ſcriptis ejus clamare audacter non eſt verecundatus. Ut ut ſit, nobis id unum prætermittendum haud erit, quod inter alia eidem objecit: *Cum non habuiſſet, quæ ſuo uxorisque latrantibus objiceret ſtomachis, inopiæ ſuæ conſulturus Correctoris manus apud Leerſium obiiſſe, librosq; deinde ſcriptitaſſe*, & quæ ſunt hujusmodi ſimilia. Hujus igitur teſtis, tanquam firmo ſtare talo non auſus ſum, donec ex amico quodam cognovi, qui ex iſtis terris ad nos venerat, non omnino falſa eſſe, quæ ille hac in parte ſcripſerit, ſed *Crenium* utiq; hos diu peregiſſe labores; illud vero, utrum factum ſit paupertatis ſublevandæ gratia vel ſtudio juvandarum literarum, juxta cum amico illo me ignorare profiteor, quamquam magis illud vero ſimile mihi videatur. De reliquis idem interrogatus,

gatus, vel ſilebat, vel meliora docebat. Concedet itaque clariſſimus *Crenius*, ſi ſuo nomine percelebri numerum Correctorum illuſtriorem reddidimus. Non eſt, cur eum pudeat hujus operæ, juxta quam & adhuc amat ſtudia, promovetque ea variis modis haud ignobilibus, & labores exantlavit, quorum Literatiſſimos olim viros non pœnituit. Multoque adeo minus laudi & æſtimationi ejus detrahetur, quin potius in majus excreſcet, & emerget, ſi reapſe refellet *Severinum* illum iniquiſſimum, qui ſupercilioſum & ſublati animi eſſe ſcripſerat, dum inferiora ad juvandas literas conducibilia negotia tractaſſe non erubuit. Quod ſupereſt de Patria, Germaniam ne & Lüneburgicum agrum, ſive quod *Schulzius* veroſimillime affirmat, Marchicum eum genuiſſe hactenus a multis dubitatum eſt. *Carolus Arndtius* in Bibliotheca Politico-Heraldica Hungarum appellitat, cum quo conſentit Clar. Struvius in præfatione in libellum Guarini de ordine docendi & ſtudendi, qui vero a laudato *Schulzio* tr. de Claris

Mar-

Marchicis p. 36. refellit ac Marchiam patriam habuiſſe ex Dedicatione Exercitiorum ſacrorum MDCCV. 8. Lipſ. editorum, item ex Dedicatione Partis XIV. Animadv. Philol. multis cum viri Encomiis evincere contendit. Reliqua quæ fuerint *Crenii* doctiſſimi, noſtris Germanis forte magis quam Belgis æſtimati, fata tranſigant, quibus otium eſt, & certiora innotuerunt. Scripta vero idem *Schulzius* enarrat, quæ tamen repetuntur ab Autore des ausführlichen Berichts von neuen Büchern und andern Dingen Francofurti & Lipſ. 8. P. III. p. 299. Ex quibus ſequentia eminent: Animadverſiones Philologicæ & Hiſtoricæ Partibus XVIII. jam conſtantes. 8. Exercitationes de LL. Scriptorum optimis. Lugd. 8. De furibus Librariis Lugd. Bat. 1705. 8. Exercitia Sacra in priora quædam Muſis Lipſ. Betrachtungen von Leiden JEſu Chriſti P. III. der anfangs erſchrockene / zu letzt aber wohlgemuthete David / 8. 1708. De ſingularibus Scriptorum. Scripta aliorum, quæ emiſit, nunc

nunc non recenſebo, utpote multis ſatis jam cognita & locis citatis recenſita, ut ſunt: opuſcula ad Hiſtor. & Philol. ſacram ſpectantia: Analecta Philol. Critica: Muſeum Philol. & Hiſtor: Methodi & Conſilia ſtudiorum etc. Sicco igitur pede properandi ad alios ultimus in Elemento C. occurit

Stephanus Curcellæus

CEleberrimus hic Remonſtrantium Doctor Genevam habuit patriam, natus ibidem VI. Nonarum Maji Anno 1581. Patre *Firmiano Curcellæo* Ambienſi, qui in Laniena iſta Pariſienſi, quam ſapientiores Pontificii ne ipſi quidem defendere audent, multa ſubiit pericula. In cella enim quadam Lugduni per tres dies noctesq; in occulto latuit, atque ſic tandem ſalvus evaſit. Ab eo igitur *Stephanus* noſter probe educatus, feliciter edoctus, aliorumq; virorum doctrina curis traditus fuit. Non fraudavit etiam patrem ſpe ſua eventus; erat enim judicii viribus admodum illuſtris, prudentiq; & limato ingenio præclare inſtru-

ſtructus. Ad hæc a pueritia in Magiſtrorum ſuorum placita ſe non juraſſe, ſtatim præ ſe tulit, nihilq; niſi firmiſſimis fundatum fuiſſet rationibus, credidit. Unde pæne luxus ingenii & in varios poſtmodum errores lapſus coortus eſt. Factum etiam narrant non raro, ut Præceptoribus obloquererur, quando prima ætate omnium rerum exactam requirebat demonſtrandi rationem. Excuſſo Scholaſtico pulvere in Athenæum Genevenſium ſuſceptus, fervido ad Matheſin impetu abreptus, omni contentione illud agebat, ut nulla alia occupatio, ad judicii vires firmandas, idonea inſtitutum ſtudiorum curſum retardaret. Ceteroquin nihil invita faciebat Minerva, ad omnia paratiſſimus promtiſſimusq;. Aſtrologiam præcipue judiciariam, omnium artium, ut ipſe poſtea affirmavit, vaniſſimam, ita amavit; ut ab iis nugis vix abduci paſſus fuerit. Poſtea *Carteſii* hypotheſibus Philoſophicis deditus in iisdem tamen ſeneſcere recuſans in forum Theologorum tranſiit, in quo verſandum imo moriendum ratus. Sed

ne hic quidem a Doctorum opinionibus aut Personarum gravitate pependit, quin sentiendi sua libertate retenta etiam *Calvino* & *Bezæ*, Dictatoribus quasi Reformatorum, non raro publice contradicere haud vereretur. Tandem Genevam Basileam, abhinc peragratis variis Germaniæ regionibus Coloniam & Heidelbergam delatus est. Miratus est hic loci tenacissimam *Dionysii Gothofredi* memoriam, quinquaginta & sexaginta lineas aliorum scriptorum ex fidelissima hac rerum custodia, memoria, recitantis. In Gallias deinde reductus, munera publica petens Fontis primum Bellaquei Pastor factus est; postea Ambianam in Picardia Ecclesiam curæ suæ commissam habuit. In quo quidem officio constitutus ad Arminii partes incinans Synodum cœpit oppugnare Dordracenam, & denique Instrumento in Synodo alia de V. Prædestinationis Capitibus constructo subscribere recusans, relicto cœtu suo in pago quodam aliquandiu docuit. Evocatus tamen exinde fuit, ut Ecclesiæ Urbicæ Vitriacensi

ſi totius Campaniæ frequentiſſimæ & celeberrimæ proſpiceret. Poſt decennium tamen anno ætatis 34. Gallos libertati ſuæ inopinando infeſtos timens, in Belgium abiit. Atque his tandem in locis ea operatum eſſe memorandum nunc erit, quæ in recenſum noſtrum eum collocarunt. Verbis id faciam ex Vita operibus ejus præmiſſa mutuo acceptis, quæ hujus ſunt tenoris. Refert non nemo ipſius inimicus (*Mareſius* puta) quod in has terras ingreſſus Epiſcopio ad pedes ſit provolutus; dein prolixe illud exagitat quod Canonibus Dordracenis ſubſcripſerit; deniq; exprobrat, quod Typothetis ad prælum in libris emaculandis inſervierit, atque hoc velut opificio ſe & familiam ſuſtentaverit. Neſcis, *Mareſi*, neſcis Inimice, pergit Vitæ Auctor, cum neque verum ſit omne, quod dicis, & id, quod verum, non incontemtum, ſed in laudem amici Tui cedat. Nego ſupplicem eſſe factum illum, cui in Auditorium hoc ingredienti Epiſcopius ipſe honoris gratia aſſurrexit, ſuaque ei ſubſellia concedere voluit,

voluit, ut ipſe habendæ diſputationi præeſſet. Unde exiſtimare licet, dignatione quanta a D.Epiſcopio ſit habitus, quamq; nihil neceſſe fuerit huic humaniſſimo viro ſe ſupplicem proſternere. Sed enim prælo noſter inſerviit, & ad magnas anguſtias eſt redactus. Fecit ille hoc non ſpe lucri, ſed in gratiam præſtantium aliquot virorum, & quidem eorum rogatu Illuſtris *Hugonis Grotii inprimis*, cujus *annotata in quatuor Evangelia*, a mendis repurgavit. Vertit & Mathematica nonnulla, in linguas alias, quod neſcio an homo inimicus præſtare, poſſit, & in gratiam amicorum, an facere id poſſet, ſi velit. Deſcriptiones Geographicas, quarum Clariſſimus *Barlæus* nonnullas confecerat in opere magno *Blauviano* perſecutus eſt, atque contexuit etc. Ad hæc addimerentur verba Clariſſimi *Benthemii* infra citandi: Ober wol / ſcribit, auf geſchehene Verwerffung des Arminianiſmi, wieder angenommen wurde / kehrete er doch bald wieder zu ſol-

cher Meinung/ und entwich nach Holland / da er dann Anfangs sich mit der Correctur in der Buchdruckerey des Blauwen zu Amsterdam sich erhalten muste. Sed non diu admodum in his *Curcellæus* hæsit ; Episcopio siquidem e vivis sublato, in officium illud & locum sat splendidum est surrogatus, collegasq; habuit, *Carolum Niellium*, *Barthold. Prævostium*, & *Albertum Huttenum*. Huic muneri ea Sedulitate ac fide præfuit, ut in lectulo jam jam fatali decumbens lectiones & colloquia disputatoria habuerit. Sublatus tandem est ex hoc mundo eodem die, quo nos Christi glorioſam in cœlos ascensionem sancta memoria lætabundi gloriamur. A. 1569. Scripta reliquit plurima exquibus eminent illa, quæ emisit, cum inter *Mosen Amyraldum* & P. *Molinæum* controversia exorta esset, in qua discernenda priori magis, quam huic favit, postea tamen ipse contra *Amyraldum* librum edidit, de jure Dei in Creaturas, quo se & *Arminium* strenue defendit. Novum Testamentum ejus studio nitidissime

diſſime excuſum proſtat, ex antiquis codicibus emendatum, & Lectionibus variantibus ornatum; quibus tamen non ſemper cæca fides eſt habenda, eamq; ob cauſam apud noſtrates in tanto pretio non eſt, quantum apud Remonſtrantes ſibi acquiſivit. Sub finem deinde vitæ tr. typis conceſſit, de Eſu ſanguinis, quo ut in V. T. abſtinendum eſſe judicat, quod ab *Heideggero* eſt oppugnatum. Suſceperat etiam Hiſtoriam *Johannis Papiſæ* (qualem & nunc Celeberrimus *Leibnizius* meditatus eſt) eamque fabulam fuiſſe & eſſe monſtraturus erat contra *Mareſium*, ſcripta poſthuma ſunt: De vocibus Trinitatis, Perſonæ etc.: de Peccato originis: De neceſſitate cognitionis Chriſti? De Hominis Juſtificatione coram Deo &c. Taceo de plurimis præfaminibus, quæ variis hinc inde præmiſit operibus. Epiſtolæ ejus reperiuntur in Epp. Remonſtrantium 8. primum poſtea vero fol. impreſſis 1684. ap. *Wettſtenium*: Opera conjunctim prodiere Amſtelod. apud *Elzevirios* 1675. fol. quibus oratio funebris Arnoldi

Pœlenburgii præmiſſa eſt, quam vide conf. *Crenii* Animadverſiones Philoll. P. V. p. 104. *Benthemii* Holländiſchen Kirchen und Schulen Staat. &c.

VVolfgangus Chriſtophorus Deslerus

VIr Pius & varia Eruditione ſpectabilis, natus in Imperiali urbe Noribergа, patre *Nicolao* mercaturam gemmis aliisque pretioſis rebus faciente, matre *Margaretha Rœſlina* Anno 1660 d. 11. Febr. uti a prima prope nativitatis hora fortunæ vices varias multipliciter expertus, quippe qui in lucem vix editus erat, ab Obſtetrice pulvinaribus tectus & ſuffocatus fere, periiſſet: Ita etiam creſcentibus annis vitæ pericula alia non unius generis ſubiit, ex quibus tamen ſingulari Dei bonitate ſalvus ſemper evaſit. Interim a pueris amore literarum rapiebatur, eisque erudiri avide cupiebat: Verum parentum bonorum facultatibus admodum attenuatis, multisque pretioſioribus mercibus hinc inde in aulis Principum divenditis, pro

qui-

quibus ſolutionem obtinere haud poterant, invitus & non niſi pietate in Parentem ductus, Aurifabri fidei artique addiſcendæ ſe paſſus eſt tradi. Sed cum nihil ominus aviditatem in libros retineret, & vix aliqua lætitia, niſi viſo aliquo Erudito viro perfunderetur, factum, ut a Magiſtro ſuo dimiſſus alius generis munia in ædibus, quibus monetarum earumque valoris ratio habetur, itidem coactus ſuſciperet: donec ad labores tenerior juſto viſus ad patrios reverſus eſt lares. Otio igitur dato ingenii vires, cum alia re non poſſet, ingenioſe fabre factis & ludicris rebus præclaram indolem prodidit. Unde Patri tandem amici perſuaſerunt, ut filium melioribus artibus expoliendum traderet. Curæ itaque & fidei Magiſtri *Joh. Georgii Brendelii* Conrectoris Scholæ ad Spir. S. traditus liberalis doctrinæ primis fundamentis inſtructus eſt. Hinc poſtmodum in inclytam Univerſitatem Noricam Altdorfium migravit, atque ibidem moderantibus *Rætenbeccio*, *Omeiſio*, *Sturmio* & aliis avide omnia arripuit didicit-

que, cum qua induſtria raro exemplo Pietatem inſignem probitatemque vitæ habebat ſemper conjunctiſſimam. Interim neque hic ab ærumnis liber fumtuum raritate attritus, a laudabili conatu recedere fere coactus fuit, & ex mœrore, ut viſum, contracta febri hectica oppreſſus eſt; At Dei beneficio priſtinæ ſanitati reſtitutus res ſuas convaleſcere denuo vidit. Poſt hæc peregre abiturus, celeberrimum *D. Bebelium* affinitatis vinculo ſibi junctum, inviſere ſuſcepit. Impeditus tamen & nummorum æque ac Sanitatis tenuitate, cui nimis fidendum non erat, in patria permanſit, amicitiamque Clariſſimi *Eraſmi Franciſci*, de quo ſuo loco exponemus arctiſſimam coluit. In hujus gratiam quædam ſubinde tranſtulit ex Italico idiomate ſive in Latinam ſive in Germanicam linguam, nullum laboris pretium & præmium pactus, quam fidam laudatiſſimi Viri Inſtructionem, & benignam interdum manum, quam benevolentiam hucdum prædicat *Deslerus* noſter. Cœperat interea aliquoties etiam ex Cathedra Eccleſia-

cleſiaſtica ad populum ſermones facere; cum vero voce nimis ſubmiſſa & exili loqueretur, eamque attollendo ſibi & valetudini timeret, aliorum conſilio ab incepto deſtitit, totumque ſe emendationi librorum in Typrographiis conſecravit; Eum in finem linguas Italicam, Gallicam, Anglicam, Hiſpanicam & Belgicam docili hauſit animo, ut & vertendis codicibus, ſi requireretur, operam navare poſſet. Intercedente igitur dicto *B. Eraſmo* Franciſci ex officinis *Knorzianis*, *Sperlingianis* & *Felſeckerianis* paginas ad ſe miſſas omni ſtudio reſtituit. Vertit etiam in noſtram Germanicam linguam plurima ſcripta ſibi tradita, quæ omnia hoc loco cum ipſis libris, quos immenſa copia correxit, brevitati ſtudentes, recenſere operæ pretium eſſe vix ducimus. Sufficiat meminiſſe Illuſtris *Pufendorfiani* operis, quod Commentarius de rebus Suecicis 1695. fol. Germ. & Latin. & Gallicæ A. 1697. titulum gerit; Itemque *Florini* Klugen und Rechts-verſtändigen Haus-Vatter; & Le Grand Hiſtoria

Naturalis. Quæ ſcripta, cum a mendis, quod in ſe erat, purgaret, Impreſſor, inſcio Correctore, nominata in Latina *Pufendorfii* editione doloſe admodum egit. Mittebat ſcil. negligentiſſimus homo plagulas jam jam correctas, & ad revidendum traditas, atque interea nihilo ſecius haud ceſſabat in opere preli, atque ſic multas imprimebat mendis admodum ſcatentes. Recepta vero charta, cui notata erant in ſcripta, tunc demum quod ſupereſſet corrigens, excudebat quædam meliora exemplaria. Eam turpem lucri cupidinem indigne *Deslerus* noſter, utpote operis Corrector, cum ſemper tulerit, ita etiam nunc querelas non immerito fundit, & lectorem de cauſa ſphalmatum monet. Quod reliquum eſt huic operi intentus immori eidem bono cum Deo conſtituerat; verum enim vero, cum ad docendum in Scholis inprimis aptus videretur, moderante ſummo Numine, Con-Rector tandem Norimbergenſis Ludi ad Spiritum S. electus eſt; quem nuncium ſingulari le-

ri lectione de providentia DEI occupatus, uti inſperato acceperat, ita in humeros ſuos laborem mandatum A. C. 1705. die Exaltationis Crucis ſuſcepit, & cui huc usque cœlebs omni fide, Pietate, diligentia præeſt, & DEO inſperante impoſterum diu præerit feliciſſime: quod toto pectore apprecamur. Reſtat ut paucis de ſcriptis ejus mentionem faciamus, quæ non ſunt aliis notata. Sunt vero illa: Das alte und neue Morea/ quem libellum ex Italico tranſtulit idiomate, ejusque adjecit *Boëthii* Kriegs-Helm / An. 1686. 4. Ex Gallica lingua vertit Primam partem Artamenis in Germ. L. Aſcetia ſunt: Die Seelen-Luſt/ 1692. 8. Andachts-Woche / ex Gall. Herr *Moulins*, An. 1696. 8. Blut- und Liebes-Roſen/ oder Paſſions-Andachten/ 1695. 8. & nuper demum, Hertz-wallende und von heiliger Liebe erregte Funcken der Liebe JEſu/ 1712. 8. Suſceperat etiam in vernaculam noſtram transponere Tratado de la Oracion ii Meditacion recopilado par el *Pedro de Alcantara*, Ma-

driti, 1612. excuſo, quo vero opere certis ex cauſis iterum abſtinuit. Præter hæc non dubito, quin & alia ab eo exſpectanda adhuc ſint, quorum vim haud exiguam in cordibus Lectorum judicamus, quippe qui Autorem candido pectore, & in Chriſtum amore ſincero, nec fucata Pietate ſcribere, ſuaque vita ipſa confirmare plane cognitum habemus & ſcimus. Sed procedendum ad alios. Occurrit vero proximus a *Deslero*

Demetrius Chalcondyles.

PAtria *Byzantinus*, qui, Conſtantinopoli a Græcis occupata, & durius nimis Græcis illic tractantibus, una cum aliis Popularibus, viris probis & Eruditis patrium ſolium, dulce quamvis his hominibus, relinquens, in Italiam, viciniorem ſibi & ſtudiis literarum aptiorem, contendit, Seculo poſt Chriſtum natum decimo quinto jam inclinante. Florentiam itaque delatus, ubi factum paulo ante erat, ut Civis ejus *Johannes Argyropolus*, qui Coſmi Medicis benigna libe-

liberalitate usus, & *Petro* filio, *Laurentioque* Nepoti illius Præfectus fuerat. Ob pestem istis terris imminentem, dum Romam aufugisset, fortunæ suæ initia invenit. Etenim hujus munus desertum favore Principis munitus ambire cœpit, sed mox æmulum nactus Angelum *Politianum* peracrem quidem & ambitiosum hominem, ut *Jovius* eum appellat, competitori cessit, ac lubens ei omnia reliquit. Ubi quidem maxime oberat nostro *Demetrio*, quod Latini sermonis mediocriter peritus, facillime a *Politiano* vincebatur, quamvis hunc Ciceronianum magis, quam Christianum hominem, ut accusant, aliique excusant, Græco superaret idiomate. Quibus etiam rebus factum, ut rariuscule Auditores in Schola Chalcondylæ comparerent, Angelusque omnes suavitate sermonis politi ad se alliceret. Discessit igitur noster Venetias, ibidemque *apud Aldum* Græcos codices sub prælo sudantes diu correxit, opere non contemnendo, & maxime utili, atque ad quod tunc temporis non nisi in Græ-

cia

cia nati & Eruditione illuſtres requirebantur, viri. Id tamen factum eſt, non antequam Princeps Florentiæ obierat, neque *Demetrio* locus ibidem commorandi amplius ſupererat. Poſt hæc Mediolanum a *Ludovico Sfortia* accerſitus, una cum uxore & liberis eo commigravit, ac non multo poſt Grammaticæ ſuæ rudimenta luci publicæ expoſuit. Ex ea uxore prudentiſſima & caſtimoniæ admodum perſpicuæ, tres filios genuit, filiamque non niſi unicam. De illis vero parum habuit, audivit, viditque, ob quæ lætari potuiſſet: Major enim natu *Theophilus* multum quidem profecerat in literis, ita, ut Ticini jam publica authoritate *Homerum* explicaret; Sed cum vir eſſet inquieti & turbulenti animi, factum, ut nocturno tempore congreſſus cum petulantibus quibusdam hominibus hoſtili modo, confoſſus, & obtruncatus occumberet. Quæ tamen filii fata mater ſapientia ſpectabilis clam, Patre jam ſene, ſemper habuit. *Baſilius* alter, optima Patri de ſe exſpectandi ſpem fecerat quidem veram,

veram, hujus ſpei complementa daturus, Romam a *Leone* P. R. ut in Gymnaſio doceret, vocatus, febrili morbo præmaturo fato vita exceſſit. *Seleucus* minimus inter fratres vix ex Ephebis progreſſus, diem obiit ſupremum: Filia vero *Jano Parrhaſio* celebri ob Eruditionem viro in matrimonium conceſſa fuit. Denique & noſter octogenario major Mediolani ſpiritum exhalavit. Quem de reliquo bene diſtinguendum eſſe a *Laonico Chalcondyla* Athenienſi, qui eadem ætate fere vixerat, monemus. De ejus Grammaticæ Rudimentis jam antea quædam dicta ſunt. Erotemata ejus magnis laudibus celebrat P. *Daneſius*, quæ edidit *Melchior Volmarus*, teſtante Kœnigio, in Biblioth. De ceteris; vide ſi placet Jovium in Elogiis p. m. 69. ed. 8. Baſil. *Nicol. Reiſneri* Icones T. I. p. m. 77. & *Morhofii* Polyhiſtorem P. I. L. IV. c. 11. §. 6. p. 6. & alios.

Johannes Michaël Dilherrus.

HIc Noribergenſium præclariſſimus Theologus multis nominibus Eru-

dito

dito orbi & Ecclesiæ cognitus, Themari, oppido ditionis & Comitatus Hennebergici An. Christi 1604. ortus est Patre, Johanne, Juris-Consulto apud suos claro, & rerum Memingæ gerendarum Patrono. Vix noster e crepundiis & cura domesticorum Præceptorum profiluerat, missus est in Gymnasium Schleusingense, ubi prima literarum posuit tyrocinia, jactis Pietatis Christianæ & artium fundamentis, in Græcis potissimum proficiendo. In hoc tamen studiorum suorum cursu nonnihil retardabatur, fortuna & Religionis negotiis Parentibus adversis; Necessaria igitur ad vitæ sustentationem vix obtinere potuit; Unde non sine stomacho in hoc Pelagus Eruditionis se immersit. Sed per aspera ad Astra eundum esse jamtum sentiens, eam legem & sibi scriptam esse agnovit *Dilherrus* noster, atque hinc, superata egestate, conatu ac studio indefesso, Numinis omnipotentis nisus gratia, tandem ad scopum per varios anfractus, DEO Duce, feliciter pervenit. Id vero antequam contingeret,

tingeret, multa adhuc ſubire fata ſingularia & triſtia non minus quam ſecunda neceſſe habuit. Anno 1623. Goslariam abhinc Lipſiam profectus eſt, ubi nulla alia occaſione, quæ ſuſtentandæ vitæ inſerviret, inventa, famulitia, nobilibus quibusdam Muſarum filiis facere cœpit, idque exemplo variorum, aliorum virtute, & Eruditione celebriorum virorum, ex quibus unum *Ahasverum Fritſchium* nominaſſe ſufficiat. Poſteaquam vero conſpexit, literarum ſtudiis parum hac via conſultum eſſe; aliud quoddam negotium, rebus ſuis congruentius, ut putabat, & ad ſtudia promovenda aptius, ſuſcepit. Expunxit itaque, certo pretio conſtituto, vitia ex paginis, quæ in Typographiis Lipſienſ. præla fatigabant; atque ſic cum alimentis tum etiam Muſis ſuis ſatisfactum credidit. Paululum itaque ex tot hoſtibus ſoſpes evaſit, & diligentia atque ſudore ſummo, quo literis inhiabat ad majora ſemper pedetentim conſcendit. Claritate enim nominis quodammodo conſpicuus, & ingenii viribus conſpectis lautiori

tiori quoque fortuna uſus eſt. Wittenbergam igitur profectus; poſtquam aliquandiu ibi vixerat & pari ſedulitate correxerat, Lipſiam reverſus & Noribergam hinc ab Amicis vocatus, cum gnatis eorum, ſuæ fidei creditis, Altdorfium abiit. Abhinc porro Jenam cum iisdem, qui curæ ſuæ commiſſi erant, devectus eſt. Atque hic tandem locorum munus, Eloquentiam publice docendi, demandatum accepit, ad quæ cum Hiſtoriam latifundia perſpexiſſet, Poëſeosque rationem geſſiſſet, ad literas divinas explicandas acceſſit. Florente ſic Nominis fama, Norimberga celeberrima Civitatum Imperii cum ſibi vindicavit: Illuſtris enim Senatus inclytæ Reipubl. Profeſſionem Theolog. in Gymnaſio, & directione ejusdem it. Bibliothecarii & Inſpectoris Alumnorum, cum ſpe ſplendidi ſtipendii obtulerunt. Qua conditione accepta Paſtoris deinceps Primarii in æde Sebaldina officia ſubeunda illi fuere demandata. Quid multis? Tanta ejus fuit in laudata urbe æſtimatio, & auctoritas, quanta, quanta vix ante, aut

aut poſt eum, quemquam valuiſſe hactenus compertum eſt. Imperatoris quoque Leopoldi & Principum variorum Imperii German. conſecutus eſt ſummam: Ad hæc Senatorum Civitatis Populique favore uſus, omnibus gratus conſtanter vixit. In concionibus alta & clara utebatur voce, ita ut quaſi Eloquentia ſua intonuerit, quam etiam vocem ſublatam, nequidem in ultimis Vitæ diebus, quo benficio & B. *Andream Myhldorfium* nuper demum vita defunctum, in officio poſt interjectos alios ſucceſſorem uſum itidem fuiſſe Cives Norici optime norunt. Obiit *Dilherrus* An. 1669. d. 8. April. Cujus librorum Pars, jure ut vocant Teſtamenti. Item Nummophylacium Collegio Eccleſiaſtico Sebaldino ceſſere, & in ædibus Sebaldinis Pfarr-Hof aſſervantur; Pars autem publicæ Sebald. ut vocatur Bibliothecæ, quæ in Monaſterio Dominicanorum conſpicitur, tradita eſt. Quarum utraque a Laurentiana probe diſcernenda, utí enim illa copia librorum, & eorum præcipue, qui inter

prima Typograghiæ inventæ tempora excuſos numerantur abundat; ita Laurentiana oſtentat Codices pretio claros & raritate ſpectabiles: Hujus autem Dilherri ultimæ voluntatis cauſa, ſine dubio, fuit, quod uxorem duxerat ex plebe, id quod hodienum ob cupidinem divitiarum explendam a Paſtoribus peſſime fieri ſolet. Eam vero non ita expertus eſt humilitate nempe conſpicuam ut ſperaverat quidem. Huic igitur & cognatis ejusdem Librorum numerum utilem vix fore ratus publico uſui deſtinaſſe creditur. De reliquo quotiescunque per occaſionem liceret, eos, qui Eccleſiæ præeſſe contendebant, monuit, caveant, ne ex vulgo ſibi uxores ducerent, ut quæ non raro ſuperbire admodum ſoleant. Quod monitum certe etiam noſtro nunc ævo variis conducere poſſe ſum perſuaſiſſimus. Scripta, quæ de *Dilherro* hodienum extant varia ſunt, & ab omnibus Geographis jam deſcripta, ut Apparatus ejus Philol. Atrium linguæ ſanctæ Eclogæ ſacræ N. T. Syr. Gr. & Lat. Poſtilla & alia, in quibus

quibus non eſt, quod moremur. Conferantur Freherus, Witte, Uhſeus, Clarmundus & alii. Miſſo igitur hoc ſine cunctatione ad alios progrediemur. Sequitur ergo

Auguſtinus Dodo.

PAuca ſunt, quæ de hoc viro expiſcari & colligere potui, niſi quod ex Friſia ortum traxiſſe communi conſenſu Eruditi & *Swertius* inprimis tradunt. Poſtea vero ſtudiorum cauſa hinc inde circumvagatum, ac denique Baſileam, diribitorium fere tunc temporis Eruditorum veniſſe non obſcuris documentis conſtat. Nobis in præſens ſufficit monuiſſe Canonicum ibidem S. Leonhardi factum, & *Johannem Ammerbachium* in opere Typographico adjuviſſe, emendando, quæ imprimebantur, reſtituendo veterem & genuinam codicum lectionem, & ſummaria libris totis atque Argumenta Capitibus ſingulis præmittendo An. 1504. Audiamus hac in re Adami verba, hæc in vita Pelicani tradentis: *Eodem anno Jo-*

hannes Ammerbachius Senior excudere typis omnia opera S. Auguſtini cœpit. Ad hanc editionem contulit operam ſuam Auguſtinus Dodo, Canonicus ad Div. Leonhard. qui cœperat etiam ſcribere in ſingulos hujus operis libros argumenta. Antequam vero ad finem iſte labor perductus fuerat, peſtilentiali morbo Dodo correptus, diem obiit ſupremum. Reliquit alias Excerpta varia, quæ ſe typis excuſa vidiſſe *Geſnerus* teſtatur, nobis autem nunquam conſpecta ſunt. Conf. Cl. *Buddeus* in Lexici T. II. p. 844. *Reimmannus* P. III. des Verſuchs/ &c. p. 231. & *Simlerus* in continuationes Biblioth. Geſnerianæ, ubi ipſius Dodonis fit mentio. Cetera enim obſcura ſunt. Quare ad celebriorem pergimus.

Deſiderius Eraſmus.

IN arenam potius deſcendat, Syncretiſta ille famoſiſſimus, Monachorum flagellum, & Erudita Beſtia, ut a Pontificiis nominabatur. Cujus quando quidem omnes, quotquot fere extant Vitarum Scriptores, fecerant mentionem,

tionem, non ſatis cauſæ video, cur multis de eo in præſenti diſſerere opus ſit. Attamen, ut inſtituto noſtro ſatis faciamus, pauciſſimis repetenda videntur ſingularia tanti viri fata. Genitus eſt, ut tradunt, furtivo concubitu, Patre *Gerardo Gerardi*, Matre Margaretha Medici cujusdam filia, & Roterodami quidem An. 1466. d. 2. Octobris, unde cognomen hæſit. Puer admodum in Schola Daventrienſi a *Rudolpho Agricola* viſus, his verbis dimiſſus eſt. *Tu eris aliquando Magnus.* A Tutoribus deinde in Monaſterium Emaus, ad Goudam ſitum, detruſus, averſatus hoc vitæ genus, veſtitu Monaſtico retento, in familiam Epiſcopi Cameracenſis receptus eſt. Poſthæc Itinera ſuſcepit, & Bononiæ Doctor Peſtilentiarius ob indumenta creditus, & a pueris in via publica verbis plagisque vexatus, veſtes religioſas dejecit. In Alpibus Cottiis honores Doctorales obtinuit; Romæ vero admodum magnificis decretis honoratus, parum abfuit, quin in Purpuratorum numerum receptus fuerit, ni odia tot

tantaque contraxiſſet ſibi, ex eo, quod Religioſorum ordinum ſegnitiem, Ruditatem aliaque vitia, tanta ſtili & ſermonis acrimonia ſæpe traduxiſſet. In negotio de reliquo Religionis, judicamus fuiſſe vel nullius, vel omnibus addictum, profeſſione tamen externa longas Pontificum manus timentem Papæ cultorem fuiſſe conſtat. Videbat interim & perſpiciebat Eccleſiæ ſuæ corruptelas, neque negare poterat, revocandam eſſe integritatem Apoſtolicam priſcam, fidem & mores ſanctos. At vero ob meticuloſitatem hinc inde fluctuans, & conſcientiæ utcunque conſulturus vulneratæ, fontes divinæ ſapientiæ, tandem ſtudia nempe Theologica plane ſepoſuit, & in elegantiori literatura ad vitæ usque terminum extremum conſtanter perſtitit. De reliquo, ut mens de externis quibusdam Pontificiorum ſacrorum ceremoniis ejus pateat, ſciendum, raro, niſi in conſpectu aliorum ſacra atque benedicta aqua ſe adſperſiſſe, & raro eum ſecundum ordinem Corollarum ſuarum preces ad

Deum

Deum vel Sanctos misisse, visum fuisse. His alia singularia quædam viri optimi adjiciam, quæ non ubivis obvia sunt, & non nisi ex Epistolis Londinensis præcipue editionis patent. Pisces ei fuisse insalubres, Cerevisiam Brittannicam non amasse, vino gavisum eleganti, sine acore, novo maturo, non dulci, non acerbo, mediocri colore leviter rubido, stantem, scripsisse: De nummis corradendis valde fuit solicitus, id quod tamen miramur, cum sexcentis per annum uteretur florenis ad familiam alendam, quam Equi duo, tres famuli, & anicula quædam faciebant. Interim tamen fortiter tulit nummorum jacturam, cum aliquando a latronibus spoliatus fuit. De reliquo sæpius se ipsum glorioſius commendavit, & quamvis ambitioſus ideo dicendus non veniat, interim tamen non raro illud vitium passim emicuit, ita quidem, ut aliquando equo mercenario & vili insidere eum puduerit. Sed hæc haud curamus, saltem illud ut verissimum, neque sic tamen, quod literati orbis com-

moda attinet male rem ſe habuiſſe, multum potius uſui fuiſſe toti literatorum choro, ſcriptis præcipue, ut fere neceſſe erat, ea tempeſtate emendandis, reſtituendisque incumbendo. Non tantum enim *Lovanii* apud *Theodoricum Martanum*, ſed, ut *Scaliger* teſtatur, etiam Venetiis apud *Aldum* exornandis codicibus præfuit, id quod tamen non niſi de Proverbiis ſuis ipſe factum eſſe concedit. Quam maxime autem Baſileæ, utpote in ſuo, ut ajebat, campo, in ædibus *Frobenianis* caſtigando & corrigendo *Hieronymi*, *Ambroſii*, *Hilarii* & aliorum Eccleſiæ primæ Patrum Latinorum Volumina, conquiſitis vetuſtiſſimis Exemplaribus ac collatis, adjutus, tempus haud breve conſumſit. Neque corrigendo tantum, atque ad marginem ſubinde notando, quæ male habeant Fratres ignorantiæ in ſe quicquam deſiderari paſſus eſt: uti Exempla Frobenianarum Editionum terſiſſimarum lectorem edocent. Eadem opera functus eſt in Novo fœdere imprimendo, quod Leoni X. inſcripſit, &ali-

& aliquoties repetitis, in quo tamen quam maxime erraſſe noſtri querun-tur, dum dictum illud ad Romanos IX. v. 5. ad mentem Photinianorum excudi conceſſit, puncto inter verba, ex qui-bus Chriſtus ſecundum Carnem & ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς, interjecto. De hac editione nuperæ Millianæ & Kü-ſterianæ fol. cum Wettſtenianis 8. con-ſuli queunt. Aliquandiu poſtea qui-dem Baſileæ valedixit, ſed mox edituru-sAdagiorum ſuorum Chiliades, eo re-verſus eſt, quo tempore ſtudiis Theo-logicis revocatus, Paraphraſes Paulinas & Evangelicas ad finem perduxit opta-tum. Vi fati eo deductus, cum ſpina dorſi, ab Equo conſternato, diſtorta fuiſſet; Baſileæ vero veritate Evange-lii patefacta, Pontificios in concepta de ſe ſiniſtra opinione non confirmaturus, abitum meditatus eſt; Friburgum, ubi domum emerat; id quod factum, poſt-quam octo continuos illic exercuerat annos. Nec ullis tamen potuit Am-merbachiorum precibus retineri. Na-vem igitur inſcenſurus ajebat:

Jam Baſilea vale, qua non urbs altera multis,
Annos exhibuit gratius hoſpitium.
Hinc precor omnia læta tibi, ſimul illud Eraſmo,
Hoſpes uti ne unquam triſtior ad veniat.

Hoc vale tamen, quod Benif. Ammerbachius tabulis ſuis exceperat, & quod jam ſemel dixerat urbi, neglecto, rediit nihilominus An. 1535. & in Civitatem & ad priores labores, quorum quantum habuerit curam, & quam grave fuerit opus, ipſe in Epiſtola quadam, cujus verba Celebr. *Caveus* in Introductionis ad Scriptores Eccleſiaſticos præfatione, ita nobiscum communicavit: *Herculem tantis laboribus non fregiſſe, in hunc modum non ſudaſſe, cum tot pertimeſcendis, ac torvis beſtiis dimicandum fuerit, quam ſe in corrigendis codicibus tot mille mendarum refertis, iisque expungendis.* Et in alio libello ad P. Curſium de doloſo quodam facto Impreſſoris ita ſcribit: *Nuper cum, inter imprimendum, excuſores aliquot conqueſti fuiſſent,*

fuiſſent, me ſibi Xenia nondum perſolviſſe. Exortus eſt inter eos quidam vinolentior, qui profiteretur, ſe pœnas a me exacturum; atque ita profecto Veterator tam egregie perfecit, ut aureis nummis trecentis iſtam ignominiam redimere voluiſſem. Cum enim in Vidua mea, quam Sereniſſimæ Hungariæ Reginæ dedicaveram, ad laudem cujusdam ſanctiſſimæ fœminæ inter alia liberalitatem illius in pauperes referrem, hæc verba ſubjunxi: ***Atque mente illa uſam eam ſemper fuiſſe,*** *quæ talem fœminam deceret. Sceleſtus ille animadvertens ſibi vindictæ occaſionem oblatam eſſe, ex* ***mente illa, mentula*** *fecit. Itaque Volumina mille impreſſa fuerunt. Quid igitur, &c.* Sed properans ad finem, illud moneo, quod ad mores ſpectat *Eraſmi*, Eum viſitaturis, ut a peregrinis fieri ſolet, raro conſpiciendum ſe cuiquam exhibuiſſe, id quod nonnulli ob deformitatem membrorum, & lineamentorum corporis torvitatem illum feciſſe perhibent. Tandem in ædi-

bus

bus *Joh. Frobenii* extinctus est *Eraſmus*, & Anno 1536. d. 12. Julii æt. 70. morbo correptus articulari e vita exceſſit. Neque Typographicæ rei in morte depoſuit amorem, quod ex Teſtamento elucet, in quo *Bonifacio Ammerbachio*, Hærede nominato, *Frobenium* & *Epiſcopium* viros meritiſſimos ultimæ hujus voluntatis Executores conſtituit. Ab his etiam in æde Cathedrali ſepultus, & monumentum obtinuit, quod heic exprimere anguſtia chartæ prohibet. Scripta ejus ſunt, ut notiſſima, ſic utiliſſima: Paraphraſis in N. T. III. Voll. 1544. Adagiorum Chiliades apud *Aldum*, *Frobenium*, & Pariſiis apud *Robertum Stephanum* 1558. proſtant. Vita ejus proſtat, cum Vita *Nicod. Friſchlini* 8. Argent. 1605. & alibi repetita eſt ſæpius. Novum Teſtamentum prodiit Annos 1516. 1519. 1521. 1527. 1535. Baſil. ap. Froben. & Epiſcopium. Opera univerſa excuſa eſſe Baſil. ap. Froben. An. 1540. IX. Voll. & Amſtel. pleniſſime, IX. pariter voluminibus, procurante Clerico, & Lugd. B. X. Tom. 1703. quis-

quis ignorat. vid. Adam. in Vitis Philoſ. ed. 8. p. 92. Mallinkrodt de Arte Typogr. 4. Colon. p. 96. Reimmannus p. 330. Clarmund. P. I. p. 1. ſeqq. Buddeus in Lexico & alii.

Guilhelmus Fabritius.

GEnte Gallus, patria Pictavienſis, nominis ſui fama celebris circiter An. Chr. 1540. aliquot linguarum Græcæ præcipue & Latinæ peritiſſimus. Vir de reliquo non vulgaris Eruditionis, utpotè quem potuiſſe diſſerere de omnibus rebus ſubtiliter, graviter, ornate, frequenter, conjungendo ſermoni ſuavitatem, & affabilia verborum lenocinia referunt. Unde ab Eruditis ſui temporis magni fuit æſtimatus, præcipue vero a celeberrimo *Roberto Stephano* omni amore & benevolentia ſemper eſt exceptus. Id quod exinde facile elucet, quod receptus in ædes ab ipſo Typographorum Principe ex Decemvirorum hujus Typographi numero fuiſſe, compertum habemus. Emendavit autem interprimos diu, codices impreſſos varios, in Regia hac officina a vitiis

vitiis Typothetarum in cura Impressorum inspersis, non sine laudis & doctrinæ suæ emolumento. At maximum tamen laborem impendit ad fidem vetustissimorum codicum excusis, atque his adjecit loca ad marginem notata, quæ in aliis exemplis occurrunt, & variantes vocantes lectiones. Quas dum celebramus dotes, eam intelligimus editionem, quæ prodierat ex officina hac Illustri *Stephaniana* 1540. fol. Paris. quam passim audias, ut omni im optimam & præstantissimam celebrari, rarissimeque conspicitur. In præfatione *Robertus* ipse hæc in laudem *Fabritii* candide pronunciavit: *Opportunum esse video, ut Te ex animo salvere jubeam, quod tamen amplius facturus non sum, quam pro officio hominis grato animo præditi, agnovero beneficium acceptum a Guilhelmo Fabritio, Amico & familiari nostro, viro Hebraice, Græce, & Latine doctissimo, qui in his Bibliis emendandis candido & liberali studio me plurimum adjuvit.* Annevero Biblia alia aliosque libros circa ea tempora excusa manibus

bus ſuis triverit, & qui nam iſti ſunt definiri a me non poterit. Prodiere Biblia fol. 1532. 8. 1534. & 1537. *Roberti* Annotationes in Pentateuchum 4. 1541. Evangelia quatuor cum Actis 8. 1541. Novum Teſtamentum Latinum cum brevibus variarum lectionum annotationibus 12. 1543. Biblia fol. 1546. Prodierat etiam An. 1536. Linguæ Latinæ Theſaurus, & Anno 1546. Dictionarium Latino-Gallicam aliaque ſcripta plurima. Quibus vero ex his *Fabritius* noſter præfuerit vix affirmare quisquam audebit, nam decem fuere, qui hoc munus ſibi demandatum habuere, qui nam autem ex his hunc vel illum codicem ſuæ curæ commiſſum habuit, vix expiſcari poterit. De noſtro vide *Paulum Colomeſium* in Gallia Orientali, quæ inter opera ejus Hamburgi a viro celebr. *Joh. Alb. Fabritio* 1709. 4. publicata comparet p. 6. Le Lonus in Biblioth. ſive aucta & recuſa abExcellentiſſimo Lipſienſium Theologo *Boërnero* Lipſiæ 1709. 8. P. p. 594. & P. II. p. 634. Huic adjungendus erit

Jere-

Jeremias Felbinger.

QUi natus eſt in Sileſiorum percelebri urbe Briga, Anno a ſalute reparata 1616. Puer parentum cura in patrio lyceo iis literis imbutus fuit, quibus tenerior ætas ad Eruditionem ac veram ſimul Pietatem deduci ac informari ſolet. Juventutis annis egreſſus, cum Theologicis ſtudiis Scholaſtica conjunxit, & poſtquam in his etiam vires ingenii ſui ſatis periclitatus eſt, cui inſtituto amplectendo anſam dedit mors viri cujusdam ipſi haud ignoti, qui Coslini, quæ urbs eſt Pomeraniæ ſupremus Scholæ Moderator hucusque fuerat: Ejus enim veſtigia inſiturus, illud ambivit munus, eoque in ſe collato, diligenter atque probe eidem præeſſe omni ſtudio elaborare viſus eſt. Verum vix illud ſuſceperat, ecce ſede iſthac iterum Scholaſtica nec immerito dejectus eſt. A prima enim ætate, incertum quo impoſtore impia Photinianorum hauſerat dogmata, eademque per totam poſtea vitam in animo conſervavit,

ſervavit, defendit inque eorum ſententiam aperte tandem ivit: ita quidem ut & aliis inſtillare iſtas hypotheſes non dubitaverit. Ejectus igitur, poſtquam cognitum eſt, quis qualisve huc usque fuerit illâ Sparta, & officio atque urbe excedere juſſus, hinc inde vagus in Germaniæ circumivit variis agris, donec Helmſtadium forte delatus eſt. Sed vero cum & heic virus ſuum, mente conceptum, ſpargere, atque de infauſtis multa, Prophetæ inſtar, proxime venturis prædiceret, ante ſolis occaſum, ut urbe excederet, ei imperatum fuit. Quo facto, ſæpe de injuria ſibi illata equidem conqueſtus eſt, atque quæcunque a Pontificiis mala Lutheranis inferantur, ea omnia juſto Dei judicio ob impietatem eorum fieri ac permitti divinitus identidem affirmavit. Hinc vero Amſtelodamum commigravit, & omni deſtitutus auxilio in maxima egeſtate, ac penuria, ab ipſis etiam Socinianis reliquis, quippe a quibus non raro diſſentiebat, derelictus vixit. Tandem autem clandeſtino Conſilio pueros do-

 cere,

cere, ac in Typographicis officinis libros emendare cœpit. Equidem non dubitarem, quin quo animo fuerit, plane ignorarint Typographi, quibus alias timendum fuiſſet, ne forte in corrigendo quædam ſubinde immutaret, atque adderet, quæ ſibi ſuisque Arrianis placitis magis convenirent; id quod facillime ab hujusmodi hominibus effici poterit, & *Serveti* exemplo id poſtea comprobabimus. Sed quoniam neque *Sandii*, neque etiam aliorum haud latentia dogmata, eos tantam edocuit, hinc conſuetæ nonnullorum lucricupidini & oſcitantiæ ad ſcribendum potius putaverim, quam inſcitiæ. Ut ut ſit; ſtrenue profecto in hoc negotio ſuſcepto *Felbingerus* perrexit. Tandem curſu vitæ ſuæ infeliciter ſatis in his terris facto, ex hac vita ad æterna migravit. Scripta ejus Bibliotheca *Sandii*, quoniam non omnium manibus teritur, huc transferam. Doctrina Syllogiſtica 1646. 12. ſecunda ed. Roterod. 1675. 8. Nomenclatura Lat. Germanica 1646. 8. Rhetorica & oratoria Bartholini

tholini 1646. 12. Politicæ Christianæ Compendium 1646. 4. Uratislaviæ, Belgice translatum per Anton. a Coppenol. Germanice servatur in Manuscripto. Demonstrationes Christianæ 1653. 4 cui addita est Epistola ad G. *Calixtum* scripta, Coslini 1653. Bekänntnuß des Christlichen Glaubens der Polnischen Brüder 1653. 8. Vorläuffer über das alte Testament 1654. 4. Die Lehre von GOtt und Christo und dem Heil. Geist/ 1654. & 1667. Latin. Anno 1657. 8. Gallice ex versione Gedeonis Curcellæi Nordovici 1657. 8. Belgice eodem Anno & 1670. Antwort an D. Christian Grossen/ Superint. zu Colberg/ 1655. 4. Epistolæ ad Pelargum 1655. 8. Lexicon Gr. Germ. super N.T. 1657. 12. Die erste Anweisung zu der Griechischen Sprach/ Belg. 1657. 8. Versio Germ. N. T. Stephani Curcellæi Amstelod. 1660. 8. Christlich Hand-Büchlein/ 1661. 12. it. Belgice: Litteræ ad Joh. Bidellum datæ Dantisci 1654. Epistola ad Christianos, unum altissimum Deum agnoscentes

tes contra *Socinum* 1672. 4. Roterod. 1681. 4. Collectanea Manuſcripta: Exercitationes Logicæ & Rhetoricæ MSctæ. Videatur Arnoldus in ſeiner unpartheyiſchen Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie/ fol. Tom. I. p. 565. it. Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sundii 8. Freiſtadii 1684. exc. p. 157. ſeqq. Antequam finiamus, non poſſum non, quin commemorem de cognomine, *Joh. Paulo Felvvingero*, Prof. Altdorf. ex ſcriptis adv. Sociniano, ipſumque *Felbingerum* noto, eum, qui & ipſe *Felbingerus* dictus ſcriptusque fuerat, partim ex odio in *Felbingerum* Socinianum, partim diſtinctionis gratia, nomen illud mutaſſe & *Felvvingerum* per W. dici maluiſſe, quod utrum Socraticam illam doceat prudentiam, alii judicent. Nihil enim viri doctiſſimi meritis tam Philoſ. quam Theol. utroque ſcriptionis genere detractum putamus.

Caſparus Finck.

URbs Haſſiæ eſt Gieſa ornatiſſima, ac Muſarum domicilium ſplendidum. Hic locorum *Finckius* lucem primum aſpe-

aſpexit Anno Chriſti Milleſimo quingenteſimo, ſeptuageſimo octavo d. 19. Octobris. Parentem habuit *Balthaſarem*, honeſtum piumque civem opificio Pannificum, & Præfectum Fiſci Eccleſiæ. A puero bonis imbutus literis, ſucceſſu temporum linguarum & ſtudii Theol. cultura magnopere delectatus, ſemper illud expertus eſt Horatii: Multa tulit fecitque puer ſudavit & alſit: nec tamen facile emerſit, cum res eſſet anguſta domi. Altioribus percipiendis idoneus viſus, Marpurgum commigravit, ibidem Philoſophorum fontes, ſcrutari cœpit, ita quidem, ut quamvis famuli ſervitia in ædibus *Hermanni Kircheri* faceret, ſimul ſtudiis indefeſſus incumbens, mirum quantum profecerit. Sic vitam agens honeſtam, miſeram tamen, ſtipendium poſtmodum a Senatu Gieſenſi obtinuit, id quod Princeps Haſſiæ clementer auxit, in numerum Beneficiariorum majorum, ut appellantur, eum recipiens. His adjutus ſubſidiis ulterius contendens a *Paulo Egenolpho*, optimo viro, & Typographo

celebri, ut ſibi conferret operam in re Typographica; nec difficulter in domum & correctionis opus receptus eſt. Huic labori, & inſtitutioni ſimul liberorum ejus tanta ſedulitate, mentisque alacritate, & accurata diligentia ſub initium ſuperioris ſeculi & circa annum 1600. præfuit, ut *Egenolpho* in medullis quaſi hæſerit; ita quidem, ut filiam etiam in matrimonium collocare non dubitaverit. Cognita poſt diuturnam moram in ædibus ſoceri, viri Eruditione, & ratione docendi a Gymnaſii Gieſenſis Curatoribus ad Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, & Rhetoricam docendas, expetitus, divinum agnovit nutum, eoque conceſſit, officia oblata accepit, eoque Scholæ forma in Academicam transmutata, omnium conſenſu retinuit, atque pie & fideliter adminiſtravit. Tandem etiam ad culmina honorum, Deo ſic jubente, altius aſcendit, ſiquidem *Jeremia Vietore* defuncto, Theologica profitendi, munus ei fuit oblatum, atque ſucceſſu temporis Theologiæ Doctor ac Superintendens Generalis,

ralis, Consistorii Assessor & Scholarcha creatus est. Atque sic denique curis & honoribus obrutus, ab aliis etiam vocatus. Deniq; variis, memoriam suam conservantibus, scriptis relictis, obdormivit Anno 1631. d. 15. Junii ætatis 53. vide plura de eo in *Freheri* Theatro P. I. p. 448. ubi & seriem librorum ab eo editorum invenies notatam, in quibus sunt: Schediasma sive Controversiæ Theologiæ & Philos. Disp. Anti Coclenianæ: De diebus Festis tr.: Clavis scripturæ S. Synopsis doctrinæ de S. Cœna: tr. de Monachis: Quæstiones Illustres Theol. Loci communes Theol. Leich-Predigten II. Theil: Fest-Postill: Spruch-Postill: Kirchen- und Schul-Postill / ꝛc. conf. Witte, in Memoriis Theol. p. 334. p. 634. Uhse. Spizelius in Templo Honoris 4. & alii.

Matthias Flacius.

FRancowizius, seu ut *Melanchthon* eum vocat in Ep. ad Erh. Schnepfium Tom. III. per *Pezelium* ed. p. 246. *Garbicius* cognominatus, magnum in Eccle-

ſia Sec. XVI. habuit nomen, de quo omnes, præter Philippi aſſeclas, teſtantur, ſcriptis & meritis, Eruditionem incredibilem ſperantibus Theologum fuiſſe, & animoſiſſimum & excellentiſſimum. Theologica ſane, ut ex Clave Scripturæ patet ex aſſe calluit: Hiſtoricas autem & Philologicas literas non deguſtavit ſaltem, ut ab iis fieri aſſolet, qui in omnibus aliquid, in toto nihil, ſunt, verum intime exhauſit. Unde etiam tantis dotibus inſtructus & opinione diſcipulorum accenſus, & acerrimum & fortiſſimum ſe præſtitit Philippi & nutantium diſcipulorum oppugnatorem. Procreatus eſt Albonæ, quod Illyriæ oppidum eſt, Sclavoniæ vicinum, Patre Andrea, nobili ut quidam credunt, alii vero honeſtæ conditionis viro An. 1520. d. 3. Martii. Poſt præcepta a Patre ſuo accepta *Franciſcum Aſcerium*, & poſtea Venetiis *Joh. Bapt. Egnatium* audivit. Equidem opibus deſtitutus in Cœnobium ſe abdere decrevit, at mutato, ſuadentibus amicis, conſilio, Baſileam profectus, Grynæo moderante

derante, in literis amplius progredi cœpit. Atque ita ſimul luce Veritatis Evangel. colluſtratus, Tubingam viſitavit, ac tandem Wittebergam, commune tunc temporis Eruditorum Emporium pervenit. Gratus erat hoſpes ubicunque vixerat, *Luthero*, *Melanchthoni*, *Camerario* & aliis, quorum amicitiam, amoremque & fidem non raro expertus eſt. Salutatus etiam ibidem Magiſter bonarum artium & variis tentationibus, de quibusdam fidei articulis ſubortis, liberatus; confirmatusque in fide, Brunswigam, belli motibus per Saxoniam vagantibus, ut publice ibidem doceret, abiit. Quibus ſedatis, Wittebergam reverſus, contra famoſum libellum Interimiſticum inſurrexit, & audacter ſatis quamquam candide, procul habita authoritatis ratione, etiam Præceptori *Melanchthoni*, & aliis contra ivit. Paulo poſt autem, ut eo liberius, quid ſentiret, in hac re agere poſſet, Magdeburgi ſedem ſuam fixit, cum ſocium *Nicolaum Gallum*, qui ſtationem ſuam Ratisbonenſem ejusdem periculi motu,

quod Interimiſtici negotii hoſtibus imminebat, reliquerat. Clandeſtino igitur Itinere inſtituto, ambo reliquerunt Wittebergam & Magdeburgum devecti, acriter mitiori parti univerſæ ſe oppoſuerunt. Atque hic etiam, ut *Flacius* vitæ ſuæ ſuſtentandæ proſpiceret, Typographiæ cuidam præfectus, omni ſtudio, cura & labore ex pagellis impreſſis mendas ejecit. Quo tempore etiam Hiſtoriam Eccleſiaſt. magnam, quam *Centurias Magdeburgenſes* vocant, adornare cœpit, adjutus opera doctiſſimorum virorum, laudati *Galli*, *Wigandi*, *Amsdorfii*, *Martini Coponis Medici*, *Ebelingii*, & *Matthiæ Indicis*, Dippolswalda Miſnici, *Baſilii Fabri Sorani*, *Andreæ Corvini* & *Thom. Holthuteri*, quibus & alii obſcuriores addendi ſunt. Prodierat forte tunc temporis *Andr. Oſiandri* liber de Juſtificatione hominis coram Deo. Huic itaque errori de Juſtificatione per eſſentialem Juſtitiam Dei inhabitantem in homine ſe objiciens, ac paulo poſt etiam cum *Victorino Strigelio* de libero arbitrio in Spiritualibus confli-

conflictans, Flacius ipſe in alium delapſus eſt errorem, de peccato originali, quod ſit ipſa hominis Subſtantia. Et quamquam exinde multum litigii cum eo peractum fuerit, quod rectus eum ſentire, quam loqui, autumabant, ab Eruditis tamen nunquam a formulis certis, quibus de hoc argumento ſcribere ſolebat, abduci potuit. Quare re diu deliberata agitataque in Exilium abiit. Hinc paſſim oberrans Ratisbonam, tandem Argentoratum, Antwerpiam ac Francofurtum denique delatus, atque interea a paucis adhuc quibusdam defenſus eſt. Reliqui enim fere omnes, ut Manicheæ Hæreſeos ſuſpectum eum averſabantur. Quod odium coëxcrevit, ut imago ejus ex Bibliotheca etiam Academica Jenenſi, in qua omnium Theol. Icones ſervantur, poſthæc exemta ac in locum, a reliquis diſtinctum ſepoſita fuerit, quaſi digna ſit, ut quæ in locum peccatorum collocetur. Animam tandem exhalavit An. Chr. 1575. d. 11. Martii Francofurti ad Mœnum, ætatis 55. præſente

Adamo

Adamo Lonicero, de quo poſtea dicendi locus erit. Atque illic etiam ante fata denuo ad Correctoris munia rediiſſe non obſcura ſuſpicio eſt. Exequias ei fecit *Caſpar Heldelinus* Cronbergenſis ſec. al. Lindavienſis, qui una cum Epicediis aliquot ejus ſcripta in lucem emiſit An. 1575. Epitaphium vero ei poſitum eſt a M. Joh. Fraxineo. Teſtantur de hujus viri ingenio & Induſtria ſcripta hodienum extantia plurima: Eminet ejus Clavis S. ſacræ, egregium opus, cujus optima editio eſt Muſæana, in Partes duas diſtributa: opus, ut ipſe faſſus eſt, aliquot annorum, multisque vigiliis & ſingulari labore, concinnatum, cujus, inprimis vero Partis poſterioris Exegeticæ, utilitatem, vix videntur multis ſatis agnoſcere, neque ea, qua par erat, attentione frequenter ſatis tractare. Introductionem ad lectionem hujus libri fecit *Joh. Olearius* Leucopetrenſis Theologus, quæ editioni itidem Jenenſi præmiſſa eſt, excuſæ 1674. fol. Gloſſa ſuper Nov. Teſt. primam adſpexit lucem An. 1570. & primas

mas poſt clavem tenet partes, exteris quoque in pretio habita. Elenchtica ejus ſcripta ſunt plurima contra Pontificios, ut: wider den Primat des Pabſtes. 1550. Widerlegung des Catechiſmi des Larren-Biſchoffs von Sidon. De Sectis, Diſpenſionibus, Contradictionibus & Confeſſionibus Doctrinæ Religionis Scriptorum & Doctorum Pontificiorum Baſ. 1665. 4. Contra Adiaphoriſtas multa edidit, quibus recenſendis hic ſuperſedere vid. de iis Unſchuldige Nachrichten/ 1708. pag. 207. Ejus etiam Catalogus teſtium veritatis Francofurti 1666. & Cattopoli 1672. quæ Dietericiana vocatur. Galartiana vero prodiit Lugd. B. 1597. 4. II. Tom. & auctior Genevæ 1608. vide Autores jam confeſtim citandos Adami in Vitis Theol. Germ. ed. 8. Francofurtanæ p. 472. *Freheri Theatrum* p. 236. *Caſparis Sagittarii* Introductionem in Hiſtor. Eccleſ. 4. 1694. exc. p. 241. Uhſe in Vitis Eruditorum Sec. XVI. & XVII. p. 177. addatur & Wendeleri Diſputatio, Memoria

morias Theologorum aliquot Secc. XVI. & XVII. continens, ſub Præſidio Clariſſimi Altdorfenſis Prof. *D. D. Sontagii* habita, p. 112. Sequitur

Johannes Flittnerus.

QUæ confuſio non raro inter Eruditos exoriatur, & quot errores ſæpe ex nominibus homonymis literatorum virorum committantur, nemini in hoc ſtudiorum genere, leviter ſaltem verſato, ignotum eſſe poterit. Non igitur laude ſua vel eo nomine, quam alias dudum promeritus eſt ſummam, ſingulari privandus erit. Clar. *Joh. Mollerus* in utiliſſimo, quem edidit, & de Homonymo-ſcopia inſcripſit, libello. Ego vero, data occaſione, ſimilis ex confuſione erroris promam exemplum. Duo nempe fuerunt *Flittneri*, ambo *Johannes* appellati. Natus alter Sulæ in oppido Comitatus Henneb. An. 1618. Poſtquam patrio ludo interfuerat, ad annum usque 1633. in Schleuſingenſe ſeceſſit, Gymnaſium, & anno 1637. altiori deguſtaturus, Witte-

Wittebergam, ſacra illic pertractaturus ſtudia, migravit. Feliciter iis abſolutis Jenam, Lipſiam, & Roſtochium delatus eſt, & tandem Cantoris munus in Illuſtri Grimmenſi Schola obtinuit. Cui quando vix præfuit annum, *Caſpare* in terra *Helmio* Diacono Eccleſiæ Grimmenſis mortuo, ejus nupſit viduæ, ac officium idem Eccleſiaſticum per triginta annos integros accepit adminiſtrandum. Exul autem factus, & hoc loco pulſus Stralſundiam devectus eſt, ibidemque An. 1678. d. 7. Jan. æt. 58. ex hac vita diſceſſit, corpus vero Grimmam delatum, ac in templo juxta Altare tumulatum eſt. Bibliotheca ejus inſtructiſſima & Manu exarata, parem fortunam experta fuit, quam habuere, Alexandrina, Byzantina, Scorialenſis, Londinenſis, *Bartholini Stockfleti, Severini Lindrupii, Buxtorfii* Biblia Magna Rabbinica, *Keppleri, Jungii* &c. Bibliothecæ & Manuſcr. quæ igne omnia conſumta ſunt. Edidit noſter *Flittnerus*, das himmliſche Luſt-Gärtlein; atque is eſt, qui variorum

riorum hymnorum ſacrorum author præſcribitur: ut: JEſu meines Hertzens Freude/ ꝛc. Liebſter JEſu meine Freude/ ꝛc. Sed de hoc plus ſatis; Alter *Flittnerus* itidem *Johannes*, Notarius fuit Cæſarea authoritate conſtitutus, & Poëta excellens, unde hujus Artis lauream promeruerat. De cetero rerum forenſium in Dicaſterio Francofurtanæ Patronus, quos Procuratores vocant, audit, idemque ille eſt, qui in vernaculam tranſtulit *Joh. Heidfeldi Spingeni* Theol. Philoſophicam, quæ prodiit An. 1624. 4. Francofurti, cui præfationem præmiſit. Atque hos viros, Novorum literatorum Germaniæ Collectores inter ſe commiſcuerunt, unumque ex duobus conflarunt, habueruntque: Quod quidem, ſi vacat inſpecto anno 1705. menſeque Septembri p. 328. manifeſtum erit. Ubi, poſtquam de priori egerant, eumque optime quidem Hymnorum autorem prædicaverant, tandem eundem etiam Francofurti fuiſſe, ibidemque operas Typographicas tractaſſe, tradunt:

Quem

Quem paullo poſt etiam Notarium, Poëtam, & Procuratorem Francofurti fuiſſe affirmant, conferatur p. 350. & 328. optime omnium ea de re conſulendus erit hoc in negotio Clariſſimus Lubecenſium Superintendens *G. H. Goëzius* in ſeinem Send-Schreiben an den Herrn Verfaſſer des Evangeliſchen Lieder-Schatzes: *M. Joh. Chr. Olearium* 4. 1709. & p. 4. & 5. Ceterum quoniam ipſi Celeberrimi Collectores Nov. Lit. agnoverunt, alterum Anno 1628. jam Notarium fuiſſe; alterum An. 1618. demum natum fuiſſe; ceſpitationem hancce ex ipſomet hoc indicio facto facillime & clariſſime patere crediderim. Laudatus præterea *Goëzius* ex Curriculo Vitæ Grimmenſis Diaconi notat, ne ſemel quidem eum ſalutaſſe Francofurtum; Ideo quod correxerit hic locorum Typographicas operas, vix mihi quicquam perſuadere potero. Certus potius ſum, alterum ejusmodi laboribus incubuiſſe, qui forſitan ſanguine cum priore junctus erat. Non minus interim & hic laudandus

dandus erit, quam iſte, quandoquidem fœtus Doctorum puros in lucem prodire faciunt Correctores, illi autem quaſi gignunt. Vincuntur tamen illi laborum gravitate, non vero moleſtia & aſperitate. Denique, quæ volumina conſcribuntur, iis ut cum utilitate & ſine ſalebris frui poſſimus, hi efficiunt. Sed pergendum ad reliquos. Conferatur interim citatus D. *Goëzius*., Nova Literaria *Maris Baltici*. *Tenzelius* in Biblioth. curioſa p. 18. Recenſ. Nov-Antiquæ Tom. V. p. 691. Huic addendus igitur eſt

Eraſmus-Franciſci.

AD Juris-Conſultos proſapia nobili ortos & Theologicarum ſcientiarum cognitione claros referri poteſt celeberrimus *Eraſmus*, imo debet, quippe Lubecæ patricio genere natus Anno 1627. d. 19. Novembris, vitalem auram trahere auſpicatus eſt. Parente *Franciſco Fix* Conſiliario Brunsvvico-Lüneburgico ſpectatiſſimo, & *Vice Troſtio* ut vocant Lauenſteinenſi & Lavena-

venavienſi. Matre *Margaretha Eraſmi Reuzenii* Chriſtiani IV. Regis Daniæ, Conſiliarii Intimi filia. In ſacro baptiſmatis lavacro nomen Avi, qui Eraſmus vocabatur adeptus, poſtea nominari voluit *Eraſmus Franciſci* ſcil. Filius, *Fixi* gentilitio, dum viveret, ea de cauſa neglecto, ut eo melius privatam vitam & natalibus ſuis non indignam, etſi tenuiorem, degere poſſet. Ab incunabulis poſitis literarum Tyrociniis permagnos in humanioribus ſtudiis fecit progreſſus, & cognitionem variarum rerum Hiſtoricarum potiſſimum eſt conſecutus; conjunctis tamen ſemper Juris divini & humani Principiis. Felix enim erat ingenio, & Patre complurima innocentiæ pietatisque edente exempla, ſub ductu celeberrimorum *Dorncrelliorum* ab Eberherz, Patris nempe Doctoris Medicinæ & filii Archi-Diaconi ad D. Nicolaum Lüneburgici, non vulgarem, ſe aliquando doctrinæ futurum amplificatorem ſpem fecit. Annis jam longius provectus, Patruelis ſui *Joh. Erneſti* de Wallenrod ſtudio-

rum ac morum moderamine in ſe ſuſcepto, peregre cum eo abiit: Graviori in via morbo tamen correptus, & ab eo pergente relictus, alia deinceps occaſione oblata varias peragravit Provincias & Regiones. Multum exinde lucri & utilitatis in his itineribus capiens, ac refertus doctrina politiori, aliisque ornamentis, in patriam remigravit, matrimoniumque paulo poſt contraxit cum Centurionis cujusdam *Johannis Mänhofii* vidua, filia *Lucæ Friderici* Inſpectoris Primarii Publicanorum ad fluvium Albim, quæ Maria Hedvvigis Sibylla dicta eſt, muliere omnibus virtutibus decorata. Verum ſiniſtra quædam poſthæc expertus fata, ob graviſſimas cauſas Norimbergam cum uxore transvehi voluit: Patrimonium enim, quod jure optimo utrisque debebatur a Tutoribus aliisque, erat dilapidatum; Adhuc etiam uxoris Creditores non erant ſolvendo, ut, unde pro generis conditione domi apte viverent, vix ſupereſſet. Ex eo tempore a Viro in Norica Civitate clariſſimo

riſſimo, *Joh. Doppelmayero*, honorifice invitatus, benevolentiam iſte hanc acceptans cum omni familia ſub tutela benigniſſima Senatus inclyti in hac Imperiali Civitate degere cœpit. Quanquam vero maximis his in locis a laudato *Doppelmayero* ornatus eſt benefactis, tamen ne viri voluntate ac propenſione abuti videretur, & ipſe circumſpexit hinc inde, ut ſibi vitæ ſuſtentandæ neceſſarios ſumtus pararet, negotiumque iſti facilitaret. Conſecravit igitur tandem laudabili conatu, ſe & libris ſcribendis & corrigendis in Typographiis. Ad quod inſtitutum illi plurimum ſufficiebant ſtudia literarum feliciter acta, & deſiderio ejus ſatisfecerunt, *Endteriani* Bibliopolæ ac Typographi. Etenim non tantum ſumtibus ſuis in lucem ejus ingenii fœtus multiplices protraxerunt, verum etiam alios varii generis libros ſub prelis ſuis ſudantes curæ ejus tradiderunt, ut vitiis expurgaret, correctiſſimosque Eruditis exhiberet. Quo labore victum ſibi Vir diligentiſſimus largum faciebat,

præcipue cum ad alia munia obeunda, ob vires corporis admodum debiles, & memoriæ, aggravescente ætate, notabilem imbecillitatem minus idoneum se fore credidisset. Unde & quamvis functiones variæ satis splendidæ ab aliquot Imperii Germ. Proceribus offerrentur, vitæ tamen genus, quod hactenus vixerat, quietum tranquillitatisque pleniſſimum, & ab aularum turbulentis negotiis alienum sponte retinuit, solo Consiliarii Illustrissimi Comitis ab Hohenloh & Gleichen titulo contentus. Ita tandem vitæ hujus satur, Vir exploratæ inter omnes Integritatis ac Pietatis vi morbi correptus sentiens imminentis solutionis Corporis & Animæ horam sibi exoptatam, rebus compositis Spiritum suum Deo reddidit d. 20. Octobris anno a nato Christo 1694. Eamq; mortem non imparato accidisse, ex eo patebit, quod sibi ipsi jam antea tria funebria carmina in templo & tumulum præcinenda confecerit, quæ etiam Concioni funebri, mox citandæ, adjecta sunt. Quorum titulus **vorbereitliche**

Her-

Hertzens-Rüſtung vor dem Ende zu dem Ende. Porro Manuali ipſius LL. nempe Confeſſionum Auguſtini, cum Anſelmi Meditationibus &c. ex quibus quotidie ad Deum precari ſolebat, verba inſcripta ſequentia, & non atramento ſolum, verum etiam ipſo viri pii ſanguine exarata hunc in modum reperiebantur:

JESU / du mein höchſtes Gut /
Dir verſchreib ich Hertz und Blut.

Ex quibus Pietas, & affectus in Deum ardens non obſcure poterit cognoſci. Nomen de reliquo, *Fixius*, nonniſi ex ipſiusmet Vitæ curriculo, quod ſcripſerat, certo poſt mortem innotuit. Cum olim neſcio quod *Mynſichti* & alia ab ipſo conſulto aſſumta a variis paſſim tribuerentur, & adhuc falſo tribui ſoleant. Quantum poſt fata reliquerit & Eruditorum luctum, & apud plurimos, etiam Perſonas Illuſtres, deſiderium, ut & Scripta doctrinæ & raræ Pietatis teſtimonia, nemini credo ignotum eſſe. Illa vero ſunt vel Theol. vel Hiſtorica, priora ap[illegible] *Uh-*

ſeum & alios invenies, nos vero reliqua hic addemus, quibus cum iis conjunctis, omnia habebis. Sunt vero potiora: Neu-aufgerichtete Liebes-Kammer / primum fuit a juvene adhuc profectum, 8. Luſtige Schau-Bühne allerhand Curioſitäten / P. III. 8. Herandringende Türcken-Gefahr / 4. Tiſch-Reden eines vornehmen Baſſa / 4. Türckiſche Staats- und Regiments-Beſchreibung / 4. Neue und kurtze Beſchreibung des Königreich Ungarns / ſub nom. C. M. Türckiſches Stadt-Büchlein / ſub nom. Theophili Urbini: Hiſtoriſcher Lorbeer-Krantz / der Chriſtlichen Ritters-Leute / ſub nom. Deß Erzehlenden: Hohe Trauer-Saal / IV. P. 8. Neuer Polniſcher Florus, 12. Schau-Platz der denckwürdigen Geſchichte / 8. Oſt- Weſt-Indianiſcher und Sineſiſcher Luſt- und Staats-Garten / fol. cum figuris, fol. P. II. Die alleredelſte Sache der alleredelſten Gemüther / 12. Guineſiſcher und Americaniſcher Blumen-Buſch 8. Hiſtoriſch Rauch-

faß /

faß / III. P. Das eröffnete Luft-Hauß der obern Welt / 4. cum Fig. Der Erd-umgebne Lufft-Craiß / 4. cum Fig. Bericht von der Lappländer Wahrſager-Paucken und Hexereyen / 8. Vermehrung des Cometen-Geſpötts: Der Ottomanniſche Welt-Hammer; Der ſiegende und entzündende Adler / 4. Türckiſcher Gubernator und Vaſall. Die Ehre des Herzogthum Crains / coll. a Joh. Weichardo Valvaſſore, Germ. redd. 1689. fol. cum Figg. Der Höllſche Proteus; Die Ehre der verblichenen alten Heiden: Vorblitz des fortſtrahlenden Adler-Blitzes / 4. cum Fig. De his omnibus illud notandum, in Hiſtoriis recenſendis non indubitatæ ſemper fidei fundamentis bonum virum niti, ut qui raro vel a libris vel vivis hominibus deceptus admodum fuit, & certe memini, me ipſum a viro, ad hujusmodi res nato, percepiſſe, ſe non raro *Franciſco* in Tabernis Bibliopolarum de variis rebus ſciſcitanti falſiſſimas Hiſtorias pro veris dixiſſe, quas ille notatas ſuis dein operibus in-

ſingulari, ita quoque pariter Correctoribus Eruditiſſimis, *Pelicano*, *Ammerbachicis* fratribus, *Eraſmo Roterodamo* & ſimilibus, de quibus ſuo loco actum eſt. Præcipue vero cum Eraſmo intimam coluit Amicitiam, certantesque invicem de victoria ex beneficiorum alteri tributorum numero reportanda conſpiciebantur, diverſo a noſtro ævo more, ubi tritum illud & malum: Proximus ſum egomet mihi potius invaluit dictevium. Frobenius contra erat procul ab omnibus ſimultatibus, liberalis, animo forti & conſtante, omnium mundanarum divitiarum contemtor, ſuaque Sorte contentus. E loco aliquando ſublimi in terram præceps cum rueret lateritiam, lethali iſthoc caſu admodum laborabat, & rebus ſuis difficulter proſpicere amplius poſſe videbatur, cum præſertim nemini eo infortunio patefacto ſequenti anno circa talum cruciatus ſentiens, peſſime habere cœpiſſet. Reſtitutus tamen utcunque, ſuaſu Medicorum & deſideratiſſimi ſui Deſiderii Francofurtum itinera varia ſuſce-

ſuſcepit, *Eraſmo* omnibus Typogr. curis relictis, verum reverſus iterum, laboribusque repetitis, & viribus maxima ex parte amiſſis, ex alto denuo in pavimentum quoddam cecidit, graveque capiti inflixit vulnus. Unde etiam poſt biduum corporis exuviis liberatus, ad vivendi finem feliciter pervenit An. Chr. 1527. cum valetudine ita proſpera & vegeta ſemper uſus fuiſſet, ut per omnem vitam nunquam morbo decubuerit. *Hunc virum nobis ereptum, ut cum Eraſmo loquar, decebat omnes, qui colunt bonas literas, pullatos, lacrymas & luctum ſumere, apio floſculisque ſepulchrum ornare, lymphas aſpergere, odores adolere, ſiquid talibus officiis proficeretur.* Id quod eo magis confirmat, dum in Epiſtola infra citanda Eraſmus ad Joh. Emſtadium ſcribit: *Fratris Germani mortem moderatiſſime tuli, Frobenii deſiderium ferre non poſſum.* Ipſe certe defuncto poſuit Epitaphia, ex quibus latinum huc adduxiſſe juvabit:

Ardua

morias Theologorum aliquot Secc. XVI. & XVII. continens, ſub Præſidio Clariſſimi Altdorfenſis Prof. *D. D. Sontagii* habitâ, p. 112. Sequitur

Johannes Flittnerus.

QUæ confuſio non raro inter Eruditos exoriatur, & quot errores ſæpe ex nominibus homonymis literatorum virorum committantur, nemini in hoc ſtudiorum genere, leviter ſaltem verſato, ignotum eſſe poterit. Non igitur laude ſua vel eo nomine, quam alias dudum promeritus eſt ſummam, ſingulari privandus erit. Clar. *Joh. Mollerus* in utiliſſimo, quem edidit, & de Homonymo-ſcopia inſcripſit, libello. Ego vero, data occaſione, ſimilis ex confuſione erroris promam exemplum. Duo nempe fuerunt *Flittneri*, ambo *Johannes* appellati. Natus alter Sulæ in oppido Comitatus Henneb. An. 1618. Poſtquam patrio ludo interfuerat, ad annum usque 1633. in Schleuſingenſe ſeceſſit, Gymnaſium, & anno 1637. altiori deguſtaturus, Witte-

Wittebergam, ſacra illic pertractaturus ſtudia, migravit. Feliciter iis abſolutis Jenam, Lipſiam, & Roſtochium delatus eſt, & tandem Cantoris munus in Illuſtri Grimmenſi Schola obtinuit. Cui quando vix præfuit annum, *Caſpare* in terra *Helmio* Diacono Eccleſiæ Grimmenſis mortuo, ejus nupſit viduæ, ac officium idem Eccleſiaſticum per triginta annos integros accepit adminiſtrandum. Exul autem factus, & hoc loco pulſus Stralſundiam devectus eſt, ibidemque An. 1678. d. 7. Jan. æt. 58. ex hac vita diſceſſit, corpus vero Grimmam delatum, ac in templo juxta Altare tumulatum eſt. Bibliotheca ejus inſtructiſſima & Manu exarata, parem fortunam experta fuit, quam habuere, Alexandrina, Byzantina, Scorialenſis, Londinenſis, *Bartholini Stockfleti, Severini Lindrupii, Buxtorfii* Biblia Magna Rabbinica, *Keppleri, Jungii* &c. Bibliothecæ & Manuſcr. quæ igne omnia conſumta ſunt. Edidit noſter *Flittnerus*, das himmliſche Luſt-Gärtlein; atque is eſt, qui variorum

riorum hymnorum ſacrorum author præſcribitur: ut: JEſu meines Hertzens Freude/ ꝛc. Liebſter JEſu meine Freude/ ꝛc. Sed de hoc plus ſatis; Alter *Flittnerus* itidem *Johannes*, Notarius fuit Cæſarea authoritate conſtitutus, & Poëta excellens, unde hujus Artis lauream promeruerat. De cetero rerum forenſium in Dicaſterio Francofurtanæ Patronus, quos Procuratores vocant, audit, idemque ille eſt, qui in vernaculam tranſtulit *Joh. Heidfeldi Spingeni* Theol. Philoſophicam, quæ prodiit An. 1624. 4. Francofurti, cui præfationem præmiſit. Atque hos viros, Novorum literatorum Germaniæ Collectores inter ſe commiſcuerunt, unumque ex duobus conflarunt, habueruntque: Quod quidem, ſi vacat inſpecto anno 1705. menſeque Septembri p. 328. manifeſtum erit. Ubi, poſtquam de priori egerant, eumque optime quidem Hymnorum autorem prædicaverant, tandem eundem etiam Francofurti fuiſſe, ibidemque operas Typographicas tractaſſe, tradunt:

Quem

Quem paullo poſt etiam Notarium, Poëtam, & Procuratorem Francofurti fuiſſe affirmant, conferatur p. 350. & 328. optime omnium ea de re conſulendus erit hoc in negotio Clariſſimus Lubecenſium Superintendens *G. H. Goëzius* in ſeinem Send-Schreiben an den Herrn Verfaſſer des Evangeliſchen Lieder-Schatzes: *M. Joh. Chr. Olearium* 4. 1709. & p. 4. & 5. Ceterum quoniam ipſi Celeberrimi Collectores Nov. Lit. agnoverunt, alterum Anno 1628. jam Notarium fuiſſe; alterum An. 1618. demum natum fuiſſe; ceſpitationem hancce ex ipſomet hoc indicio facto facillime & clariſſime patere crediderim. Laudatus præterea *Goëzius* ex Curriculo Vitæ Grimmenſis Diaconi notat, ne ſemel quidem eum ſalutaſſe Francofurtum; Ideo quod correxerit hic locorum Typographicas operas; vix mihi quicquam perſuadere potero. Certus potius ſum, alterum ejusmodi laboribus incubuiſſe, qui forſitan ſanguine cum priore junctus erat. Non minus interim & hic laudandus

dandus erit, quam iſte, quandoquidem fœtus Doctorum puros in lucem prodire faciunt Correctores, illi autem quaſi gignunt. Vincuntur tamen illi laborum gravitate, non vero moleſtia & aſperitate. Denique, quæ volumina conſcribuntur, iis ut cum utilitate & ſine ſalebris frui poſſimus, hi efficiunt. Sed pergendum ad reliquos. Conferatur interim citatus D. *Goëzius*. Nova Literaria *Maris Baltici*. *Tenzelius* in Biblioth. curioſa p. 18. Recenſ. Nov-Antiquæ Tom. V. p. 691. Huic addendus igitur eſt

Eraſmus-Franciſci.

AD Juris-Conſultos proſapia nobili ortos & Theologicarum ſcientiarum cognitione claros referri poteſt celeberrimus *Eraſmus*, imo debet, quippe Lubecæ patricio genere natus Anno 1627. d. 19. Novembris, vitalem auram trahere auſpicatus eſt. Parente *Franciſco Fix* Conſiliario Brunsvvico-Lüneburgico ſpectatiſſimo, & *Vice Troſtio* ut vocant Lauenſteinenſi & Lavena-

venavienſi. Matre *Margaretha Eraſmi Reuzenii* Chriſtiani IV. Regis Daniæ, Conſiliarii Intimi filia. In ſacro baptiſmatis lavacro nomen Avi, qui Eraſmus vocabatur adeptus, poſtea nominari voluit *Eraſmus Franciſci* ſcil. Filius, *Fixi* gentilitio, dum viveret, ea de cauſa neglecto, ut eo melius privatam vitam & natalibus ſuis non indignam, etſi tenuiorem, degere poſſet. Ab incunabulis poſitis literarum Tyrociniis permagnos in humanioribus ſtudiis fecit progreſſus, & cognitionem variarum rerum Hiſtoricarum potiſſimum eſt conſecutus; conjunctis tamen ſemper Juris divini & humani Principiis. Felix enim erat ingenio, & Patre complurima innocentiæ pietatisque edente exempla, ſub ductu celeberrimorum *Dorncrelliorum* ab Eberherz, Patris nempe Doctoris Medicinæ & filii Archi-Diaconi ad D. Nicolaum Lüneburgici, non vulgarem, ſe aliquando doctrinæ futurum amplificatorem ſpem fecit. Annis jam longius provectus, Patruelis ſui *Joh. Erneſti* de Wallenrod ſtudio-

rum ac morum moderamine in ſe ſuſcepto, peregre cum eo abiit: Graviori in via morbo tamen correptus, & ab eo pergente relictus, alia deinceps occaſione oblata varias peragravit Provincias & Regiones. Multum exinde lucri & utilitatis in his itineribus capiens, ac refertus doctrina politiori, aliisque ornamentis, in patriam remigravit, matrimoniumque paulo poſt contraxit cum Centurionis cujusdam *Johannis Mänhofii* vidua, filia *Lucæ Friderici* Inſpectoris Primarii Publicanorum ad fluvium Albim, quæ Maria Hedvvigis Sibylla dicta eſt, muliere omnibus virtutibus decorata. Verum ſiniſtra quædam poſthæc expertus fata, ob graviſſimas cauſas Norimbergam cum uxore transvehi voluit: Patrimonium enim, quod jure optimo utrisque debebatur a Tutoribus aliisque, erat dilapidatum; Adhuc etiam uxoris Creditores non erant ſolvendo, ut, unde pro generis conditione domi apte viverent, vix ſupereſſet. Ex eo tempore a Viro in Norica Civitate clariſſimo

riſſimo, *Joh. Doppelmayero*, honorifice invitatus, benevolentiam iſte hanc acceptans cum omni familia ſub tutela benigniſſima Senatus inclyti in hac Imperiali Civitate degere cœpit. Quanquam vero maximis his in locis a laudato *Doppelmayero* ornatus eſt benefactis, tamen ne viri voluntate ac propenſione abuti videretur, & ipſe circumſpexit hinc inde, ut ſibi vitæ ſuſtentandæ neceſſarios ſumtus pararet, negotiumque iſti facilitaret. Conſecravit igitur tandem laudabili conatu, ſe & libris ſcribendis & corrigendis in Typographiis. Ad quod inſtitutum illi plurimum ſufficiebant ſtudia literarum feliciter acta, & deſiderio ejus ſatisfecerunt, *Endteriani* Bibliopolæ ac Typographi. Etenim non tantum ſumtibus ſuis in lucem ejus ingenii fœtus multiplices protraxerunt, verum etiam alios varii generis libros ſub prelis ſuis ſudantes curæ ejus tradiderunt, ut vitiis expurgaret, correctiſſimosque Eruditis exhiberet. Quo labore victum ſibi Vir diligentiſſimus largum faciebat,

præcipue cum ad alia munia obeunda, ob vires corporis admodum debiles, & memoriæ, aggravescente ætate, notabilem imbecillitatem minus idoneum se fore credidisset. Unde & quamvis functiones variæ satis splendidæ ab aliquot Imperii Germ. Proceribus offerrentur, vitæ tamen genus, quod hactenus vixerat, quietum tranquillitatisque pleniſſimum, & ab aularum turbulentis negotiis alienum sponte retinuit, solo Consiliarii Illustrissimi Comitis ab Hohenloh & Gleichen titulo contentus. Ita tandem vitæ hujus satur, Vir exploratæ inter omnes Integritatis ac Pietatis vi morbi correptus sentiens imminentis solutionis Corporis & Animæ horam sibi exoptatam, rebus compositis Spiritum suum Deo reddidit d. 20. Octobris anno a nato Christo 1694. Eamq; mortem non imparato accidisse, ex eo patebit, quod sibi ipsi jam antea tria funebria carmina in templo & tumulum præcinenda confecerit, quæ etiam Concioni funebri, mox citandæ, adjecta sunt. Quorum titulus **vorbereitliche**

Her-

Hertzens-Rüſtung vor dem Ende zu dem Ende. Porro Manuali ipſius LL. nempe Confeſſionum Auguſtini, cum Anſelmi Meditationibus &c. ex quibus quotidie ad Deum precari ſolebat, verba inſcripta ſequentia, & non atramento ſolum, verum etiam ipſo viri pii ſanguine exarata hunc in modum reperiebantur:

JESU / du mein höchſtes Gut /
Dir verſchreib ich Hertz und Blut.

Ex quibus Pietas, & affectus in Deum ardens non obſcure poterit cognoſci. Nomen de reliquo, *Fixius*, nonniſi ex ipſiusmet Vitæ curriculo, quod ſcripſerat, certo poſt mortem innotuit. Cum olim neſcio quod *Mynſichti* & alia ab ipſo conſulto aſſumta a variis paſſim tribuerentur, & adhuc falſo tribui ſoleant. Quantum poſt fata reliquerit & Eruditorum luctum, & apud plurimos, etiam Perſonas Illuſtres, deſiderium, ut & Scripta doctrinæ & raræ Pietatis teſtimonia, nemini credo ignotum eſſe. Illa vero ſunt vel Theol. vel Hiſtorica, priora ap... *Ob-*

ſeum & alios invenies, nos vero reliqua hic addemus, quibus cum iis conjunctis, omnia habebis. Sunt vero potiora; Neu-aufgerichtete Liebes-Kammer / primum fuit a juvene adhuc profectum, 8. Luſtige Schau-Bühne allerhand Curioſitäten / P. III. 8. Herandringende Türcken-Gefahr / 4. Tiſch-Reden eines vornehmen Baſſa / 4. Türckiſche Staats- und Regiments-Beſchreibung / 4. Neue und kurtze Beſchreibung des Königreich Ungarns / ſub nom. C. M. Türckiſches Stadt-Büchlein / ſub nom. Theophili Urbini; Hiſtoriſcher Lorbeer-Crantz / der Chriſtlichen Ritters-Leute / ſub nom. Deß Erzehlenden; Hohe Trauer-Saal / IV. P. 8. Neuer Polniſcher Florus, 12. Schau-Platz der denckwürdigen Geſchichte / 8. Oſt- Weſt-Indianiſcher und Sineſiſcher Luſt- und Staats-Garten / fol. cum figuris, fol. P. II. Die alleredelſte Sache der alleredelſten Gemüther / 12. Guineſiſcher und Americaniſcher Blumen-Buſch 8. Hiſtoriſch Rauch-

faß /

faß / III. P. Das eröffnete Luſt-Hauß der obern Welt / 4. cum Fig. Der Erd-umgebne Lufft-Craiß / 4. cum Fig. Bericht von der Lappländer Wahrſager-Paucken und Hexereyen / 8. Vermehrung des Cometen-Geſpötts: Der Ottomanniſche Welt-Hammer; Der ſiegende und entzünde Adler / 4. Türckiſcher Gubernator und Vaſall. Die Ehre des Herzogthum Crains / coll. a Joh. Weichardo Valvaſſore, Germ. redd. 1689. fol. cum Figg. Der Hölliſche Proteus; Die Ehre der verblichenen alten Heiden: Vorblitz des fortſtrahlenden Adler-Blitzes / 4. cum Fig. De his omnibus illud notandum, in Hiſtoriis recenſendis non indubitatæ ſemper fidei fundamentis bonum virum niti, ut qui raro vel a libris vel vivis hominibus deceptus admodum fuit, & certe memini, me ipſum a viro, ad hujusmodi res nato, percepiſſe, ſe non raro *Franciſco* in Tabernis Bibliopolarum de variis rebus ſciſcitanti falſiſſimas Hiſtorias pro veris dixiſſe, quas ille notatas ſuis dein operibus in-

ſeruiſſe credebatur. Vide de reliquo *Pippingium* in Memoriis Theol. p. 1078. *Uhſeum* p. 637. qui ſua ſine dubio hauſere ex ſermone funebri a *Joh. Conrad. Feurlino* Nerolingenſium nunc Superintendente celeberrimo, ſuſceptore meo maxime venerando, recitato, & una cum oratione Parentali, a D. Wolfg. Chriſt. Deslero, viro pientiſſimo habita, ab eodem luci expoſito fol. 1697. Catalogus librorum omnium prodiit ſumtibus autoris, 8. 1691. Norib.

Johannes Frobenius.

VIr omnium conſenſu nunquam ſatis laudatus, atque præconiis promeritis extollendus. Typographus prudens, & celebritate nominis caput efferens, ut inter Viburna Cupreſſus. Natus eſt Hamelburgi Franconiæ, enutritusque bonis literis, miſſus eſt poſtmodum Baſileam, ut ad finem optatum ſtudia perduceret. Illic ingenii ſui bonitate & judicii acrimonia præclaram navavit operam. Conſilio deinceps non contemnendo, una cum

Adamo

Adamo Petri a Langendorf oriundo eodem ex Hamelburgo populari, celeberrimorum tunc temporis Typothetarum *Joh. Ammerbachii*, & *Joh. Petri* Amicitiam & Amorem ſibi conciſcavit. Eoque favore impetrato labores ſuos illis uterque obtulerunt, in corrigendos codices impendendos. Nec minus acceptis promiſſis ſedulo admodum, ea quæ facienda ſuſceperant, peregerunt: Unde factum eſt, ut tanto in hanc ipſam Artem, omnium artium certe utiliſſimam, amore flagrare inciperet, a quo retrahi haud unquam potuit. Quin potiús ipſe permittentibus, imo ſuadentibus reliquis iſtius loci Typographis officinam hujusmodi & ſibi comparavit. Ex qua edidit libros poſtea in publicam lucem quam plurimos & optimos, quos ob nitorem, diligentiam & chartæ ſoliditatem hodieque admiratur politior orbis. Inter quos in primis Auguſtinum a Joh. Ammerbachio inceptum & Hieronym. ut nitidiſſimos ita correctiſſimos connumerant. Uſus enim, ut cura ipſius ſingu-

ſingulari, ita quoque pariter Correctoribus Eruditiſſimis, *Pelicano*, *Ammerbachicis* fratribus, *Eraſmo Roterodamo* & ſimilibus, de quibus ſuo loco actum eſt. Præcipue vero cum Eraſmo intimam coluit Amicitiam, certantesque invicem de victoria ex beneficiorum alteri tributorum numero reportanda conſpiciebantur, diverſo a noſtro ævo more, ubi tritum illud & malum: Proximus ſum egomet mihi potius invaluit dictevium. Frobenius contra erat procul ab omnibus ſimultatibus, liberalis, animo forti & conſtante, omnium mundanarum divitiarum contemtor, ſuaque Sorte contentus. E loco aliquando ſublimi in terram præceps cum rueret lateritiam, lethali iſthoc caſu admodum laborabat, & rebus ſuis difficulter proſpicere amplius poſſe videbatur, cum præſertim nemini eo infortunio patefacto ſequenti anno circa talum cruciatus ſentiens, peſſime habere cœpiſſet. Reſtitutus tamen utcunque, ſuaſu Medicorum & deſideratiſſimi ſui Deſiderii Francofurtum itinera varia ſuſce-

ſuſcepit, *Eraſmo* omnibus Typogr. curis relictis, verum reverſus iterum, laboribusque repetitis, & viribus maxima ex parte amiſſis, ex alto denuo in pavimentum quoddam cecidit, graveque capiti inflixit vulnus. Undecetiam poſt biduum corporis exuviis liberatus, ad vivendi finem feliciter pervenit An. Chr. 1527. cum valetudine ita proſpera & vegeta ſemper uſus fuiſſet, ut per omnem vitam nunquam morbo decubuerit. *Hunc virum nobis ereptum, ut cum Eraſmo loquar, decebat omnes, qui colunt bonas literas, pullatos, lacrymas & luctum ſumere, apio floſculisque ſepulchrum ornare, lymphas aſpergere, odores adolere, ſiquid talibus officiis proficeretur.* Id quod eo magis confirmat, dum in Epiſtola infra citanda Eraſmus ad Joh. Emſtadium ſcribit: *Fratris Germani mortem moderatiſſime tuli, Frobenii deſiderium ferre non poſſum.* Ipſe certe defuncto poſuit Epitaphia, ex quibus latinum huc adduxiſſe juvabit:

Ardua

Ardua Johannis tegit hic lapis ossa Frobeni,
Orbe vivit toto nescia fama mori.
Moribus hanc niveis meruit studiisque juvandis,
Quæ nunc mœsta jacent, orba parente suo.
Rettulit, ornavit, veterum ornamenta Sophorum,
Arte, manu, curis, ære, favore, fide.
Huic vitam in cœlis date Numina justa perennem,
Per nos in terris vita perennis erit.

Vid. Adami Vitæ Philos. p. m. 63. Reimmannus P. III. p. 247. Urstisii Epit. Histor. Basileensis 8. p. 179. Conf. Epistola 9. L. XXIII. Epp. Londini fol. 1642. exc. Antea quam vero pedem ad alios sum prolaturus, non abs re fore judico, si alium quendam Virum Frobenio per Vitam conjunctissimum, cum eo etiam post fata conjunxero. Est ille Lachnerus, Princeps Frobenianæ Typographiæ, & Typographi istius Socer optimus, quem Celeberrimus Erasmus, titulo nunc nominato, non solum orna-

ornavit, verum etiam Ep. octava Libri XIX. Voluminis Londinenſis, virum utriusque Literaturæ doctiſſimum, & pari ſecum fide præditum, quod ſane in poſtremis haud numerandum. Ex his verbis aliisque Ep. 2. L. III. Clariſſimus Caveus evincere jure optimo potuit, quod ſolus primum, poſtea vero ſimul cum Eraſmo muneri Correctorio præfectus fuit, ita quidem, ut hodienum non ſine laudibus hujus Lachneri facienda ſit mentio. Videantur Prolegomena in Scriptores Eccleſiaſticos n. XI.

Johannes Thomas Freigius.

CLarum inter Philologos & Jure-Conſultos nomen eſt, *Johannis Thomæ Freigii*, & Academiæ Altdorfinæ in primis memorabile. Rectoris enim in ea ſecundi poſt *Erythræum* munus ab Anno 1576. ſupra quinquennium obiit. De prioribus fatis non erimus verboſi; ut enim Baſileæ ſtudiis literarum incubuerit, rationem illam ſtudiorum ſuorum *M. Chriſtoph. Angerer*

in

in Carmine Schematiſmis trium artium præmiſſo An. 1568. expoſuit. Quem admodum autem *Friburgi* docuerit, deinde & Baſileæ, multo minus opus eſt, ut pluribus repetamus: quæ *Adamus* & exinde *Freherus*, atque *Omeiſius* excerpſerunt: Quæ tamen ipſe quoque in oratione prima hic Altdorfi habita cum a *Philippo Camerario*, Rector Scholæ novæ præficeretur, publice narravit; Atque illic etiam Præceptores reperies Juris-Conſultum *Zaſium*, *H. Glareanum*, & *P. Ramum*, cui præcipue in Gallia additus fuit; etſi poſtea in præfatione Moſaico ſuo præfixa Rami aſſecla haberi noluerit, ſed *Ariſtotelis* Sectator. Quæ ipſa præfatio Anno 1582. Baſilea ſcripta ſingularia quædam nobis ſuppeditabit, quæ extremam viri fortunam nobis explicabunt, pauciſſimis forte, & ipſam illam legentibus, cognita, niſi lucem aliquam a nobis affuſam acceperint. Conqueritur enim in ea magnopere de Calumniis a quodam *Theatino*, Epiſtola præſertim publice ſparſa, diſſeminatis, & mendacia ei per multa adſcribit in illa

illa ipſa Epiſtola palam pronunciata. Inter quæ accuſatio de ſtudio in Ramum nimio primum locum tenet. Altera imputat ei, quod ſubornaverit *Freigius* Studioſos, qui in lectionibus hujus Theatini ſtrepitum excitarent. Tertia odium Ariſtotelis cum Ramæo ſtudio repetit. Quarto inimicitiam in Adverſarii hujus auditores *Freigio* objicit. Ceterum, quod hoſpitem illius ſollicitaverit, ne in ædibus ſuis retineret, perhibet. Et his ſimilia: Quæ enim ſuperſunt, ab iſtis non differunt, aut levia ſunt. Nec tamen nomen indicat ejus, cum quo contentionem habet, & in quem gravibus invehitur verbis. Illud ergo ut intelligas, Lector benevole, *Theatinum* hunc fuiſſe, *Chriſtianum* Franck / Saxonem & diſcipulum Jeſuitarum, nolumus Te ignorare. In quorum Scholis cum alibi, atque Romæ etiam vixiſſet, & ad caſtra tandem noſtratium tranſiiſſe præ ſe ferret, ſua jactantia, quæ fuit maxima, Eruditionis Philoſophicæ & Ariſtotelicæ potiſſimum, impetravit, poſtquam Norim-

bergam venerat, ut in Academia Altdorfina, recens condita, Professoris munus affectaret, eoque nomine jam aliquoties in Auditorio publico prælectiones illic institueret. Quas quidem omnino nonnisi tres fuisse, & non plures, ipse Freigius in laudata præfatione commemoravit, sed tamen maximam hominis audaciam ita describit, ut non solum *Hotomannum*, *Zwingerum*, *Grynæum* tanquam barbaros adduxisse affirmet, sed Sturmium etiam Rhetorculum appellasse, *Philippum* aperta fronte contemsisse, *Ciceronem* pro homine loquaci & inepto habuisse, dicat. Imo etiam *Freigio* denunciari jussisse legitur, ut ad pugnam se pararet, & de æternitate Mundi, Providentia DEI, & immortalitate animæ secum disputaret, quanquam Sophista ille objecerit Freigio, se fuisse ab ipso ad nescio quod barbarum certamen provocatum, quod tamen *Freigius* constanter inficiatus est. Idem vero, postquam illa ad disputationem evocatio e Cathedra contigerat, strepitu excitato, studiosos præmature discess-

diſceſſiſſe, loco citato narrat. Eademque occaſione calumnias etiam cœteras objectas operoſe diluit, & inter alia hoſpitio *Glaciani* hominem iſtum Altdorfi quidem uſum eſſe, ſed ex eo nunquam a ſe expulſum aſſerit. Neque aliud quidquam ei moleſtiæ creatum eſſe ſæpius repetit, niſi quod ad Reipublicæ Proceres identidem ſcriptitaſſe aliunde conſtat, ſignificando ſcilicet, fore, ut ſi iſti Thraſoni licentia hæc declamandi & profitendi concedatur, quod ipſe hactenus exſtruxerit boni in nova Academia, penitus evertatur. In quo non fefelliſſe *Freigium* opinionem ſequentis temporis turbulenti hujus hominis fata reliqua addocuere. Quippe, ex quibus in Poloniam mox commigraturum, hoſtes divinitatis Chriſti jam ſub initium A. 1584. Antitrinitarios adiiſſe conſtat, atque tandem ipſius *Socini* Antagoniſta factum Claudiopoli in Transſylvania 1590. diem obiiſſe innotuit. Quicquid vero horum fuit, eventus Altdorfini litigii iſte fuit, ut *Franckius* Norimbergam revocaretur, & quod

ex Epiſtola Norimbergenſis Ampliſſimi Viri συνχρόνυ intelliximus, ideo, *quia Freigius tantopere ſe ei oppoſuiſſet*, publice docendi in Auditorio Ægidiano poteſtas illi fieret; ubi organon Ariſtotelicum prælegentem, tam celebre habuiſſe auditorium, idem teſtatur, ut Senatores quoque & Conſiliarii quidam aliquandiu auſcultatores fuerint, neque tamen deeſſent etiam (hæc ille addit,) varia hominum ea de re judicia. Facta hæc ſunt ſub finem anni 1580. & initium ſequentis 81. Ex parte Freigii autem, dum hæc ita agebantur, denique accidit, ut Vir alias doctiſſimus, ſed vehementiori, & Cholerico, ut videtur, temperamento affectus, ſuſpiciones animo conciperet, annoque incunte 82. miſſionem poſceret, & tandem etiam diſcedendo Altdorfio honeſtiſſimam conditionem deſereret ſuam. Quas ſuſpiciones, quaſi contemtui eſſet Proceribus inclytæ Reipubl. Norimb., tantum aberat, ut diſſimularet in præfatione iſthac ſua, ut tanquam cauſam diſceſſus ſui primariam ipſemet allega-

allegaverit. Ut ut Basileæ etiam postea multum de injuria sibi illata non sine indignatione, nescio an satis solida, conquestus sit. Quæ utrum è Rectoris officio ademto ficta fuerit nec ne, pro certo non affirmamus. Illud scimus, post impetrata Privilegia Academica Munus, quod ex eo tempore more solito cœpit esse anniversarium, & a Freigio supra quinquennium gestum, in *Edonem Hildericum̄ a Varel* translatum esse, *Freigiumque* eo honorifice exutum. Præter causam *Franckianam* alias fuisse, ob quas abierit Basileam, disertis verbis etiam in citata præfatione testatum reliquit, sed quænam illæ fuerint, prior an aliæ, non liquet. Atque ob hanc denique in urbem inclytam Basileam reversionem fecerat ista præmittenda. Nam tunc demum, quod animo jamdudum agitaverat, non solum, sed etiam re ipsa peregerat aliquandiu, iterum subiit munus, & in *suæ familiæque suæ salutis præsentissimum periculum* (liberali stipendio privatus Norica,) conjectus operis Typographicis se addixit,

Correctoris labores in Sebastiani Henrici (filii) Petrina officina suscipiendo, iisque, quod sciamus, moriendo. Rediisse ad hos labores diu quidem dubitaveramus, sed postquam in oratione Altdorfina Auspicali tales ipsum jam antea fecisse professum legimus, quod nempe *ab Hieronymo Wolfio in Typographicis laboribus Basileæ sudans inclyto Norimb. Senatui commendatus sit*, tanto minus de eo dubitavimus. Atque eo magis desudasse in hoc exercitio Correctoris per aliquod tempus credimus, *quoniam totum amatæ, & cultæ a se Typographiæ se devovisse*, ibidem ait. Imo *a Typographico prelo & aratri stiva*, seu prædii cujusdam reditibus, *ad Dictaturam literarum, ut alter Cincinnatus evocatum* tertia vice inquit. Ut adeo non de novo Correctoris labore, sed iterato recepisse, &, quod dictum, immortuum iis esse, jam sit extra dubitationem positum. De priori munere ultro quæsito *J. J. Grynæi* Theologi Reform. Basil. nos instruxit testimonium, qui ipse præsens ex eadem urbe, cum non-

nondum vidiſſet, Freigium, eum ſibi ſumſiſſe Correctoris illud officium ſe intelligere, ad *C. A. Julium* Norimbergam perſcripſit. Ex qua Typographia etiam ſupra citatus *Moſaicus*, ſ. Hiſtoria Patriarcharum & Moſis, Freigii 1582. prodiit. De poſteriori vero omnes mentionem fecere, quando Peſte illum Baſileæ, quæ tum ibidemque graſſabatur, abreptum annotarunt, & quidem, quod a plerisque omiſſum, cum annum ætatis vix quadrageſimum tertium expleviſſet, & paulo ante obitum, & Patris & filiæ funera vidiſſet, quæ, ut alia infortunia, illi Theonino homini (ſeu *Franckio*) accepta ſe ferre in citata præfatione profeſſus eſt. Quos libros interea emaculaverit ibidem facile ex Chronologia conſtabit. Scripta vero, quæ ipſe in lucem dedit publicam, quæ ſunt multa admodum & notiſſima, recenſere ſuperſedemus, niſi quod dignum videtur annotata præter illa a Frehero cumulata edidiſſe Grammaticam, Rhetoricam, Poëticam, Logicam in Uſum Scholæ Altdorfinæ, 8. 1580.

Norimberg. De moribus & genio non ſatis conſtanti & fixo, ſed deſultorio & vago lubet cum B. L. communicare Ep. Manuſcriptam, nondum editam, quam debemus Patroni cujusdam benevolentiæ, quæ ab eodem laudato *Grynæo* ad familiarem quendam amicum ſcripta eſt Anno 1582. d. 20. Octobris. Illam autem quam antea nominavimus ad C. A. Julium ſcriptam cum aliis circa hos etiam dies in lucem protrahet *M. S. J. Apin. Altdorfinus.* Noſtra vero hæc eſt. S. Magnifice & præſtantiſſime Vir, Libenter ſanè & Lazaro Kœtzlero veſtro, & meo propinquo Doctori Samueli Grynæo J. C. morem geſſi, cum ambo peterent, ut moram illius, quæ ei publici teſtimonii in utroque Jure Candidato, hoc tempore opus eſt, eo conſilio apud tuam præſtantiam excuſarem, ut & fratribus ac propinquis conſtare poſſet, juſtam ob cauſam reditum in patriam eum in hoc usque tempus diſtuliſſe. Quod enim ſe mihi familiariter, ſtatim atque Baſileam veniſſet, adjunxiſſet: & tuæ præſtantiæ commendatio, acceſ-

ſiſſet:

ſiſſet: veſtrique homines mihi multis de cauſſis cari ſint & amabiles, ejus mihi habendam rationem duxi; ac in ipſius gratiam, cum intimo meo Ammerbachio, cum D. Samuele Grynæo & D. Adamo ſæpe contuli; ac, niſi fallor, auctor illi fui, ut eam Juris veſtri cognoſcendi gratia methodum ſit ingreſſus, cujus beneficio iſtis proxime præteritis diebus in ſacris apertaneis, quibus exploratur Candidatorum doctrina, viceſit expectationem J. C. ut mihi D. Samuel narravit. Reſtat Diſputatio inauguralis, qua ubi σὺν θεῷ defunctus fuerit, ornatus publico teſtimonio, ſtatim Noribergam accedet, ut ne familiæ herciſcundæ, fratrumque ſuorum voluntati usquam deſit. Oro itaque præſtantiam tuam, Vir ampliſſime, ut pro tua auctoritate non graveris, hominem tui nominis obſervantem, apud fratres, cum erit opus, excuſare. Non diu res prorogabitur: Sed ut arbitror intra 14. diem abſolvetur. Chriſtus Dominus det, ut Patriæ ſuæ Lazarus noſter, clariſſ. parentis exemplo, uſui olim ſit & ornamento.

Habuimus proxime præteritis menſibus, florentiſſimam Academiam, cum multi illuſtres, generoſi & eruditi homines ad nos ſeſe reciperent. Sed μυρμήκιον iſtud Academicum peſtis magna ex parte diſſipavit. Non tamen conticuerunt hactenus piæ Muſæ: ac me, quod attinet, diſco quid ſit ναυάγια πολιΐνειν, dum ne quidem peſtis facit, ut omnes a latere diſcedant. Quod autem multæ omnium facultatum hominibus proficiſcendi occaſiones, hoſpitibus noſtris Academicis, non defuiſſe, intelligentes viderint: non dubitamus, remittente Dei ferula, multos, & propter tranquillitatem Eccleſiæ Scholæque (quæ Dei beneficio nunc mediocris eſt) & propter eruditæ doctrinæ exercitia, huc acceſſuros. Ac ſi tum Magnifico Viro, Domino Geudero, tuæ præſtantiæ & aliis, placebit, filios huc ablegare, meque ſuperſtitem eſſe volet Chriſtus, re ipſa teſtabor, quanti vos omnes faciam. Licebit enim illis & domo & Colloquiis & Libris meis uti & frui. Freigius apud nos privatam

tam agit vitam. Sane & Ammerbachio, & mihi permirum visum est, quòd à vobis discedens, κυγλίζειν ἀγαθὸν βίον maluit, quàm spartam, quam nactus erat, exornare. Sed non me fefellit conjectura; Memini enim cum primum ad vos accessisset, me quibusdam dicere, futurum, ut dum genio suo delectatur, paucorum annorum hospes sit in Norico. Mitto Theses Theologicas, de quibus permitto judicium tuæ præstantiæ. Precor toti familiæ tuæ benedictionem â Christo, & amanter παννοιᾷ saluto filium tuum, optatissium meum Compatrem Doct. Christoph. Basileæ 20. Octobr. 1582.

Verè tui Studiosus

J. Grynæus.

Jam ad Literam G. transmigrandum erit, ubi primus memorandus occurrit

Sigismundus Gelenius.

CLaruit olim in Bohemiæ Regno, familiæ antiquitate & meritis illustris, Gelenia dicta, quæ a Cervis nomen

men hoc traxerat: Eos enim, ut audio, Bohemi Gelenos vocant. Atque a nobis Cervina quam optime nominari poterit. Ex ea ortum ſuum *Sigismundus* noſter *Gelenius* habet, natus ſiquidem Pragæ, quæ Sedes eſt Bohemiæ Regia, Patre de Republica bene merito viro, quique in Summis apud Regem honoribus & maximo vivebat loco. Quo etiam non videtur indignus fuiſſe, ſiquidem, præter publicarum rerum peritiam, non illiteratus, etiam jam Sec. XVI. Eruditione ſua in regno magnam nominis ſui famam eſt adeptus, atque inter alia lepidum illud Eraſmi opuſculum, de Moria, in vernaculam accuratiſſime tranſtulit. Mater fœmina nobilis audit, prudens & ob virtutis laudem a Regina ſimiliter valde adamata, & ei & ob probitatem morum admodum familiaris fuiſſe fertur. His parentibus genitus, natusque *Sigismundus* noſter, parem ſuis natalibus habuit educationem, ingenuam quippe ac magnificam, nec minoribus virtutibus paria quoque cum Patre conſectabatur ſtudia.

ſtudia. Ad ea longius provehenda, atque ad dotes animi magis magisque excolendas, cum ad exteros profectus, juvenis admodum Germaniam Galliamque luſtraret, variarum linguarum collegit notitiam. Præcipue vero linguæ Græcæ amore captus ad eam ſibi penitus addiſcendam animum appulit, inque ea literatura Doctorem habuit cum & Italiam viſitaret Marcum Muſurum Græculum celeberrimum, eo ſucceſſu, tantaque fortuna, ut mirum in modum poſtea in iſto idiomate excelluerit. Poſteaquam pecuniam ex Patris hæreditate acceptam in neceſſarios ſtudiorum ſumtus impenderat, reditum ex Italorum terra in Germaniam ſuam paravit, atque ex eo tempore aliquandiu Wittebergæ Philippo gratiſſimus hoſpes, ut & Camerario Sodalis jucundiſſimus vixit. Tum vero denuo ad exteros abiturus, mutato vero conſilio, Baſileæ ſubſtitit. Cum enim egeſtatis mala, comitemque bonæ mentis paupertatem ſentiret, jam attritus opibus, ap. *Frobenium*, vir meliori dignus

dignus Sparta, victum sibi amictumque quæsivit. In ejus igitur officinam receptus Typographicam codices Manuscriptos perlustravit, mancos mutilosque restituit, atque inter imprimendum emendavit; tanto quidem studio & conatu, ut parturire eos fœtus solus atque unus pro omnibus videretur. Maximopere sane laudat ejus diligentiam in isthac negotio dato, adhibitam in præfatione ad *Ammianum Marcellinum H. Valesius. Erat quidem* inquit ille *in utroque horum virorum, magna doctrina, ut scripta utriusque testantur. Sed in Gelenio major quædam ingenii vis, & judicium acrius. Quod cum multi præclari labores illius viri testantur, tum maxime interpretationes latinæ Dionysii Halicarn. Appiani, Philonis & aliorum. Ex quibus apparet, eum excellenti ingenio, & singulari doctrina præditum fuisse. Sed & Ammiani Marcellini Historiæ ab eo editæ abunde id testantur. In quibus plurima & ingenio se emendavit, & insignem paginarum transpositionem, quæ in omnibus MSCtis Codicibus reperitur, & in editio-*

editione extat Accurſii ; mira dexteritate reſtituit. Quamobrem ejus viri nomini libenter hoc laudis impertimus teſtimonium, neminem adhuc extitiſſe, qui de Hiſtoria Marcellini melius meritus ſit. Neque parciot in eo prædicando fuit celeberrimus Huetius, qui de claris Interpretibus; *Erat* ſcribit, *in eo animo lenitas mira, naturæ bonitas quædam, ut vix iraſci poſſet : Irritatus etiam cum nemine unquam ſimultatem geſſit : Rerum alienarum minime curioſus, minime ſuſpicax, ſed antiqua non tamen ſtulta ſimplicitate præditus.* Referunt quoque ſtatura fuiſſe procerum, memoria pollentem divina, continentiæ denique & abſtinentiæ miræ. Certe per multos annos in his laboribus conſtitutus, omnium Eruditorum favorem ſibi comparavit; at vero, ut nullas comparavit divitias, ita quoque relinquendis & ad hæredes transmittendis ſolicitudo eum non habuit, ſuppellectili domeſtica victuque parco contentum. Ceterum laborem ſuum, quem impendebat in corrigendis codicibus, tanto pro-

profecutus eſt amore, ut varia etiam munera publica, quæ offerebantur conſtanter recuſaret. Adeo, ut cum a Rege Bohemiæ magnis præmiis & ampliſſimis honoribus promiſſis in regnum patrium juberetur redire, oblata reſpueret, moderatum hocce vitæ genus, ambitioſis & turbulentis aulæ ambagibus ſapienter præferens. Similiter & *Phil. Melanchthon* aliquoties ad officium publicum invitavit, atque inter alia in Schola Noribergæ inſtauranda centum aureorum pretio, in ſingulos annos conſtituto, conducere effatus eſt. Sic enim in Epiſtola quadam, quæ reperitur inter ad *Camerarium* ſcriptas & editas Lipſ. ap. Vœgelinum 8. p. 49. ille ſcripſit: *Sed addixi, inquies, Biennii operas Frobenio: Nihil a Te, vir optime, petitur, quod non poſſis honeſte præſtare. Nam ſi ea res una proſtat, quo minus concedas Noribergam, aget cum Frobenio Senatus urbis, ut fidem tuam liberet; Proinde hoc ſcire cupiunt, an ſi permittat Frobenius, pertrahi Noribergam patiaris. Multæ profecto cauſæ ſunt, quæ Te invitare*

vitare eo debebant, quas ſi omnes colligerem, viderer de tua Prudentia dubitare. Sed hæc eſt præcipua, quæ animum Tuum pellere debebat, quod ex Republ. videris facturus, ſi in eo loco ſtudia bonarum literarum inſtauraveris. Quæſo itaque Te, ut de voluntate Tua Baumgärtnero reſpondeas. Senatus præſtabit, & ut fides Tua liberetur, & ne Te ſuſceptæ conditionis pœniteat. Sed neque his *Melanchthonis*, precibus ut optaverat ille, reſpondit, nec ad lautiorem fortunam, qua ob mores & ſtudia elegantiora digniſſimus habebatur, ab incepto deduci potuit. Segniorem enim ſe futurum credidit, rerum omnium attenuata fortuna in meliorem converſa. Nec tamen interea defuere Viro induſtrio beneficia alia, quæ in eum ſunt derivata; nam præter ea, quæ a *Frobenio* accipiebat, *Johannes* etiam *Rudolphus Stöer*, Antiſtes Murbacenſis & Ludrenſis, annuum illi conceſſit ſtipendium, quod poſt fata Geleni Oporinus ad Bibliothecam amplificandam ab eodem *Stærio*, Muſarum Patrono indulgentiſſimo, impetravit.

P Facile

Facile exinde colligere poterimus, quanto ſtudio Doctores Gelenium noſtrum obſervarint, ut etiam exemplo noſtra ætate rariſſimo, imo nullo, communi quaſi Literarum nomine certam pecuniæ ſummam pependerint. Sed & contigit noſtro, quod fieri ſæpius ſolet, ut laudentur ab his, culpentur ab illis. Nam neque *Gelenius* caruit obtrectatoribus, quorum alii nimiam libertatem, qua tunc Correctores utebantur in emendandis ac reſtituendis ſcriptis, reprehendebant, alii alia. Inter hos Clar. C. Barthius in Adverſariis ſuis L. XLIV. c. I. hunc in modum judicavit. *Ingenioſiſſimus, ſed audaciſſimus, & prorſus nihil ſibi negans Arnobii Corrector fuit, Sigism. Gelenius in eam editionem, quam totam ad ſuum captum reformavit, aut transformavit.* Conſpirat cum Barthio præfatio editionis Lugdunenſis Bat. Arnobii 1651. excuſæ. *Arnobium*, inquiens, *hunc primus quidem vulgaverat Franciſcus Priſcianus Florentinus, ſed una cum veteris Manuſcripti, quo uſus fuerat, fœdis admodum erroribus. Sigismundus*

mundus poſtea Gelenius editionem hanc corruptam, ſolo ingenio, ut potuit, reſtituit. Sed ingenii ille fiducia malo exemplo uſus conjecturas ſuas textui inſeruit, antiquas lectiones ſuo Imperio ejecit, & Arnobium nobis finxit, qui Arnobii ſpeciem non refert. Eandemque licentiam conqueſti ſunt Eruditi, illum ſibi ſumſiſſe in editione *Plinii* tertium a Gelenio caſtigata, quorum quidam, ac ſi quicquid libuerit ex capite ſuo mutaverit, aſſeruit; gloriatumque mirifica ſe præſtitiſſe, cum potius crimine maximo ſe polluerit, addunt. In unam cum his ſententiam mihi viſus eſt iviſſe *Huetius*, a quo ante laudem obtinuerat egregiam, & alii, quorum tamen querelæ, quantæcunque etiam fuerint, merita tanti viri per triginta annos Reipubl. literariæ exhibita vix obſcurant, tantum abeſt, ut contaminent, aut tollant. Ea enim præſtita ſunt a *Gelenio*, quæ ab aliis multis exſpectari vix poterant. Quibus libris emaculandis præfuerit, ex annis obitus, vitæque in Typographia antecedentibus facile intelligi poterit.

Unde & præfationum ab eodem præmiſſarum, quarum haud paucæ ſunt, a Correctoribus quibusvis vel Typographorum nomine, vel ſuo etiam præſcriptæ Author cognoſcendus eſt. Fatis autem conceſſit ultimis noſter *Gelenius* Baſileæ, ubi etiam uxorem duxerat, An. 1554. ætatis ſuæ 77. relictis ſcriptis variis, ex quibus eminent: Verſiones Lat. Dionyſii Halicarn.: Joſephi Evagrii Hiſtoriæ Eccleſ.: Originis contra Celſum: Philonis operum omnium: Appiani de Bellis Punicis, Syriacis & Parthicis: Dictionarium quadrilingue. Græco-Latino-German-Dalmaticum: Annotationes in Titum Livium: it. in Plinii Hiſtoriam naturalem: Præfatio in Eutropium &c. Quæ ſunt Baſileæ omnia excuſa & ab eo correcta apud *Frobenium*. Videantur, Thuanus in Hiſtor. Gall. L. LXIII. p. 277. Bælius in Lexico Critico ed. poſterioris T. II. p. 1322. Buddeus in Lexico Univerſ. T. I. II. p. 219. Teiſſierius Les Eloges des Homme Scavans T. I. p. 89. Adami in Vitis Juris-Conſultorum in Vita Zuichemii

p. m.

p. m. 228. ubi cum doctiſſimo viro *Sigismundo Gelenio* Baſileæ Amicitiam ille contraxiſſe legitur, eo tempore, quo libris ibidem corrigendis noſter præeſſet. Adde & Cl. Reimmannum P. III. c. 1. p. 231. Succedit

Hieronymus Gemuſæus.

ORtum huic dedit Mulhuſium, Alſatiæ Superioris oppidum, Helvetiis fœdere junctum An. 1505. Cum ingenio eſſet præſtanti ad ſtudia literarum a ſuis adhibitus eſt: Idque primum in Schola patria factum, poſtea tamen Baſileam ad mercatum elegantiorum ſtudiorum miſſum legimus. Nec inconſulto; habuit enim quos audiret illic optimos doctrinæ omnes non minus quam Pietatis Doctores, ex quibus *Henricus Glareanus* eminuit. Atq; hujus etiam inſtitutione ita excitatus eſt, ut non raro abſente illo, vices Præceptoris ſubire, & magna ſuavitate condiſcipulos ſuos docere potuerit. Eodem *Glareano* Philoſ. ordinis Decano ſummos laborum ſuorum adeptus honores, Magiſter

anno ætatis suæ vigesimo renunciatus est. Discedens postmodum Basilea in vicinam Galliam excurrit majora scientiarum incrementa peregrinis in locis conquisiturus. Nec spem fefellit eventus; In Græca enim literatura, ut & in reliquis, ita profecit, ut inter optimos & doctissimos sui temporis literatores connumeratus & habitus fuerit. Platonicorum & Aristotelicorum scriptorum diligentius pervolvendorum cognitionem tanto ardore hausit, ut alios non sine fructu & applausu instruere de placitis utriusque sectæ potuerit. His suis profectibus junxit postea & artem Medicam; in qua addiscenda haud infelicior, quin potius dignus honoribus, laurea Doctoris suprema Taurini An. 1533. cinctus, faustis avibus in Germaniam rediit. Basileæ gratus receptus est hospes, non diu tamen ibidem moratus est, cum scientias rerum naturalium exponendi publica ei facta esset potestas. Cui numeri satisfacturus, spartamque ornaturus suam, commodius rem quoque domesticam formavit, vitæ-

vitæque ſociam ſibi elegit filiam *Andr. Cratandri* Typographi. Quo factum, ut occaſio ei ſubminiſtrata fuerit, ſocerum in operis Typotheticisque curis cuvandi. Emendavit itaque ei ſcripta, quæ excudebat, ſedulo, ſummaque diligentia, ſi quæ imprimenda ex Manuſcr. occurrerent. Atque ita effecit, ut auctores optime ex ea officina excuſi prodirent. Præter hos vero labores, aliud quoque ſibi faceſſivit negotium: Ductore enim *Sebaſtiano Münſtero*, quamvis jam ipſe Profeſſor Publicus, Hebraicam addidicit linguam, eum in finem, ut cum ſcientias ex fontibus deducere noſſet, ita & ſacras literas purius e ſcaturigine deductas calleret. Occaſio vero huic linguæ addiſcendæ erat ipſe labor Typographicus, cum ſæpius in paginis luſtrandis Hebraica occurrent, pudore, quod ea non calleat ductus, & illi tractandæ incumbere cœpit. Tandem denuo ſuſcepta in Italorum terras migratione, cœli inſuetus intemperiei, in ipſo itinere ægrotare cœpit, & reverſus confeſtim Baſileam febre

ardenti correptus, viribus indies attenuatis & consumtis, denique extinctus est, d. 29. Januar. Anno 1545. non sine gravi omnium Eruditorum mœrore ob diligentiam omnibus probatam. Monumenta, quæ de eo testantur sunt præter Epitaphium. Præfationes prolixæ, & omni Eruditione refertæ, Galeni operibus & Almagesto Ptolomæi latino præmissa, quæ opera sibi ad corrigendum a Typographo ad corrigendum exhibita erant. Aristotelis etiam scripta quædam attente scrutatus est, eorundemque nonnulla in latinam linguam convertit; Porro Epitomen 17. librorum Strabonis, Græce ab incerto Autore scriptam, eleganter satis & terse transtulit, &c. Conf. Adamum in Vitis Philos. p. m. 129.

Nicolaus Gerbelius.

VIr optimus atque integerrimus, & humanitate suavitateque, morum & doctrina omni genere solidæ laudis excellens. Hoc enim periit Encomium *Joach. Camerarius* in Vita Melanchthonis

nis p. 278. Nec injuria; omnibus enim Seculo XVI. viventibus luminibus Eruditionis laude celebratis per charus fuit, & ob morum integritatem ſtudiorumque multivariam ſoliditatem æſtimatiſſimus. Ut etiam B. Lutherus primo genitum ejus ex Sacro baptiſmatis fonte ſuſceperit. Nam præter Juris Civilis notitiam, cujus erat gnariſſimus, politiores literas & diſciplinas, quæ ea tempeſtate in pretio fuerant, exacte callebat, neque linguarum etiam Græcæ & Hebrææ ignarus, ſed celebratur ſcientiſſimus. Non ergo ſine cauſa *Johannes Capnio*, quem diſcipulus ille Præceptorem venerabatur in medullis cum habebat, cum ob diligentiam raram, tum vero etiam, quoniam eandem haberet patriam; Uterque enim Pforzhemii oppido Marchionatus Badenſis inferioris natus fuit. Equidem Pater Gerbelii Viennæ in Auſtria lucem adſpexerat, unde filius adultior factus, ut ſtudia hactenus optime geſta amplificaret eundem in locum miſſus eſt. Eoque itinere feliciter peracto ille locorum ad ſcopum

perventurus ſuum, ſibi ſuisque Muſis ſolum vacavit, factumque adeo eſt, ut Eruditione & probitate mirum in modum exſplendeſceret, ita quidem, ut celeberrimi etiam viri Johannis Cuſpiniani amicitiam familiaritatemque conſecutus, tandem ipſe ex diſcente redderetur docens. Atque his laboribus nominis ſui famam mox tantopere diffudit, quam quisque alias; fortunæque venturæ peramplæ faber quodammodo fuit. Vix enim per aliquot annos, alios docere politosque reddere cœpit, cum a Senatu Argentoratenſi inclyto, ut Hiſtoriarum monumenta publice in Academia erueret, arceſſeretur. Neque etiam huic muneri humeros ſubtraxit, ſed potius omni contentione opera ac ſtudio effecit, ut inter literatiſſimos doctiſſimosque ſui Seculo etiam in hoc poſitus ſtudio, referretur, tantaque erat diligentia, ut dies vigilare noctesque, & intervenientibus feriis, ceſſantibusque ordinariis lectionibus in re Typographica curam pagellarum impreſſarum ſuſcipiendo Rempublicam literariam

riam ſibi devincire laboret. Nempe *Schüreriі* ſub id tempus Argentorati florebant, quorum officina omni apparatu præ ceteris inſtructa erat. Horum ergo famam ſtudio incitatiori aucturus codices emendavit atque ornavit, & ſiquid prodiit ex officina *Schürerіorum*, quod ob literas nitidiores & accuratam impreſſionem Lectori placeat, id unice fere *Gerbelio* erit adſcribendum. Ipſe nobiliſſimus *Mallinkrodtius* in libello exaſciatiſſimo de ortu & progreſſu rei Typographiæ apud Schürerium Argentinenſem Nicolaum noſtrum operam in corrigendo impendentem, & An. 1515. opuſculis quibusdam Eraſmi edendis & emendandis occupatum ſe inveniſſe virum præclariſſimum teſtatur, & laudibus propterea inſigniter mactat. Quamvis autem merita hujus viri fuerint maxima, tamen ab obtrectatoribus & inimicis vix ſecuro ei vivere licebat. Nam inter alia adverſa a peſſimo quodam Regularum Rhetoricarum Compilatore miſerrime traductus eſt, quippe a quo exempli loco in Actionis Capitalis

Scena,

Scena, nominetenus adductus, atque tanquam Sacrilegii rei introductus est. Quo comperto ille, injuriam tanquam innocentissimus ac optimus male admodum tulit, autoremque scripti non immerito in Jus vocavit, & *Melanchthone* intercedente, iste Criminis infamiam recepit, atque peculiari scripto innocentiam *Gerbelii*, & injuriam, qua innocentem affecerat fassus est. Ita res acta & vita protracta Argentorati, donec *Gerbelius* fatis suis cessit, obiit siquidem ætate longius progressus, eodem quo *Melanchthon*, *Georgius Sabinus*, & *Petrus Lotichius* mortui sunt, anno d. 20. Januarii An. 1560. scripta ejus posteris relicta potiora sequentia sunt. Nov. Test. Gr. in ædibus Thom. Anselmi An. 1521. 4. emissum, cum præfatione: De Anbaptistarum ortu & progressu: Chronicon Cuspiniani de Cæsaribus Romanis Græcis atque Turcicis illustratum, suisque curis emendatum cui præmissa est, Cuspiniani vita Bas. ap. Opor. 1561. Ejusdem Cuspiniani liber de Consulibus Rom. quos egregie auxit & ex-

explanavit. Eodem authore ſcripta eſt etiam Præfatio in Arriani Hiſtoriam de Alexandri rebus geſtis. It. Præfamen in Lycophranis Caſſandram, qui libri ſedulam Gerbelii manum in corrigendo ſenſerunt : Vita utriusque *Tzezis* : LL. pro declaratione picturæ ſive deſcriptionis Græciæ Sophiani fol. Baſil. ap. Opor. 1550. Literæ Melanchthonis & Lutheri ad eum datæ extant, inter Epp. Theol. Marbachianas, quas noviſſime Venerandus *Fechtius* ad ſupplementa Sec. XVI. adjecit : Epitaphium, quod *Matthæo Zellio* poſuit, vide in hujus Vita apud Adamum p. 191. Confer. de *Gerbelio* Cl. Buddeum in Lexico Univerſ. T. I. II. p. 234. Adamum in Vitis Juris-Conſultorum p. 133. qui de munere Correctorio nihil meminit. Teiſſierium in Elogiis ed. 1683. 8. p. 209. Fireherum in Theatro p. 842. Joh. Henr. Majum in vita Reuchlini 8. p. 87.

Victor Geſelinus.

JUre-Conſultum excipit Medicus, talis quidem, quales raros noſtra ætas habet

habet & profert. Criticus enim acutiſſimus, Philoſophusque exquiſitus hodieque audit. Natus eſt Anno undequinquageſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum d. 23. Maji. Sandtforti Comitatus Flandriæ. A primis annis a parentibus, ut ad laudem eſt inſtitutus, ita ad omnes virtutes, quibus is, qui aliquando excellere inter bonos cupit, inſtructus eſſe debet, aſſuefactus eſt. Artium ingenuarum fontibus præguſtaris, Medicinæ Studioſis nomen adſcripſit ſuum, non tamen penitus ſepoſitis, quæ ad politiorem literaturam pertinent. Porro neque in adoleſcentia in otio conſeneſcere vitaque umbratica ſcientiam conſectari voluit. Sed vivido ardore in lucem procedens, uberioris animi cultus capiendi cauſa, ad exteros excurrere decrevit. Habuit in hoc itinere ſocium fidum admodum & Clariſſimum Juſtum Lipſium, a quo etiam poſtea, cum Dolæ ad ampliſſimum dignitatis Medicæ gradum adſcenderet, laurea Doctorali coronatus eſſet, oratione publice habita, quas Panegyricas vocant,

vocant, laudatus eſt. Quibus Elogiis, ab eodem paſſim in ſcriptis Lipſianis mactatum fuiſſe comperi. Redux ex profectionibus fixam conſtituit ſibi, habuitque ſedem Brugis Flandrorum, matrimoniumque iniit fortunatum. Atque ſic operam in rebus Medicis & Curationibus morborum feliciter facere cœpit, idemque per aliquod tempus Antwerpiæ vixit, idemque, cum Medicas tractavit artes, tum etiam Celebertimum *Chriſtophorum Plantinum* adjuvit in Typographicis operis. Is enim, cum certatim ad ſe convolare videret ſcripta Eruditorum, quæ offerebantur ſelectiſſima, ut imprimerentur, factum, ut cum eorum petitis ſatisfacturus eſſet, continuis prelis iisque permultis, officina ipſius laboraret. Ne autem laudem hactenus ab omnibus ſibi impertitam amitteret, aliquot ſibi comparavit viros Eruditiſſimos, qui impreſſa inſpicerent, & ſi quid falſi vel reprobi poſitum fuerit, corrigerent. Ad ſimile igitur negotium Geſelinus invitatus, id non recuſavit, quin potius certum pactus

ctus præmium, quod largum Plantinus ſolvere ſolebat, accurata ſua diligentia ſpei Plantini de ſe conceptæ ex aſſe ſatisfecit. Tandem vero debilitatis admodum viribus, ut Eruditorum ſolent eſſe fata, in ætatis adhuc flore conſtitutus, placide exſpiravit, & a mœſtiſſima Conjuge tumulatus eſt. *Beyrlinckius* vero ſequenti defunctum laudavit Epigrammate:

Cum nato certat Latonæ maſcula proles,
Vult ubi Victorem, *quilibet eſſe ſuum.*
Phœbus ait: Meus eſt: Meus eſt Epidaurius inquit,
Certant; Victorem vincit acerba quies.

Extant ejus Poëmata varia: Notæ Eruditionem ſpirantes in Poëtam Chriſtianum Prudentium Adagia, qualia Eraſmus & Junius emiſerunt. Edidit etiam Fernelii librum de morbo Gallico: Scripſit etiam plurima alia, quæ Giphanium ſuffuratum pro ſuis venditaſſe *Janus Douſa* affirmare conatus eſt. Videantur Adami in Vitis Medicorum p. 239. Struvius in Bibl. Philoſ. p. 239. Mallin-

Mallinkrodt. Colon. ed. 4. p. 96. Epiſtolam Geſelini ad Franc. Nanſium ſcriptam invenies ap. Crenium in Animadverſionibus Philol. P. VII. p. 234.

Johannes Gheesdalius.

VOcatur is a Cl. Struvio Antonius, adducto in fidem doctorum *Auberto Miræo* in Elogiis. Swertius autem in Athenis Belgicis Johannem conſtanter appellat, cujus teſtimonium, quoniam ſe diſcipulum ejus fuiſſe gloriatur, firmiori fundamento niti crediderim. Nec vero ſimile eſt *Antonium Sanderum* in tractatu *de Claris Antoniis* eum omiſſurum fuiſſe, in quo tamen nihil prorſus invenire licet. Idem vero Swertius, quod mirati ſumus valde, de laboribus ab eodem exantlatis, ob quos a nobis in numerum Correctorum Eruditorum relatus eſt, ne apice quidem mentionem feciſſe legitur. Solam igitur fidem Dn. Struvii & fontis communis Miræi moniti hac in parte haud diffiteor. Ceterum natus eſt Gheesdalius in Flandriæ Comitatu, & pago quodam, cui Berg-

hemium nomen eſt, non procul ab urbe munitiſſima Aldenardo ſito. Muſicam ferunt amaſſe, & ab adoleſcentia exercuiſſe, cui Poëſin poſtea adjecerit; Unde merito a Swertio appellatus fuit, Muſicus ab arte, Poëta a natura; Idemque refert poſt varios fortunæ caſus, in Schola tandem Antvverpiæ Mariana publica authoritate conſtitutum docuiſſe. Quod ſi animo mecum reputo, ſub id quoque tempus non dubium eſt, quin ſimul plagulas a Nobiliſſimo *Plantino* excuſas, velut in otio Scholaſtico exiſtens, ab erroribus liberarit. Atque in hoc tandem etiam officio, poſtquam ſatis ſudaverat, diem ſuum obiit, ac ſequens in magno Virginis Mariæ cœmiterio ei eſt a *Maximiliano Vrintio* Epitaphium poſitum:

Quod fuerat, Gheesdale tui mortale, ſepulchro
Hoc jacet; at ſolus non tamen ipſe jaces.
Quin quod habent ſancti, Libothrus & Hemus & Aon,
Girræque, & æternis fontibus Aſcra madens. Omne

Omne ſimul tecum jacet, hoc Gheesdale ſepulchro,
Tot juga, tot fontes, tam brevis urna tegit.

Scripſit Stichologiam ſive de Syllabarum & carminum ratione, vario metri genere explicatam a R. D. Lævino Torrentio ap. Plant. 8. : Catechiſmum ad juvandam puerorum memoriam carminice. ibid. 8. Carmina in natalem diem Domini noſtri JESU Chriſti Gandavi 8. Epigrammata jocoſa, quæ latuerunt Manuſcripta in Muſæo Franc. Svvertii, ubi nam vero poſt fata hujus devenerint, ignoramus. Hunc vide in Athenis Belgicis, uni pleraque debemus eorum, quæ ſunt de Vita ejus, & fatis ejus narrata, conf. Struvium in Introductione ad Hiſt. Liter. p. 574. ultimus in hoc elemento ſequitur

Hubertus Golzius.

VIr ingenioſiſſimus, cui ſimilem præter Ez. Spanhemium Virum illuſtrem Germania noſtra nunquam habuit in arte numiſmatica. Lucem

vidit Venloæ Ducatus Juliacenſis oppido d. 30. Octobris An. 1626. Patre *Rutgero Golzio* Herbipolitano Cive, pictore. In ea Parentis arte addiſcenda aliquot tranſiere anni, donec literarum ſtudia cum ea filius conjunxit. Præcipue vero antiquitatum explanandarum cupidine raptus, nihil a juventute prætermiſit, quod intactum reliquiſſet. Eamque ob rem ſumma diligentia & lectioni ſcriptorum quorumvis incumbebat, nec ullis ſumtibus laboribusque parcebat, ſi quando ſuis conatibus ſatisfacere poſſet. Ad quod acceſſit præclaræ artis commoditas; quo magis enim præcellebat arte pingendi & cælandi, eo leviores & faciliores habebat in deſiderio numiſmatum colligendorum progreſſus. Verum patrios ſibi lares ad ea, quæ ſuſcipiebat perficienda, neutiquam ſufficere cernens, peregre abire conſtituit, atque primum quidem luſtravit Belgium, unde digreſſus & alia regna terrasque viſitavit, & ſedulo ſemper in ea inquirens, quæ ſibi utilia fore inprimis noverat.

verat. Ubicunque locorum eſſet, quæcunque ex Nummophylaciis offerebantur, in more poſitum habebat, ut in chartam depictas Icones ſibi ſervaret, atque ſic incredibilem tandem Theſaurum nummorum colligeret. Maxime vero omnium calcaria ei ſubdebantur, cum *Laurini*, viri in numismatum cognitione ſolertiſſimi ſuppellectile, in Italia, Gallia, Germaniaque acquiſito, potitus eſſet. Tanta enim ex eo tempore ſolertia & ardore Eruditorum armaria penetravit, ut nihil in Galliæ, Italiæ, & aliarum regionum Provinciis pæne fuerit, quod non oculis inſpexiſſet ſuis, ſuaque manu tangere licuiſſet. De quo & ipſe gloriari ſolebat, a nemine ſui temporis Curioſorum hujusmodi ſectatorum, tam multa, tamque varia numismata conſpecta, manibusque trita, & delineata quoque fuiſſe, quam a ſe uno factum ſit. Multis igitur chartis & Iconiſmis, ipſisque nummorum exemplis onuſtus, Jaſonis inſtar in patriam redux, non aureum, ſed papyraceum, reportans vellus, operi emit-

tendo & publicando se totam accinxit. At Typographorum perspecta cognitaque, negligentia, inscitia, ac lucrandi non inserviendi cupidine, noluit sua, tot sudoribus erasse eorum committere curæ. Verum, ut sibi suisque lucubrationibus eo melius consultum esset, ipse intra privatos parietes insignem exstruxit officinam, eam quidem, quæ non paucis, imo plurimis, eo tempore aliis, typorum nitore, chartæ albore, ac densitate antecelleret. In qua porro non rudes literarumque expertes aluit viros operarios, sed doctos & Eruditos, qui Typothetarum munere fungerentur. Ipse vero Dux auctorque in omnibus, quæcunque imprimebantur, sedulo inspexit, & ubi per errorem quidquam falsi commissum esset, correxit, atque sic nitidissima dedit literato orbi opera, quamvis rara occurrant, cum nonnisi amicorum & Intimorum sibi libros excudere soleret. Signum, quod codices ab eo impressi in fronte gerebant, virginem exhibet, Cornu Copiæ manu gestantem, atque ex eo varia profun-

dentem

dentem numiſmata, additis ad latera atque caput illius verbis, ad nomen Golzii reſpicientibus, *Aurea ſecula Hubertas.* Atque in hoc officina non ſuos tantum, ſed non raro etiam aliorum probatos ſibi libellos excudit, quorum quicunque traditi eſſent, pari cura & animadverſione in emendandis accurate omnibus, rationem ipſe Corrector habuit. Eaque de cauſa in hunc recenſum referri jure optimo debuiſſe judicavimus. Nam ſi propter ea tantum, quoniam ſuos ipſe inſpexit, codices locus illi concedendus hic fuiſſet, omnes propemodum Eruditi hodie recenſendi fuiſſent, qui ob ignorantiam & ſtupiditatem Typographorum, ſua ut expurgent ſcripta habent neceſſe, & abſentes ut plurimum de nævis luçubrationum ſolemniter conqueruntur, ac proteſtantur. Sed ad Golzium ut revertamur, antequam obitum ejus exponamus, omittendum haud erit ob merita in rem literariam per egregia, non tantum a Civibus ſuis maximi habitum fuiſſe in ſummo pretio, verum

etiam apud exteros tantum authoritate valuiſſe & fama, ut Civitate Romana donatus fuerit. Quæ ſi ita ſint diuturniori vita dignum fuiſſe Belgii iſthoc lumen omnes fatebantur. Verum nec doctrina nec fama, neque quicquam aliud prohibere potuit, quo minus matura morte ad plures abiret, idque factum eſt ſummo literatorum luctu An. 1583. anno ætatis 56. Brugis Flandrorum, relictis ex duabus uxoribus, quatuor filiis & filiabus tribus, ex prioribus Henricus ille præclariſſimus vos ob cælandi artem eximiam conſecutus famam omni laude dignus merito cenſetur. Monumenta Eruditionis, quæ ſuperſunt illuſtria admodum & multa habentur. Eminent inter illa: Faſti Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum, ab urbe condita ad Auguſti obitum, ex antiquis tam numiſmatum, quam marmorum monumentis reſtituti fol. Brugis excuſi An. 1666. Deinde Græciæ univ. & minoris Aſiæ numiſmata Antvverpiæ fol. 1644. & cum notis Nonnii 1618. & 1672. fol. Itemque

Cajus

Cajus Julius Cæſar ſ. Cæſaris Vita & res geſtæ fol. Brugis 1577. & cum Nonnii Commentariis Antvverp. 1644. Similiter Vita Tiberii cum Commentariis Nonnii Antvv. 1644. & Brugis 1579. Animadverſiones aliquot in Faſtorum libros. Catalogus Conſulum ab Auguſti obitu usque ad Juſtinianum: De origine & ſtatu Populi Rom. deque Magiſtratuum Initiis & mutationibus. Itinerarium per Germaniam, Galliam & Italiam. At in his autem omnibus ſedulo attendendum eſſe judicant harum rerum gnari, ut nummi genuini a ſpuriis diſcernantur, utpote in quibus accurate dignoſcendis non ſemper felicem ac prudentem Golzium affirmant. Quanquam etiam iidem fateantur, numero abundaſſe labores Golzianos, ac tantam eum unum æri incidiſſe multitudinem, quantam per totam Italiam & Græciam, quæ cenſentur his cimeliis alias refertiſſimæ, vix invenire licebit. Non deſunt quidem, qui plagii eum accuſent, & quaſi *Martini Smetii* Inſcriptiones, tanquam a ſe

collectas ediderit, ſuſpicentur, unde verſiculi Hadriani Damman Gandenſis orti:

Sed neque Te Golzi decuit, quæ Smetius olim,
Priva reliquiſſet viduæ tua dicere: Cunctis,
Vendereque: Os hominis poſt liminione putaſſes,
Vindicias peterent manes & poſthuma proles.

Sed de his noſtrum non eſt arbitrari, quibus inter Correctores præcipuos locum dediſſe Golzio ſatis eſt oſtendiſſe vid. Adami in Vitis Philoſ. p. m. 309. & Teiſſierius in Elogiis T. I. p. 581. Pergimus ad literam H. ubi agmen ducit

Franciſcus Harduinus.

ANte omnia diſtinguendus eſt noſtera *Philippo Harduino* Medico, & Dionyſio, it. *Johanne Harduino*, S. J. Presbytero hodienum florente; viris toto orbe celebratiſſimus. Nam omnibus iſtis Franciſcus vetuſtior, famam nominis ſui Seculo XVI. adeptus eſt, ſub

ſub cujus finem inclareſcere cœperat. Natus eſt Gandavi, Patre *Juſto Harduino*, qui frater Dionyſii erat, genitus, ob ingenii fœcunditatem ad ludos Poëticos natura deſtinatus videbatur. Ad eos certe concinnandos ita a juventute promtus erat, ut varium & elegans omni fere numero poëma ſine difficultate funderet, cui nec dulcedo fluida, nec venuſtas lepida deeſſet. Eaque adeo in arte omnes fere ſua tempeſtate anteire Eruditos, & carminum pangendorum gnarus credebatur. Nec minor reliquis bonarum literarum ſcientiis ingenuis fuit Eruditionis apparatus, quem ſibi comparaverat potiſſimum, cum juvenis adhuc terras Gallicas & vicinas alias peragraſſet, in quo itinere præcipue Amicitia & Doctrina *Adr. Turnebi* Profeſſoris Pariſienſium celeberrimi, & Typographi Regii, noſtro uſu venit: Eadem etiam occaſione familiaritatem iniit literatam cum *Johanne Aurato Gallandio* aliisque doctiſſimis viris, quibus ob perſpectam *Harduini* integritatem & ingenii capacitatem, diſcendique amo-

amorem, chariſſimus, quamdiu in iſtis vivebat locis, ſemper fuit. Reverſus in Belgium *Plantino* primum operam ſuam addixit, eidemque in negotiis Typographicis conſtanter auxilio fuit, colluctatus dies noctesque cum mendis, quas in codicibus reperiebat, exterminandasque curabat. Atque ob hos etiam aliosque labores, omni laude, dum viveret, mactabatur ab Eruditis paſſim, nec minori hodieque dignus eſt. Namque ipſi aliisque ejus collegis ornamenta Plantinianorum librorum inprimis debemus, & quotiescunque ſignum Plantinianæ Typographiæ conſpiciendum ſe nobis exhibebit: toties Franciſci Harduini diligentiæ meminiſſe juvabit. Obiit tandem, An. 1609. d. 21. Octobris. Edidit præterea ſuo Maorte, dum adhuc in vivis eſſet Odas, & Elegias varias, quæ raro admodum comparent. Convertit etiam in Vernaculam ſuam Belgicam nempe linguam, Anacreontem Tejum, vatem illum mellitiſſimum. Tumulum denique *Juſtus Rycquies* civis ejusdem Inſcriptione Epitaphio Dialogi in modum ſequenti ornavit:

Har-

Harduinus. *In caſſum quid me Vates plo-*
ratis ademtum,
Omnibus una Erebi nox adeunda manet.
Rycquius. *Omnibus illa mānet, ſed Te*
quid vinceret arte,
Muſæa ad Stygias nullus adivit aquas.
H. *Scilicet hæc Lex eſt, fatorum ut pri-*
ma fatiſcant
Optima: Nihil ſtabili hic conditione
manet
R. *Hinc Tibi nos tumulum, & tuvnulo pia*
vota quotannis
Fundet ad extinctos Julia Ganda
rogos
H. *Nemp me fletu decoret, nec inania*
faxit
Marmora Muſæo nomine, clarus ero.
R. *Clarus eris, cœlo dum ſidus currit*
utrumque.
Dum tua qui recinat carmina, Phœbus
erit.
H. *Sic eat, & cum Te vitalis deſeret*
ætas
Manibus obtingant omnia fauſta Tuis.

Vid. Reimmannus P. III. p. 242. & Svvertius in Athenis Belgicis p. 245.

Mar-

Marcus Heiland.

VAhinga arx oppidumque est Ducatus Würtenbergici, in quo Marcus noster hanc lucem vidit. Patre *Johanne*, honesto quidem viro, sed tamen in re lauta & bene aucta non constituto, genitus. Quo factum, ut, quamlibet literis addiscendis ob ingenii felicitatem videretur aptissimus, ex ludo patrio pro tractus, & invitus quodammodo, jussis parentum obtemperaturus *Pforzhemium* abierit pannorum de tondendorum opificio operam navaturus. At præterlapsis annis, qui huic artificio discendo constituti sunt, & vix, quod ajunt, famulitiis tyrociniis depositis, & ipse cœpta isthæc fastidire, & ad studia revertere cogitavit. Hoc animo petiit *Basileam*, initio quidem non penitus ab opere pannitonsorio recessurus, verum crescente indies amore in liberales artes, internoque quasi raptu accedente, tandem omnino valedixit tonsuræ suæ, & ad Musarum transiit castra; inprimis autem sacratioris literaturæ

turæ ſtudiis indefeſſa incumbere cœpit diligentia. Non parum ad ea gnaviter continuanda, amicitia, quam colebat cum multis Eruditis viris illic locorum degentibus faciebat, tam etiam omnium propemodum Doctorum ſcripta, nominatim *Eraſmi*, *Lutheri*, *Philippi* & ſimilia, quæ Baſileam quaſi certatim convolabant, ut ope Typographorum Baſileenſium per orbem celeberrimorum luci exponerentur publicæ. Quæ ut attentiſſime & ſine ſumtibus poſſet luſtrare, a *Frobenio* petiit, ut iisdem emendandis præficeretur. Eoque facili negotio impetrato, atque ſalarium inſuper obtinens annuum, omni ſtudio & ardore munus demandatum peregit, atque ita Eruditionis ſuæ incrementis æque ac ſuſtentationi neceſſariæ, denique quæ fuit Viri incredibilis ſolertia Bibliothecæ comparandæ conſuluit. Summa quippe adhibita cura codices omnes legebat, relegebatque, pretioque laboris accepto in victum amictumque impenſo, ſimul omnes, qui apud Frobenium excudebantur, libros

libros gratis in perpetuam obtinebat poſſeſſionem. Poſthæc cognitis viri optimi dotibus, itemque diligentia ac doctrina non vulgari apud Senatum Baſileenſem tantam gratiam iniit, ut officio prædicandi verbum divinum publico præficeretur. Quo munere auctus, An. 1552. nuptias celebravit, & ex eo conjugio *Samuelem* filium clariſſimum procreavit. Interea quocunque otio dato Frobenii plagulas nihilominus manibus ſuis tritas expolivit, & erroribus liberavit. Sed cum natale ſolum, neſcio qua dulcedine & ipſum traheret, ſuccedente tempore liberato Ducatu Würtembergico a Papicolarum ſuperſtitionibus ad patrios lares reverſus eſt, non quis quantusve factus fuerit ex lanifice oſtenſurus, ſed laudatiſſimi Principis Ulrici, qui armata manu avitas terras recuperaverat, voluntati obſecundaturus. Honeſtiſſimi igitur a Baſileenſibus non ſine inſignibus laudum Encomiis dimiſſus, Gamartingæ conſedit, ibidemque per biennium puriorioris doctrinæ fontes auditoribus ſuis aperuit.

aperuit. Calvam deinde traductus in Hercynia ſilva ſitam ſuperatis feliciter impedimentis compluribus, a Pontificiis illic objectis, annos undecim largam Dei meſſem fecit. Exinde & meritis aliis per multis inclaruit; Seminarium enim Eruditorum erigere cœpit, & colloquiis variis in cauſa Religionis habitis, ut Wormatienſi, Hagenænſi, & Ratisbonenſi præſens noſter, ſuasque partes ſtrenue tutatus eſt: Donec triſtiſſima ex libello iſto famoſo, quod *Interim* appellant, vulgato, & recepta illius paſſim authoritate, tempora inciderent. His fatis ingruentibus officio ceſſit, & *Argentoratum* ultro profectus eſt. Acceptus illic gratusque hoſpes munere nullo poſt oblato in oppugnanda iſta hypocriſi Adiaphoriſtica perſtitit, repetitis in aliquot tempus laboribus correctoriis. At malo iſthoc, ut credebat, latius ſerpente, & Argentinenſium quoque animos occupante, de *Calva* ſua repetenda tandem conſilia iniit. Morbo autem gravi correptus, antequam id perficere poſſet, retentus ejus

vi placide ad nutum Patris cœleſtis ex hac vita in meliorem commigravit An. 1549. vid. Adami in vita Samuelis Heilandi p. 373. De reliquo non inter Correctores tantum Eruditos, ſed & opifices doctrina claros referendus, quales omni ætate haud paucos fuiſſe notum eſt, & vel ſolo *Benedicti Balduini* Ambianenſis, authoris tractatus erud. *de Calceo antiquorum: Johannis Baptiſtæ Galli* Florentini & ſi placet *Jac. Böhmii* quoque Görlicenſis, ſutorum exemplo conſtat, ne quid de *Wolfg. Muſculo* & *D. Le Feure*, Textoribus, itemque *Nicolao Bourbonio* Fabro primum Ferrario, *Petro Aretino* Bibliopego atque ſimilibus dicamus: Neque enim ad noſtrum inſtitutum ea pertinent. Pedem igitur promovemus ad Eruditos, qui ſuperſunt, Correctores, a literarum ſubſidiis hiſce claritudine nominis inſignes. Excipit autem Heilandum ordine literarum

Baſilius Johannes Herold.

PAtriam huic non obſcura olim Suevorum urbs, prælioque nuper ad

eam commiſſo clariſſima, *Hochſtadium* dedit: Hic enim A. 1511. auram vitalem primum hauſit, ſpectatis virtute & Pietate parentibus. Cum ex Ephebis exceſſiſſet, & in puero ſe proderet ingenium ad literas oppido idoneum, omnibus artium elementis, cum ad varia natum ingenii volubilitas proderet, in ludo Patrio eruditus eſt. Poſtea vero adultiori ætate in alia loca miſſus & tandem An. 1539. *Baſileam* traductus eſt. Hic dum alacriter in ſtudio Theologico progreſſiones faceret, Hiſtoriarum monumenta ſimul revolvere cœpit. Eodem tempore, ubi otium aliquod daretur, codices ex Typographiis Baſileenſibus prodeuntes diu a mendis liberavit, atque ſic victum amictumque lautiorem, pretium certum ſibi a Typographis pactus, comparavit. Neque multo poſt inter hos labores, (quos tamen in quibus officinis potiſſimum exercuerit nondum inveſtigare potuimus, niſi quod augurando quaſi in mentem venit; *Nicolaum Brylingerum & Henricum Petri*, fuiſſe, ex quorum

officinis aliquot ſcripta ejus lucem videre & qui hujusmodi viros non raro alere ſolebant) cum ſolitudinem ſuis rebus minime commodam eſſe cerneret, uxoris ducendæ conſilium iniit; quo facto *Pfeffingenſi* pago, qui imperio Baſileenſium paret, publica vocatus eſt authoritate ad conciones habendas ſacras, purioremque Evangelii doctrinam colonis prædicandam. Verum mandato huic muneri vacare diu non potuit, ſed a Typographiis Baſileam incolentibus & operam ejus enixe petentibus, retractus, petitis eorum cedens An. 1546. in urbem remigravit. Exinde permultos illic annos moratus, & ipſe varia ſcripſit ediditque, Hiſtorica præcipue, omnium tamen maxime aliorum libros imprimendos emendavit, atque ita vitam laborum, quorum patientiſſimus erat, pleniſſimam longiſſime protraxit: atque cum non parum de Republ. literaria meritus in numerum Baſileenſium civium receptus eſſet, ad vitæ usque finem in emendando, ſcribendo, & ſubinde docendo etiam perſtare

ſtare ſecum conſtituit, tandem etiam exſpiravit, poſtquam An. 1566. ſcriptis adhuc corrigendis intentus fuerat. Sunt vero ea quæ ipſe edidit: De Romanorum in Rhætia littorali ſtationibus, & hinc ortorum ibidem vicorum atque municipiorum hodie ſuperſtitum originibus, quod opuſculum etiam extat in Simonis Schardii Germania illuſtrata Tom. I. Baſil. per Henr. Petri M D XXIV. De rebus plurium gentium LL. VI. in quibus continuationem *Guilh. Tyri* Archi-Epiſcopi LL. XXIII. quos de Chriſtianorum Occidentalium adverſus Saracenos expeditione compoſuit, videtur ſibi propoſuiſſe, quique prodiere Baſileæ per Nicol. Brylingerum fol. 1560. Debemus quoque eidem Chronologiam Pannoniæ, quæ incipit ab anno poſt diluvium 155. (Mundi 1812.) deſinit An. 1568. fol. Baſil. prodiit cum *Bonfinii rebus Hungaricis*, & Francofurti ad Mœnum per Andr. Wechelium 1581. fol. De rebus Hungarorum contra Turcas auſpiciis Ferdinand. I. An. 1556. in Interamnenſi Pannonia geſtis ad modum

dum Dialogi propoſitis, editis etiam poſtea Hannoviæ 1613. 8. Lucubratio extat in S. Schardii Germ. illuſtr. Tom. II. An. 1574. & Gieſæ 1673. fol. & inter Hungaricarum rerum ſcriptores M D C. fol. ſcripſit etiam Heroldus noſter orationem in obitum laudatiſſimi Imperatoris Francofurti 1564. 4. excuſam; nec non Maximiliano II. recens inaugurato, prolixum dicavit Panegyricum: Collegit etiam Leges antiquorum Germanorum Baſil. 1557. fol. Videatur Martinus Hanckius L. II. de Romanarum rerum Scriptoribus Lipſ. 4. 1675. p. 142.

Hieronymus Hornſchuch.

MEdicus, editus in hanc auram An. 1573. *Henfſtadii* (qui pagus eſt in Comitatu Hennebergico) Patre Pædagogo ejus loci *Valentino Hornſchuch*. Juvenis beneficio ſplendido in Illuſtri Schleuſingenſi per octo integros annos uſus eſt. Cum moderator Gymnaſio præeſſet, M. Wolfgangus Müllerus. Ex ea Schola poſtquam ad altiora ſtudia capax

capax esse videbatur, *Jenam* quidem, sed nil nisi summam penuriam secum afferens, ut a multis fit, contendit, atque illic aliquandiu cõmoratus Lipsiam tandem pervenit, id quod in libello suo, quem edidit ὀρθολυπογεαφίας titulum gerente paucis ipsemet indicavit in præfatione siquidem ad virum amplissimum *Andream Chefferum* Juris Doctorem hunc in modum scribit: *Annus jam Vir amplissime duodecimus agitur, quo, Jena Lipsiam ut commigrarem duæ me res compulere: Spes nimirum sublevandæ, qua extrema premebar, inopiæ, & amor, quo ab ineunte ætate erga studium flagravi Medicum, summus. Nam cum Jenæ tantis fortunæ novercantis fluctibus navicula agitaretur mea, ut in Syrtes adacta subsideret, ηδη ἤδη ἰεαμὴ υπ' ἀναλκίδι λίμνα! vox quædam Amici Lipsiæ tum Musarum in castris militante, de improviso blanda oborta aura, ad me fertur, monens, ut qua data occasione inde solverem, & ad se, ubi in portu navigare liceret, tenderem. Eam ergo vocem DEI ratus, πλοιάριον meum nonnihil exonero, post remis velisque*

Lipſiam tendo. Huc ubi ventum, non multo poſt offertur conditio duplex, altera qua præeſſem libris in Typographiis corrigendis, altera qua liberis honeſta diſciplina inſtituendis. Accipio utramque ſed hanc propter nimiam parentum in natos indulgentiam offendo miſerrimam. Igitur ea valere juſſa, illam retineo, non tamen citra magnam difficultatem. Nam ultra biennium quo eſſet, unde libros compararem, vile quod e piſtrino illo redundabat pretium, unciatim ferme comparo, adeo interim genium defraudans meum, ut tandem ſimilis fierem ex Pylo captivis: Decreveram enim, quidvis pati, modo aliquam ſaltem in divinæ Medicinæ cognitionem penetrare poſſem. Aderat tunc temporis Juvenis quidam doctiſſimus reique herbariæ peritiſſimus, Joh. Ludov. Fürerus *Northhuſanus, qui σύσσιτος meus factus, eadem guſtaret amara (unde etiam arctiſſimo & hactenus in diſſolubili amicitiæ vinculo inter nos coivimus.) Hic* Fürerus *meus primus in Clariſſimorum* Jungermannorum *familiaritatem me inſinuat, & ſic e quodam quaſi famis antro*

in lu-

in lucem protrahit. Illi vicem meam dolentes, ad Matrem ſuam, magni illi Camerarii filiam τὴν τῶν ἐν ἁγίοις *deferunt, cujus placito in miniſtri illius locum ſufficior. Hic ſi memorem quot quantisve me affectum iverint beneficiis, finis daretur nullus: Tantum hoc dico, me plus favoris, gratiæ, auxilii ibi inveniſſe, quam alibi; dixerim pæne etiam domi. Nam Patrona illa pientiſſima prout* εὐσπλαγχνος, *erat, & in pauperes prodiga; ita ſuam in me quoque benignitatem non claudebat, ſed neceſſaria plurima liberali ſuggerebat manu, matris inſtar mitiſſimæ; ſicut etiam maternum erga me affectum ſuum brevi ante beatam* ἀνάλυσιν *palam profitebatur: Filii vero ipſius, heu! quæ non humanitatis mihi præſtitere officia, quam me non in Germani fratris dilexere loco! inprimis vero* Ludovicus *Medicinæ & Botanices ſtudioſiſſimus, & chariſſimus* Gothofredus, *illud Muſarum* Φίλον κάρα, *ex ſua librorum copia, meam identidem ſupplevere inopiam, pro quibus divinis beneficiis, ni memorem contra & gratam mentem circumferam:*

Tunc mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.

Ceterum licet in modo dicta Provincia conſtitutus λὰς διαλεοφὰς abunde haberem: tamen, ut λὰ σκιπάσμαλα etiam ſuppeterent, in hunc usque diem e Typographiis me vindicare non potui, ſed continenter ibi, gravi cum ſtudiorum meorum remora hærere fui coactus: Quam interea miſeriam cum aceto vidi, eo præſens hoc opuſculum extorſit. Nam cum quotidie magis fere cum Manuſcriptis mendoſis, & monſtroſis, quam Typographorum erratis mihi eſſet depugnandum (quemadmodum nuper in quodam volumine ipſiusmet autoris Manuſcripto, vix duo millia erratorum obſervare licuit) cœpi equidem ſæpius cogitare, quo pacto ei malo poſſet fieri modus; ac poſtquam ſemel aliquando Dn. Michaeli Lanzenbergero, viro Typographo, pio, probo, diligenti, nec non aliis quibusdam hominibus eruditis, ac bonis, hanc mentem

tem meam aperuiſſem, autores mihi illico fuere, talem aliquam rationem ineundi, qua publice de rebus Typographicis imperiti edocerentur, quandoquidem ex mera harum ignoratione iſtud pervenire conſtaret, &c.

Nolo totam præfationem, & non admodum verboſum libellum hic repetere, quamvis totus fere dignus ſit, qui in omnium manibus eſſet, quotquot correctionibus præſunt, quippe quos, quomodo officio ſatisfacere debeant, egregie inſtruit. Impreſſus & aliquot ſaltem plagulis conſtans Lipſ. apud *Mich. Lanzenbergerum* 8. 1608. titulum gerit: *Ὀρθολυπογραφίας ſive Inſtructionis* & admonitionis ad ſcripta ſua in lucem edituros, & operas Typographicas correcturos. Quod ſupereſt, eodem author anno, quo libellum hunc evulgaverat, *Lipſia Baſileam* migravit, ibidemque compendium ſumtuum facturus lauream capeſſivit Doctoralem. Mox tamen *Lipſiam* ſuam repetiit, & matrimonium iniit cum *Caſparis Jungermanni* filia, cui *Magda-*

lenæ

lena nomen erat, ſed neque conjugio eo diu admodum uſus eſt: Etenim Febre ardente occidit, nullaque prole relicta diem obiit Lipſiæ d. 22. Maji 1616. ætatis 43. vid. Freheri Theatr. p. 1335. Martinus Zeillerus in Epp. ed. 4. Marpurgi 1656. p. 696. Cent. III. Ep. 37. Sed ut novi Correctoris doctrina politiori ornati conſervetur memoria; En Hornſchuchii quoque Encomiaſtis, quod ſubtexere placet:

Ad Dominum Hieron. Hornſchuchium de ſelici operum & Scriptorum excudendorum Correctura, & aliis ad impreſſionem eorum ſpectantibus, differentem.

Correctura Tibi, narrato Typographe, quantum
Proſit, dic, quantum Bibliopola Tibi.
Hac etenim ſiquis non caſtigatus oberrat,
Forte liber, vario ſphalmate ubique ſcatens.
Illum nonne tuo piget impreſſiſſe labore?
Vel Tu quis vendis, non pudet eſſe Tuum?

Eſt

Eſt ita: Quin igitur typica nunc arte docentem,
Hic correcturam percipe! nullus abeſt.
Non levis eſt cura hæc, levis haud labor.
Hic quoque verum
Quod, ceu Corrector, Naſo Poëta canit.
Sæpe aliquod verbum cupiens mutare relinquo,
Judicium vires deſtituuntque meum.
Sæpe piget (quid enim dubitem Tibi vera fateri!)
Corrigere & longi ferre laboris onus.
Scribentem juvat ipſe favor, minuitque laborem,
Cum ſuo creſcens pectore ſervet opus.
Corrigere at res eſt, tanto magis ardua, quanto
Magnus Ariſtarcho, major Homerus erat.
Ergo facis temet dignum, Corrector amande,
Quique Machaonia es clarus in arte ſatis:
Quod Tu conſignas, emendaturus hiulcum,
Quid faciat ſcriptum, quam teneatque viam.

Sis

Sic, ſic proſtantes potuerunt excudere libros,
Multorum multi dexteriore modo.
Sic, ſic Hornſchuchi preſſis Tibi gratis libris,
Plurima conſtabit. Vive valeque diu.

Sigismundus Sellius,
Meinungenſis Typographiæ Beyerianæ a Correctura.

Chriſtianus Hohburgius.

VIr ſtudioſiſſimus Pietatis vitæ, verum, ut fieri ſolet haud raro, voluntatis emendationem recte urgent, ut de connatis Intellectus tenebris expurgandis parum ſint ſoliciti, atque inde in Fanaticorum Indicibus clarius nomen eſt conſecutus. De quo cum meum non ſit in præſenti negotio judicare, ſatius erit vitam fataque heic paucis indicare. Natus eſt Lüneburgi An. 1607. Patre *Georgio* Pannifice, matre *Anna*. Cum puer admodum, parens alter ad cœleſtem evocaretur patriam, a matre honeſte, & ad omnem educa-

tus

tus eſt pietatem. Præceptore uſus M. *Lockio*, ſub eujus doctrina quidem optime, ſed annis jam auctis haud æque feliciter ſtatura corporis excrevit. Adultior factus *Regiomontum* diſceſſit, mox tamen *Lauenburgum* reverſus Cantoris officium illic oblatum ſuſcepit; Quo dum fungeretur officio non deſtitit indies ſacratioris doctrinæ incrementa capere. Ediderat paullo ante Beatiſſimus *Arndius* libellum auro chariorem: *De vero Chriſtianiſmi ſtatu*; Hunc igitur unice fere dilexerat, nec male, ſi intra limites vir bonus perſtitiſſet. At enim vero cum poſtmodum ſuaſu quorundam *Schvvenckfeldii*, Nobilis iſtius Sileſiorum Fanatici, ſcripta perluſtrare cœpiſſet, & illud præcipue quod *Cæleſtis Medicinæ* titulum præ ſe fert, eo prolapſum eſſe permulti putant, ut veram, quam ſectabatur, Pietatem, erroribus variis conſpurcaverit, ac voluntate, utcunq; emendata mentem haud mediocriter depravaverit ſuam. Neque tamen ſtatim, quid ſentiret, patefactum, niſi poſtquam ad Conrecto-

ratus,

ratus, ut vocant, munia obeunda *Ulzenam* pervenit. Nam per ſingulas hebdomadas ſermonem ſacrum publice recitare e ſuggeſtu, inter alia, ſibi demandatum habebat. Hac igitur occaſione arrepta, dum ad veram praxin Chriſtianam ſuos perducere nitebatur, in quibusdam etiam fidei Capitibus a norma Eccleſiæ diſcedere, ac ceremonias potiſſimum noſtræ Eccleſiæ receptas reprehendere, & ut abrogarentur omnes nervos intendere cœpit; adhæc precationis formula, quæ cauſis belli Germanici eſt ſubtexta, ita pertinaciter adhæſit, ut ſæpe iterumque commonefactus omnium conatus fruſtraret. In Jus ergo vocatus, ut rationes dictorum factorumque redderet ac impoſterum deſiſteret, graviter admonitus, omnia recuſavit: Ab officio igitur remotus, pritnam ſubiit Cataſtrophen. *Hamburgum* poſt hæc profectus, docendo ibidem vitam aliquandiu auxit, ac tandem reverſus *Lüneburgum* in *Typographia Sterniorum officina* celebri ſatis corrigendo errata ſibi ſuisq; conſul-

conſultum ivit. Interea dum ex eorum prælis ſuos etiam emitteret libellos, *Sternii*, ut ſibi famæque caverent moniti, *Hohburgi* laboribus & libris nuncium miſerunt, poſtquam aliquot annis ſervitiis ejus uſi fuerant. Proſcriptus igitur, Correctorio hoc munere relicto, Spartam adivit aliam, vocatus ſiquidem in Pagum *Bornenſem* ab Illuſtriſſimo Principe Guelferbutano; ut ſacris ibidem omni pietatis ſtudio præeſſet celebrandis. At cum denuo illic puritas rerum novarum in rebus fidei in eo deſideraretur, iterum exauctoratus poſt multos rerum & fortunæ anfractus Nobilis cujusdam ſacra in Belgio adminiſtravit. Sed variis etiam hoc loco cumulatis negotiis, non multo poſt eodem Patrono ob ſcelera & impietatem excluſo a communione Sacrorum, ipſe ab hoc officio diſceſſit *Lathunum*. Neque vero hic ſatis tutus ob librum editum, **der unbekandte Chriſtus**/ inſcriptum, hinc *Amſtelodamum* & *Mediobirgum* conceſſit. *Hamburgum* denique altera vice repetens,

eo tandem prolapsus est, ut *Mennonistis Altenaviæ* V. D. prædicare, certis conditionibus, non dubitaret: ac tandem d. 24. Octobris An. 1675. ex vivis sublatus, & Exiliorum finem, ut sperare nos Amor jubet, quietem consecutus est. Cetera Theologorum relinquimus disceptationibus, in quorum Scholis notissimus sub *Eliæ Prætorii* nomine semper fuit, eritque quamdiu Scripta ejus manibus Doctorum terentur. Primum ex his est, quod Ulzeni luci exposuit, Hertz-Wecker / & Praxis Pietatis in Psalmos 25. 27. 51. 71. in quo opere tamen precatiunculas quasdam nunquam a se factas agnovisse, ut ab aliis interpolatas, filius testatur. Hamburgi evulgavit, Praxin Arndtianam; Medullam Tauleri; Teutsch Evangelisch ärgerlich Christenthum / sub nomine Bernh. Baumanni, Pastoris Berovvensis in Prussia, 1645. 8. It. Spiegel der Mißbräuche bey dem Predigt-Amt; Ex Sterniorum Typographia prodire fecit, Hetmtscher Prüfung Vortrab; Authore Johan. Seuberlich, contra

Guilh.

Guilh. Chriſtoph. Heimii, Eccleſiæ Belgicæ apud Hannovienſes Paſtoris, librum de vinculo gratiæ, pro externo interno-que cultu conjungendis, ſcriptum: Libellum vom Teutſchen Krieg; Evangeliſches Jüdenthum; Praxin Davidicam in Pſalmos 86. 73. 63. v. 32. Fürſtlichen Juden-Spiegel; Lathumi edidit Poſtillam Myſtico-Epiſtolicam; Hertzens-Theologie; Meditationes in Canticum, Nun kommt der Heyden Heyland / aſſumto Schemate Chriſtiani de Montaldo; It. HErr Chriſt der einig GOttes Sohn; Von der Wiedergeburt; Von dem unbekandten Chriſto. Hamburgi ultimum emiſit opuſculum, cui titulus, Vatterlands-Præſervativ. Plura de Chr. Hohburgio deſideranti ſatisfaciet exactiſſime Phil. Hohburgius filius, qui Hamburgi 1676. pleniorem Patris ſui Hiſtoriam reliquit, excuſam etiam 8. quarta vice, 1698. Ex qua relatione celebris Arnoldus, nuper demum defunctus, ſua hauſit, ac in P. III. Der Hiſtorie der Wiedergebornen / p. 6. pro ſolito partium ſtudio,

recenſuit, ex quibus fontibus, & ex editione in 8. excuſa, nunc memorata, hoc qualecunque Compendium mè confeciſſe lubens meritoque fateor.

R. Jacob Ben-Chajim.

JUdæus eſt, quem nominamus, atque adeo ex ea gente ortus, quæ vix alios, niſi eruditos in Literatura Hebraica, librorum Correctores admittit. Unde fit, ut in plurimis excuſorum Voluminum Titulis juxta cum Typographo etiam Correctoris nomen ſæpe cum ampullis expreſſum legatur. Tantum ſcilicet abeſt, ut eos laboris impenſi pudeat, ut glóriam quoque ex eo ſibi venari non vereantur, & quod magis eo facilius per hæc merita, qualia correctiones librorum eſſe credunt, ſalutem æternam ſe conſecuturos credunt. Unde in Mincha p. 30. dicunt. Quicunque l. unicam literam in volumine, cui lex inſcripta eſt, correxit, ille apud Deum idem cum eo feciſſe putatur, qui totam legem deſcripſit: Latiſſimus ergo in hoſce alienigenas excur-

rendi

endi campus aperiretur. Sed de noro Jacobo ſolum quædam differere onſtitutum eſt. Erat ille Filius *Chajim* ilii *Iſaac*, Filii *Adoniæ*, ex Africa oriunus, Tunetanus patria, qui claruit An. 524. ſeqq. Cauſam, cur e patriis exulſus fuerit laribus, diſtinctam equiem ignoramus; a Barbaris tamen eo dductum fuiſſe, ut fugeret, & in Euopam transfretaret, credimus, utcunue ſit, poſteaquam, ipſius Jacobi teimonio conſtat, exul Italiam longe laque pervagatus erat, atque interea omæ & Florentiis aliquandiu vixeat, Venetias tandem delatus, per plaas huc illucque oberravit, victum mictumque, ſi qua poſſet, negotiando, t ſolent Judæi, comparaturus. Forte utem fortuna obviam factus *Danieli ombergio* Antwerpienſi celebri Typorapho, &, qui, cum a *Felice Pratenſi*) Bibliorum hactenus excuſorum Cor-

S 3 rectore,

(a) Felix hic Pratenſis gente pariter Judæus erat, i tamen velo a facie ſua projecto, felicem in Caſtra riſtianorum ſacra fecerat tranſitum. Unde eo luntius a Daniele Bombergio in domum receptus, & Labo-

rectore, & directore Hebraica ipſe didicerat, ad ſtudia Hebraica promovenda natus, multisque nominibus hodieque celebrandus, initia melioris ſcitis non opinatus reperit. Ille enim blande admodum Jacobum allocutus, quid rerum ageret, inquiſivit, & cum literas ſacras ipſe admodum diligeret, & ille easdem ſe tractaſſe profiteretur, in officinam ſuam eum non renuentem abduxit, qui facili negotio, cognita Typographi Eruditione, æque ac Liberalitate, ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut Biblia

Laboribus Hebraicis præpoſitus eſt, quorum ſuſcipiendorum promovendorumque ſolus fere extiterat autor ſuaſorque. Adhibebat vero fidem, quæ tantum virum decebat, in variis libris excudendis reſtituendo corrigendoque eosdem. Idque facili opera ex Bibliis Rabbinicis Anno 1517. menſe Novembri fol. Venetiis exeuſis cognoſci poterit: Eam enim editionem ad Codicum Manuſcriptorum variorum fidem excuſam, & variantibus lectionibus in margine notatis, ornatam ſolus fere procuravit. Quoniam vero non emendata ex mente Maſorethatum, verum vaniſſima iſthæc Judæorum traditio penitus fuerat ſepoſita, unde parum gratiæ apud varios Judæos, & præcipue ap. R. Eliam Levitam promeruit. Sed eo majori in pretio habetur a non paucis noſtratium, in primis a B. Luthero aliisque, quibus ob varia loca reſtituta admodum ſemper placuit. Conf. D. Joh. Georg. Abichtii Prof. Lipſ. celeberrimi diſp. de reſtituendis duobus verſibus Joſ. XXI. A. 1714. habita.

Biblia denuo ſplendidius imprimenda, ſuſciperet. Quo facto typis collectis, & reliquis ad conſilium perficiendum neceſſariis, inprimis vero Schedulis & Manuſcriptis, quæ Maſoretharum annotationes Criticas continerent, conquiſitis, operam ſuam *Bombergio* lætabundus Judæus noſter promiſit atque locavit. Atque ſic inito fœdere elegantiſſimum illud opus Bibliorum, quod etiam *Jacobus* noſter *B. Chajim*, a mendis incredibili ſtudio expurgavit typotheticis, prodiit, fol. cum Commentariis Rabbinorum, Paraphraſi, & triplici Maſora, improbo labore, uti congeſta, ita quoque diſpoſita, IV. Voluminibus Anno 1526. quæ prima vocari ſolet, (a Judæis nempe procurata) editio, ad quam poſteriores omnes ſunt adornatæ. In quibus tamen alii poſtea Correctores, atque Gubernatores Judæi, nominatim *Cornelius Adelkind* Levita, in illa, quæ lucem vidit, Anno 1549. elaborarunt. Nam eo usque R. Jacob Ben-Chajim fuiſſe ſuperſtitem non eſt credibile. Laudante quidem Philologi

R. Jacobi diligentiam, ſed nimium Maſorethici laboris, & ſuperſtitioſum ſtudium non pauci etiam, ſecus ac vulgo fit, reprehendunt. Quo factum, ut contra ipſius contextus tenorem, & clariſſimam numerorum lucem, Joſ. XXI. capite, verſiculi 36. & 37. cæca veneratione omiſſi, & ab omnibus, qui eadem confidentia Bombergianum codicem ſecuti ſunt, etiam Chriſtianis, ipſoque *Leusdenio*, injuria ejecti ſint. Ex quo uno ſpecimine, cum noſtrum non ſit copioſe diſſerere, quid de improbo labore habendum videatur, perſpici poteſt, & pluribus ante aliquot annos in *diſſertatione Academica Altdorfina*, cui *Maris Maſorethici infidi* Titulus eſt, oſtenſum fuit. Quæ de ædibus Bombergianis, & locis, ubi convenerit Senatus Rabbinicus, ex variis orbis locis convocatus, præſidente Jacobo Chajim *Iſ. Voſſius* adverſus *Simonium* narravit, ex Judæorum relationibus, derivata ſunt, ſed a *Rich. Simonio* riſu potius, quam refutatione, exceptis, leguntur in iterata illius ad objectiones Simonii Reſponſione,

ſione, An. 1676. ed. 4. Lat. Crit. Veteris Teſtam. Simon. ubi & teſtimonium o Scaligerianis, de Correctoribus Judæis in plurali excerptum exhibetur. Nobis primas fuiſſe in eo celeberrimo opere procurando, & emaculando, Jacobi partes, ſatis eſt oſtendiſſe, cui & præter Maſorethicas Minutias, variæ Lectiones aliæ debentur, ſtudioſius notatæ, & Præfatio doctiſſima, atque ingenioſiſſima, cum Introductione ad Accentuationem, Maſoræ maximæ adjecta, & quæ ſunt alia minutiora, quæ & *Buxtorfius in Baſileenſibus Bibliis Rabbinicis* repetiit, & quæ, niſi fallor, ita vero ex calce libri vaſti colligo, ipſe etiam *Buxtorfius* ſua manu correxit. Quod reliquum eſt, non dubitamus, eundem R. Jacobum Bombergio quoque in editione rariſſima Talmudis Babylonici operam aliquamdiu ſaltem addixiſſe; quoniam eo officinam adjuvante, non paucæ, operis iſtius ſplendidi, partes in lucem prodierunt. Idemque de Talmude Hieroſolymitano, ex Bombergii officina uno volumine ed. auderemus affirmare, ſi

modo annus impreſſionis titulo præſcriptus compareret. Sed quia non penitus comperta ea nobis ſunt, brevibus hæc annotaſſe ſufficiet. Antequam hinc diſcedam, non videtur inutile, ſi paucis adhuc commemoremus, in editione Baſileenſi Talmudis in æde *Frobenii*, An. 1579. Judæum quoque Correctorem egiſſe non indoctum, cui *Joh. Buxtorfius* Prof. L. Sacræ Baſileenſis clariſſimus hodiernus, in *Catalectis*, nomen *Iſraëlis Sifroni de Gazolo* tribuit, atque permultas a Buxtorfio Patre editas Epiſtolas, in Inſtitutionibus Epiſtolicis, ex Volumine Epiſtolarum, quas varii ad eum ſcripſerunt Judæi ex Italia & Germania Rabbini, cum vacaret correctioni, teſtatur deſumtus. Vid. ejus Catalecta n. 224. p. 275. Poſſem huic adjicere R. *Judam de Mutina*, ſive ut vulgo vocant, *Leonem Mutenenſem*, Synagogæ Venetæ Rectorem, qui præfuit Bibliis Rabb. juxta priores edd. Bombergii excuſis, cum Tar- & Maſora magna & parva, & Commentariis Rabbinorum, 4. & Fol. Venetiis, An. 1617.

& qui

& qui vita hac exceſſit, Anno 1654. relictis Manuſcriptis Bibliis Hebraicis Anno Mundi 5065. cum variis Lectionibus Ben-Aſcher & Ben-Napthali, qui codex in Johannis Seldeni manus pervenerat, unde ex liberali viri donatione Bibliothecæ Bodlejanæ conceſſus fuit. Sed hæc cum obiter ſaltim indigitavi, ideo nulla mentione facta de Clariſſimo *Manaſſe Ben-Iſraël* Judæo Amſtelodamenſi, de quo, quanta diligentia ſuas Bibliorum editiones procuraverit, conſtat ſicco pede ad alios pergere potero. Illud tantum addere lubet, *Bartholoccium* valde jejunum eſſe de noſtro Jacobo, ut verear Lectorem eo ablegare, & potius ipſummet in conſcripta præfatione Bibliis Bombergianis atque Buxtorfianis præfixa conferre ſuadeo: alios vero, quos niſi obiter ejus ſtudii mentionem facientes, allegem, non habeo, & ipſum quoque *Buxtorfium* in *Tiberiade* vix præter nomen quicquam memoraſſe doleo. Sequitur

Fran-

Franciſcus Juntinus.

VIr honeſto genere, & quidem *Florentiis* natus, neque adeo obſcuri nominis, ut a Cl. *Struvio* creditur fuiſſe, ſed ſua potius ætate admodum celebris fuit. Quod, ut commonſtrem, meum erit, famam nominis ejus, ne tam ignotus videatur, refricare, eaque laude, qua dignus erit, mactare. Nec id ſolum facturus ſum ex eo, quod Typographiarum curam habuit, verum etiam ex Eruditionis ſpeciminibus aliis ipſius, quæ omnibus, eo, quò vivebat ſeculo, luculentum de celebritate ejus ſuppeditabunt Teſtimonium. Fuit nempe *Juntinus* Monachus Carmelita, ejusque ordinis Provincialis, Mathematicus inſignis & Aſtronomus non proletarius, quanquam, quod carpendum, nimis ſuperſtitioſus, ſpeculationibusque variis & ludicris admodum, vel ad cachinnum usque deditus. Ubi natus ſit & qúo anno ignoramus, ut plurimum vero vixiſſe Lugduni & Florentiis ſatis conſtat, quo poſteriori etiam loço

loco *Juntis*, quibus consanguinitatis vinculo junctus erat, operam suam addixit in emendationibus codicum, & restitutionibus bonorum scriptorum effecitque sua industria, ut prelum Juntarum Eruditis omnibus gratum acceptumque redderetur. Et fama est non incerta celeberrimum etiam post fata *Grävium*, Juntarum Libros præ reliquis magni æstimasse, & laudasse, cum ob chartæ albedinem, tum etiam vitiorum Typographicorum raritatem atque alia ornamenta quamplurima. Quas dotes, utut multis exemplaribus nemo temere negaverit, fatendum tamen est, codices apud Juntas impressos jam me volutasse manibus, qui mendosi nimium quantum fuerunt. Ipse quoque prodiit *Catalogus librorum, qui in Juntarum Biblotheca Philippi hæredum Florentiæ venales* erant An. 1604. 12. excusus, grandibus, & quam plurimis scatet erroribus, id quod sine dubio ex incuria aliorum, Correctoris præcipue, ortum est. Melius autem se habent Codices, qui nostri Franciſci

doctas

doctas ſenſere manus, unde etiam non mirum eſt, quod lautum ſatis pretium pro labore ſuo obtinuerit, ut nihil ei deeſſe videretur. Ad quem cum redimus, eundem, dum libris emaculandis incumberet, qua erat vel ingenii vel rei faciendæ ſolertia, alium lucrandi modum circumſpexiſſe ferunt, & commutationi pecuniarum, Cambio ut vocant, ita incubuiſſe, eoque ſucceſſu, ut Theſaurum Sexaginta millium Joachimicorum tandem nactus exinde fuerit. Quas tamen opes, ut male partus, ſic male dilapſus eſſe addunt, ita, ut ſub finem vitæ ne veſtigia tantarum divitiarum reperiri potuerint, & miraculo ſimile omnibus fuerit, quorſum tanta pecuniæ vis demerſa ſit, niſi forte credendum vel vi clandeſtina abreptos nummos, vel ab ipſo Juntino terræ gremio creditos fuiſſe. *Geſnerus* certe teſtatur in Epitome Bibliothecæ, *Juntis*, inquiens, *honeſtiſſimis Typographis (in quorum ædibus ſæpe librorum correctionibus operam poſuerat,) mille aureos nummos cum moriens*

riens legaſſet, illi mihi faſſi ſunt, eos uti reliquos evanuiſſe, nimirum omnia perdita fuiſſe, quæ perditus ille anxius hinc inde corraſerat. De cetero, ut narrant, animo admodum fluctuanti ac mobili videtur fuiſſe. Vix enim in Gallias, ubi abierat, religionem illic mutare haud dubitavit; ſed non minori feſtinatione ad Sacra iterum reverſus eſt ſua, quæ olim coluerat, Lugduni in ædibus S. Sanctæ crucis coram publico conventa in gremium Pontificiæ Eccleſiæ receptus ab hæreſi, ut vocant, juramento præſtito ſe liberavit. Quo facto totum ſe tradidit Aſtrologiæ judiciariæ, genethliacis præſertim artibus mirifice indulgens, atque ita anxie deſudans in futili iſthoc ſtudio, ut multa ſpecimina laborum horum reliquerit, quorum intuitu immortalem ſibi comparavit apud eos famam, qui in pari nugas iſtas habent pretio, ut omnium hominum fata, ſive fauſta, ſive adverſa expoſita ſtellarum certo derivare conentur. Prodierunt in lucem ejus Speculum Aſtrologiæ de nativitatum ac annua-

annuarum revolutionum relationibus. 8. 1570. De divinatione, quæ fit per aſtra, Florentiis 1571. & Colon. 1580. 8. Commentarius Latinus in Joh. de Sacroboſco libellum de Sphæra An. 1577. Commentarius in duos poſteriores quadripartiti Ptolomæi Libros 1577. Diſcurſus de Cometa apparente in Novembri An. 1577. Pariſ. eodem anno, & Lugd. 1578. 8. Diſcurſus de Reformatione Calendarii facta per Papam Gregorium, Gallice, Lugd. 1582. 8. Diſcurſo ſopra il tempo innamoramento de Petrarca, con la ſpoſitione del Sonetto, Gio fiammegiava l'amoroſa ſtella, &c. Videatur Venerabilis D.D. Buddeus L. II. P. IV. Lexici. Bælius in Lexico Hiſtor. Critico. adde G. J. Voſſium de Scientiis Mathematicis. Geſneri Epitomen ſupra citatam, &c. Properanti nunc ad alios occurrit

Gothofredus Jungermannus.

MAgni Patris non minor filius, & licet munerum haud pari ſplendore, at meritorum magnitudine æque clarus

clarus: Genuit enim hunc Gothofredum *Caſparus Jungermannus*, enixa autem eum eſt *Urſula*, Celebratiſſimi Literatoris *Joachimi Camerarii* filia optima. Ab his Parentibus una cum fratribus ſuis Germanis *Ludovico* & *Joachimo*, pietatis æque ac ſtudiorum principiis innutritus eſt, ea præſertim methodo, qua non minus ac fratres literas præcipue elegantiores ſolide excoleret. Quanquam in his Græcam Linguam præ ceteris ſibi delegerit, in qua etiam pernoſcenda tam ſedulam collocavit operam, ut Atticiſſare exactiſſime crederetur. At mirum in eo fuit, quod cum maxime ad officia publica ineunda idoneus eſſet, negotia publica ſemper renuerit, & ſibi ipſi atque Muſis ſuis canere præoptarit. Lautum igitur & opulentum vitæ genus, ut averſabatur, ita honorum quoque non erat appetens. Ut tamen vitam honeſte ſuſtentaret, alia ſibi procuraverat ſubſidia. Atque ita accidit, ut, cum ſibi non ſolum inſervire vellet, ſed aliis etiam commodo eſſe ſtuderet, eo fine

apud *Wechelios* Typographorum celebratiſſimos tantos ſubiret labores, quantos quisquam alius in publico munere unquam devoravit. Siquidem Manuſcripta, temporum injuria depravata, innumerabilia reſtituit, impreſſa volumina ingenti copia correxit & emendavit, ſub prelis ſudantes plagulas infinitas a quiſquiliis purgavit, & omnibus ornamentis inſtruxit, ut vix fidem inventuri apud poſteros, ea narrantes Hiſtorici: Ipſi adeo Wechelianæ officinæ ingens decus conciliavit; Sicut enim præſtantiores Correctores, quod noſtro inſtituto demonſtramus, vix alibi diligentiam ſuam probarunt, quam in Typographiis illuſtribus, ita quoque Typographiarum nomina viciſſim plurimum laudis acceptum tulere correctoribus præclaribus; Neque enim quivis, & potiſſimum tunc temporis Correctionibus præeſſe poterat, ut nunc plerumque fieri ſolet, ſed requirebatur *Sylburgii* doctrina, *Jungermanni* Eruditio & *Eraſmi* diligentia. Neque vero id noſter agebat invitus, aut famam nomi-

nominis ſui ſe lædere credebat, ſed longe ſecius, ut *Wecheliorum* amore eximio fruebatur, ita aliorum quoque virorum doctrina præcellentium conſuetudines indies augebat, ambientibus quippe Eruditis, uti Typographorum ſic quoque Correctorum, ut ſua, quæ prelo ſubjicerent, quam accuratiſſime exirent, Favorem & Amicitiam. Quo factum, ut & *Jungermannus* noſter non multorum ſolum impetraret affectionem, ſed etiam erudita cum iisdem literarum commercia per omnem vitam haberet. Cujus etſi bene multa ſpecimina ex Epiſtolarum faſciculis, qui typis quoque procuſi extant, proferre poſſemus, non tamen niſi unam particulam ex Reſponſione ad *Scipionem Gentilem* Illuſtrem Academiæ Altdorfinæ JCtum, quippe functionis Jungermannianæ & diligentiæ ad oculorum usque morbos, teſtem producere placet. Ita vero in Gudianis Epp. noſter ſcribit: *Ceterum ut tandem ad illud veniam, quod ſcribis, Te, cum Rittershuſio meo ſollicitos ob functionis meæ incommoditatem, velle, ut*

vobiſcum eſſem loco honeſto, ſi non ſim a profeſſione alienus: Vosque ideo cogitaturos & conaturos, quas Tibi grates agam mi ampliſſime? Non opis id noſtræ eſt. Quamvis enim ſatis honeſto ſtipendio ſim apud Marnium, tamen laborum nimia eſt moles, quæ nullam refectionem admittit, omnemque valetudinem negligere cogit, quod alias facere ſoleo. Accedit hoc, quod ita penitus abſtrahar a jucundiſſimis ſtudiis utriusque linguæ, & bonis auctoribus verſandis, cum tamen ego id unice in votis habeam, ſi talem quietem & otium nanciſci poſſem, quod illis tranquille tribuerem. Otium enim absque literis, mihi mors revera. Ut ut tamen ſit, non facile avelli me patior a loco, ubi ſemel aſſuevi: niſi oculos πάθος etiam accederet, & Lingelsheimius meus (cui hactenus id occultavi reſcivit per alium) mihi inclamaret ſedulo, quid agerem, an me velim perdere? Variis quidem modis Marnium hic commoratus expertus fui, an labores mei minui poſſent, quum me invito ideo amici magni Marnium objurgarent, quaſi me oneraret nimis. Suſcepi itaque primum duo præla,

dein

dein per aliquod tempus tria, mox tria cum dimidio, dein tantum unum in illo difficili Concordantiarum Græcarum & Hebraic. Veteris Testamenti, cum pauculis aliis, & constitui per hanc hiemen, si hieme pergent, unico prælo saltim inservire, sed varia simul aliorum ἐλλείμματα *mihi supplenda sunt, nisi* Marnius *velit damnum facere, & itur ad me de singulis quisquiliis ubi hærent. Hæc vero omnia ut me de recreatioue cogitare non facerent, id aliud tamen facit. Biennium jam est, quod prælа bina e nostro Typographio ad majorem Aubrium translata fuerint, cum & ipse hanc artem tractare velit. Incidunt tamen inter illum imperitum profecto, & minus aptum ad gubernandas operas & nostrum Senem, quem Marnius præfecit, quique fidelissime & diligentissime omnia administrat, variæ lites, dum quicquid ille corrumpit & peccat in nostrum transfert: Et alias etiam Aubriani rationes reddi sibi Marnio volunt, & hæreditatem prorsus dividi, adeo, ut aliquoties officina claudi debuerit, cum alias inter has occupationes ad calculos sedere*

quiete nequeant. Unde neceſſario mihi de alia conditione cogitandum. Nec tamen ullam præoptarem, quam de qua ſcribis. Fuit enim mihi in votis, & id non occultavi prorſus apud alios, jucundiſſimam vitam mihi fore, ſi Deus me aliquando Altdorfium transferre velit, ubi Philologia (quæ Dea in patria mea heu! eviluit & ſpernitur) ſuam ſedem fixit. Sane probare cogitarem σὺν Θεῷ vobis tenuia officiola mea, ut videretis, me id unice ſpectare, ne ingratus aliquando mori viderer. Unum eſt, quod conſiderandum vobis relinquo, nec audax ſum, nec facundus. Quamvis & Rittershuſio Duce quidvis audendum videatur. Sed nec doctrinæ eruditæ ulla apud me copia, quamvis vobis magnis Doctoribus de ea conſequenda aliqua minime prorſus deſperare poſſim. Ceterum moleſtus fui Tibi plus ſatis. Jam adgredior Rittershuſium meum. Vale atque ſalve mi Ampliſſime Domine, & amice, atque Patrone unice. Hannov. 10. Sept. 1606.

Hactenus de ſua in Typographeo Marniano aſſiduitate in corrigendo audivimus diſſerentem. Jam vero quamdiu

diu in eo desudarit contendendum. De quo quidem ex sequenti Epistola Anno 1607. scripta constat, ubi postquam salutare jusserat *Hubnerum* & *Rittershusium*, addit, ex Typographio Wecheliano. Unde non obscure ad finem usque vitæ Saxum hoc eum volvisse conjicimus. Etenim d. 16. Augusti A. C. cIↃ IↃ cx. fatis concessisse certis testimoniis scimus. Monumenta, quæ reliquit, suo marte elaborata sunt: Cajus Julius Cæsar, quem collatis Manuscriptis puritati suæ maxime restituit, notisque suis illustravit, inque lucem publicam prodire jussit. 4to 1606. Francofurti cum Commentariis integris *Henr. Glareani*, *Joh. Glandorpii*, *Joach. Camerarii* *Aldi Manutii*, *Joh. Sambuci* & aliorum: in qua tamen editione distinctiones in versus desunt. Recusum est hoc opus An. 1669. sed admodum infeliciter; deficiunt enim præfationes laudatorum virorum, adjectæ sint quanquam distinctiones versiculorum: Eidem debemus notissimum tractatum Hieronymi *Magii*, de Equuleo in carcere conscriptum,

quod prodiit poſtea Amſtel. An. 1665. & 1689. de cujus libelli ſingularibus fatis agit clariſſimus Wolfius in diſſ. de Carcere Eruditorum *Muſæo* p. 36. Extant etiam Epiſtolæ peculiari Volumine impreſſæ. Porro edidit etiam Herodotum, cum interpretatione Vallæ latina recognita ab Henr. Stephano, & ſpicilegio addito Frid. Sylburgii fol. Francofurti 1608. quam editionem ſe emendaſſe in præfatione datæ Typographeo Wecheliano ipſe ſcribit: *Nihil fuit*, inquiens, *amice Lector, de quo nos minus cogitaverimus, anno præterito, quam Herodoti editionem iſta hyeme ſuſceptum iri, nec ejus rei vel leviter mihi in mentem venire potuit. Sed variæ ſe habent etiam optimorum Typographorum rationes, ut, me hercle, quantum ego hactenus, dum illi arti operam ἐπανορθωτικὴν in parte dedi, cognoſcere potui, verum hic illud ſit, quod proverbio trito expertus pronuncio, ſcil. & nos plerumque in ipſa demum arena conſilium capere oportere non ſecus ac gladiatores, &c.*

De Animadverſionibus in Julii Pollucis

cis onomaſticon dignum eſt notatu, diu latuiſſe iſtas lucubrationes, donec eas feliciter celebr. Obrechtus Argentorati ap. Sutorem oppignoratas inveniret, easque leviſſimo pretio IV. Imperialium redimeret. A quo clariſſimo Lederlino transmiſſæ ſunt, qui eas *Julii Pollucis* editioni noviſſimæ adjecit, a *Lederlino* inceptæ a *Kuhnio* vero perfectæ & *Tyberio Hembſterhaſio* abſolutæ & in lucem editæ, Amſtel. 1706. fol. II. Voll. Inſpiciantur, Ven. D.D. Buddeus in Lex. Tom. IV. Crenius in Animadverſionibus Philoll. P. V. p. 13. 20. Bælius in Lexic. Hiſt. Critico T. II. p. 1684.

Cornelius Kilianus.

VIr doctrina nobilis & meritorum gloria nemini ſecundus. Inprimis vero ad exprimendum dulciſſimo verſu, quicquid collubitum eſſet, natus. Ortus eſt iſte Carminum pangendorum Magiſter *Duffla*, quod oppidum eſt in Brabantia modicum, ubi & rudimenta in ſtudiis prima poſuit, & Lovanii eadem amplius excoluit. Ex qua Aca-

demia vix assumta virili toga evocatus, Antwerpiam concessit, sedeque constanter illic fixa per omnem vitam in medela Libris Typothetarum incuria sauciatis paranda, elaboravit. Tantoque ampliorem diligentiæ æque ac Eruditionis exercendæ campum consecutus est, quo frequentior in Christophori Plantini, cui inserviebat unice, officina, occasio erat, non triviales, sed selectas virorum doctissimorum lucubrationes prælo subjiciendi, easdemque inter sudores imprimentium perpoliendi. Quo nomine dignus nobis visus est, cui non solum locum inter Eruditos Correctores daremus; sed primas etiam, vel ob longissimum quinquaginta annorum hujus industriæ æstimatæ tempus, assignandas partes putaremus. Cetera ex subjecto Swertii Amici & familiaris Epitaphio, quod ei consecravit, cognosces.

D. O. M. Cornelio Kiliano, Dufflæo, constantis laboris, & perennis industriæ laude ornato viro. Quinquaginta annos Plantini Typographiæ curam gessit.

Quam

Quam fideliter, perite, docte, ipſos rogate libros, elegantia, nitore, fama æternæ artis primos. Nec ſemper alienos tractavit, cum & ſuos reliquerit. Latina oratione diſertus; verſificatu felix, patriam quoque Eloquentiam excoluit, cultumque ejus & proprietatem revocavit. Obiit ætate operibusque gravis, A. M. D. C. VII. ipſo Paſchatis die. Venæ Poëticæ ſimul & in corrigendo ſtudii teſtimonium eſſe arbitramur carmen ſequens ab ipſo Kiliano non ſine bile effuſum:

Officii eſt noſtri mendoſa errata librorum,
Corrigere, atque ſuis prava notare locis.
Aſt quem ſcribendi Cacoëthes vexat, ineptus
Ardelio, vitiis barbarieque rudis.
Plurima conglomerat, diſtinguit pauca lituris
deformat chartas, ſcriptaque commaculat.
Non annum premit in nonum, non expolit arte,
Sed vulgat properis ſomnia vana typis.
Quæ poſtquam Docti, Muſis & Apolline nullo,

Com-

Compoſita exclamant; ringitur Ardelio.
Et quacunque poteſt, ſeſe ratione tuetur,
Dum Correctorem carpit, argitque reum.
Heus! ceſſa, immeritam culpam transferre deinceps
In Correctorem, Barde, Typographicum.
Illud quod eſt rectum non depravabit: At audin,
poſthac lambe tuos Ardelio Catulos.
Errata ulterius, quisquis correxerit, illum,
plus ſatis invidiæ, gratia nulla manet.

Sed pauca quoque de ſcriptis Kiliani attexere juvat; Eſt interea celeberrimum Etymologicum Teutonicæ linguæ, quod & Lipſius accuratus librorum cenſor laude non modica mactandum eſſe cenſuit: Idemque Dictionarium Teutonico-Latinum, impreſſum apud Plantinum, An. 1599. 8. typis Moreti; recuſum eſt, ſub titulo *Kiliani aucti*, ſed admodum depravate, ut priores editiones huic longe anteferantur. Extant etiam Poëmata ejus varia, quæ rariſſime conſpiciuntur, ea facetiis Swertio laudantur. Submiſit etiam ſingula diſticha ſingulis ima-

imagunculis paſſionem Servatoris noſtri exhibentibus, excuſis & æri inciſis Antwerpiæ a *Joh. Sadelero*, viro cum aliis hujus nominis in hac arte incomparabili. Ejusdem ſunt Translationes Comminæi & Guicciardini Hiſtoriarum in linguam *B*elgicam. *M*emorabile etiam eſt præ cœteris & ad noſtrum inſtitutum apprime facit *Epigramma Apologeticum* pro Correctoribus, quo Criminationes Scriptorum, quibus in Correctores invehebantur retundens, ipſos eorumque ſcripta, infelici Minerva ſæpe elaborata accuſat, quod vide, ſi placet in Beyerlinckii Theatro vitæ Humanæ Tom. IV. L. T. p. 238. Ex quo ἀποσκασμάτιον illud, quod paulo ante recitavimus, nos accepiſſe profitemur. Dignum quoque idem viſum eſt Chevallerio, quem libello ſuo Gallice ſcripto, ſed rariſſime in Germania, nec niſi in *B*ibliotheca Spanhemiana a me *B*erolini conſpecto, de originibus artis Typographicæ, inſeruit, quem etiam de Kiliano vide p. 203. adde Fr. Swertii Athen. *B*elg. p. 189. *B*ælium in Diction.

Diction. Tom. II. LL. Buddeum, & si qui alii, quod tamen plerumque obiter factum, ejus meminerunt.

Johannes Kislingius.

WEissenstadtensem hanc fuisse ex nepotibus accepimus: Quod oppidum est Burggraviatus March. Brandenburg. Franconiæ Superioris. Natus Anno 1613. d. 5. Febr. patrem habuit in mercimonia rerum domi occupatum, cui *Erasmi* nomen fuerat inter suos celebre. Ab his pie educatus ob ingenii dotes præclaras, animum liberalibus excoluit artibus, ductore *Laurentio Munzero*, Patri Ludimoderatore. A quo cum testimonium vitæ honestæ & diligentiæ laudabilis accepisset, in numerum Alumnorum Serenissimi Marchionis Brandenb. Wonsidelii receptus, illic eodem fervore studiis incubuit suis, edoctus a *Joh. Kellio* & *Simone Schæpfio* Præceptoribus. Hinc An. 1634. Numburgum migravit, ibidemque in studio literarum ad annum usque trigesimum nonum post millesimum & sexcente-

centeſimum ulteriores progreſſus fecit. Atque exinde Jenam ſibi vicinam petiit, ubi tamen non niſi duos annos vivere licuit, calamitatibus oppreſſo. Parentibus enim per bellorum infortunia miſeris cum Paupertate conflictantibus, ſumtus etiam mediocres, quos ut hactenus conſueverant, ſuppeditare filio non poterant amplius. Quapropter An. 1641. domum reverſus, quid in Exercitio concionatorio valeret, ſuis & patriæ oſtendere elaboravit, atque nonnulla eum in finem edidit ſpecimina. Verum ſpei ſuæ certum fixumque terminum cum Weiſenſtadii non reperiret, Noricam adire urbem, ut, ſi qua fieri poſſet, ibi ſaluti ſuæ conſuleret, auxiliante divino Numine conſtituit. Sed ut ſunt fata hominum, qui præmia ſtudiorum expectant plerorumque, ut aut conſeneſcere inter ſpem atque metum plerosque oporteat, quibus fortuna iniquior eſt, aut præcipuum ſcopum tandem deſperabundi deſerunt, aut privatis informationibus puerorum ætatem vegetam conterunt, & plus in lite-

literis, iſtas quisquilias tractantes deficiunt, quam proficiunt. Ita pares calamitates & noſter ſentiit Kislingius, qui tamen eas, conjugio, quod cum vidua cujusdam *Leonh. Schwverdtfegeri* inierat, utcunque lenire interea conatus eſt. Donec lautiorem conditionem vivendi, minusque oneroſam ac proficuam etiam obtinuit, cum Anno 1651. optimi *Endteri* operas ſuas excudendas fidei ejus crediderunt, ut corrigendo puriores eas a mendis redderet. Atque iſthoc ſibi datum negotium per annos viginti & tres maxima cum laude induſtriæ, primum in officina ipſa, poſtmodum vero in ædibus ſuis peregit, eaque fide, quæ requiri ab homine his curis præfecto poterat, & tamdiu continuavit, quamdiu vires a Deo conceſſæ præſto eſſent. Pietatis adhæc atque humanitatis decore omnibus ſigillatim vero Eccleſiæ Miniſtris atque inprimis Dn. *J. M. Dillherro* chariſſimus fuit, de qua re teſtatur Præfatio ad Lectorem Kislingianæ Arti vivendi & moriendi præmiſſa. Tandem

Anno

Anno 1674. d. 14. Octobris ex hac vita in patriam migravit cœleſtem, poſtquam continuos annos viginti & tres prælo inſervierat. Scripta, quæ ab Anno 1655.--1673. luci expoſuit Aſcetica ſunt. Sunt iſta: Himmliſche Tiſch-Reden / 1658. 12. Chriſtliche Lebens- und Sterbens-Kunſt / 12. 1662. Chriſtl. Haus-Vatters tägliches Bet-Stund-Büchlein / 1663. 12. Chriſtl. Hertzen geheime Bet-Kam̃er / 1665. 8. Geiſtliche Weihnachts-Freude. 1665. 12. Buß-Beicht- und Communion-Büchlein / 1666. 8. Nürnbergiſches Hand-Büchlein / 1666. 16. Chriſtl. Hertzen geheimes Bet-Kämmerlein / 12. Hertz-erquickendes Troſt- und Freuden-Brünnlein. Geiſtl. Wetter-Büchlein: Geiſtl. Weg-Weiſerlein / 1678. 16. & alia. Imagini ejus æri inſculptæ *M. Juſtus Jacobus Leibnizius* rhythmos Germanicos ſubmiſit, quos tamen hic repetere non placet, quin potius ad alios progredior; Obſcurior autem ſuccedit, nempe

Adamus Knouf.

Hic ordine ſic poſcente memorandus erit, obſcurioris vero fateor eſt famæ, & a Doctis nonniſi ob Typographicas curas laudatus, & præſtantiſſimæ Typographiæ celebritate ipſe clarus. Medicum fuiſſe ſtudiis & profeſſione, patria vero Colonienſem Bælius in Lexico ſuo retulit, idemque etiam, quod Gryphiorum officinæ ſervitia corrigendo præſtiterit, loco mox citando commemoravit. Atque ex eodem fonte diligentiſſimus Dn. *Reimmannus* ſua quoque hauſiſſe mihi fit vero ſimile, quando nomen ejus inter Eruditos repoſuit Correctores. Ego vero licet plura & ſingularia quædam indagaturus nulli operæ pepercerim, nihil, quod memoratu dignum eſſet amplius invenire potui. Cum itaque ſpes me fefellerit, ſilebo cum Bælio & Reimmanno, Lectorem autem benevolum, ſi quid innoteſcat pro lubitu, ut lacunam hanc ſuppleat, honorifice rogabo. Conſulatur interim Bælius Tom. II.

Dictio-

Dictionarii p. 1401. Reimmannus P. III. p. 242. Introd. in Hist. Lit. Num vero Joh. Theodorus Leubscherus in Schediasmate de claris Gryphiis An. 1702. evulg. in quibus de Seb. Gryphio Celeberrimo Typogr. Lugd. Galliæ differit, quædam notarit, nec ne, non habeo dicere, utpote quod inspicere non licuit. Lectorem tamen, ut consulat, si præsto sit, monere, non abs re visum fuit. Sequitur nunc clarior

Ludolphus Küsterus.

UTrum gratiam initurus sim a Doctissimo Celeberrimoque viro, an vitium atque invidiam promeriturus, quando nomen ejus in Correctorum numero recenseo, nescio. Aversari enim eum, imo abhorrere ab omnibus, quæ non sunt splendida, percepisse me a quibusdam memini, quum animi indolem haud sane laudabilem (relato refero) Berolino Amstelodamum, & nunc porro, ut fama est, in Gallias ad Pontificiorum abduxisse partes, & sacra, ferunt. Sed quicquid horum sit, dicen-

dum ſane quod res eſt, neque in ignomia vertendum, quod præclariſſimi viri ſibi honori duxerunt, ſi quis ab opere, & ſuo ſe pede metire didicerit. Omiſſis ergo hiſce, pro more huc dum mihi conſueto, agendum erit. Jurium hic Doctor celeberrimus Patriam ſuam eſſe gloriatur Marchiam Brandenb. in qua Saxon. infer. provincia non ſplendidis, at honeſtis & probis genitus eſt parentibus. Ob ingenii vim, & judicii acrioris obſervata veſtigia literarum ſtudiis conſecratus, univerſe in iis, ac in Græca cumprimis literatura, profecit, ut juvenis adhuc eximia jam dederit futuræ Eruditionis documenta. Egregie igitur in Scholis domeſticis & patriis enutritus, & ad altiora tractanda aptior inde redditus, celeberrimam Muſarum ad Albim ſedem ſuam fecit, delegitque exercitatione palæſtram. Poſt aliquot autem annorum tractum, neſcio quo fato, Amſtelodamum delatus eſt. Atque hic locorum callidiſſime inſervivit tempori, & cum ob tenues facultates liberaliter vivere haud poſſet, ſive

ſive nummis etiam neceſſariis deſtitutus, ſive juvandarum literarum amore, aut ſi mavis ex ſingulari quaſi inſtinctu ad labores iſtos perferendos maxime idoneus, Bibliopolis ac Typographis Amſtelodamenſibus in ornandis & corrigendis libris operam fortem ac ſtrenuam locavit, nihil tamen etiam ſimul prætermittens ſuæ induſtriæ, qua in ſtudiis politioribus altius ſemper adſcendere poſſet. Præterlapſo autem quodam temporum intervallo, cum domeſtica ſede nihil ſit jucundius, in natale ſolum, quod olim genuerat, alueratque, rediit. Berolinum itaque inviſens, tantam gratiam Electoris, atque Regis deinceps potentiſſimi, mox conſecutus, ut ſumtibus Regiis Germaniam, Belgium, Angliam & Galliam luſtrare conceſſum fuerit. Fauſto igitur omine terras modo dictas peragravit, atque Cantabrigiæ præcipue aliquandiu hærens, ingentem ſibi bonarum obſervationum apparatum comparavit. Refertus tandem omni Eruditionis genere domum eſt revocatus. Quo facto,

eum rediiſſet in Marchiam, in Mandatis accepit, ut Academiæ Equeſtris Berolinenſes cives humaniores literas doceret. Id vero munus cum ſpei ſuæ majori animo dudum conceptæ, aliquid derogare, & doctrinæ ſuæ ſcientiarumque amplitudini haud ſatisfacere exiſtimaret, ad altiora ſe natum ratus, ut Bibliothecæ curæ ſibi demandaretur, ſupplicibus contendere precibus a Rege ſuo Clementiſſimo non deſtitit. At enim vero cum doctiſſimus Gallus *Maturinus Veyſſiere la Croze*, a Bibliotheca Regia jam eſſet, petitis hiſce ſatisfieri aliter haud potuit commode, niſi hactenus, ut ſurrogaretur Crozio. Factum id quidem eſt, verum neque his etiam contentus *Küſterus*, omnem ſibi uni in libros poteſtatem primario vindicaturus; at vix id ſperari poſſe cernens, iterum officio abdicato, ad exteros abiit. Valedixit igitur Berolini, vitæ aulicæ quaſi pertæſus, & Muſis ſuis victurus potius, quam in ſplendida, ut opinabatur, miſeria diutius perſticurus. Olim igitur jamjam ſuis rebus in Belgio conſul-

conſultum fuiſſe memor, Amſtelodamum denuo intravit; ubi aliquot annos, ſcribendo, edendo, corrigendoque libros victum amictum nominisque gloriam quæſivit, & literato orbi abunde ſatis Eruditionem ſuam probavit. Nuper vero & hujus vitæ pertæſus, ſacris quoque mutatis ad caſtra Pontificiorum Lutetias tranſiiſſe relatum eſt. Ubi non dubitamus pari ſtudio, & labore inſuperabili laudes huc usque partas, ſed defectione iſta infelici admodum conſpurcatas, ut augeat, operam daturum eſſe. Eſt ſiquidem patiens laborum, affabilis atque blandus, magnaque oris commendatione, tantaque doctrina (quis enim diffiteatur?) præditus, quæ majora indies ab eo præter ea, quæ jam dedit illuſtria ſpecimina, nos expectare jubet. Inter celebriora quæ jam publice proſtant, quantum ego memini, ſunt; Hiſtoria Critica Homeri recuſ. Francofurti 1696. 8. Bibliotheca Novorum Librorum Trajecti ad Rh. 1697. Ejus Tomum primum ipſe ſolus concinnavit, in altero vero ac ter-

tio acceſſit ſtudium *Henr. Sickii*, Prof. LL. OO. Cantabrugenſis, Bremenſis, qui miſero non ita pridem fato ſe ipſum ſuſpendio necavit. Quo adjuvante etiam T. IV. & V. Bibliothecæ hujus, tot enim, ſi recte memini, conſtat opuſculum integrum, evulgati ſunt. Sunt præterea Küſteri Suidæ Lexicon cum notis variorum & ſuis 1705. III. Voll. quæ editio Genevenſi plurimum præſtat, quam jam anteceſſerat Diatribe de Suida Anno 1701. Cantabrigiæ. Edidit quoque Jamblichi vitam Pythagoræ Amſtel. 1707. 4. Ariſtophanis Comœdias cum notis Iſ. Caſauboni, *Ez. Spanhemii* & Rich. Bentleji cum ſuis Amſtel. 1710. fol. Notandum autem Spanhemii notas non eſſe, niſi in priores tres Comœdias excuſas, nam dolo quodam malo factum, ut reliquis Küſterus carere neceſſe habuerit. Ex ore id relatum habeo viri alicujus celebris & literatiſſimi, qui tunc temporis in Anglia verſatus erat, cujus pace etiam & fide totum, ut actum eſt, negotium illud referendum non piget. Nempe L. Küſterus

ſterus ſive *Neocarus*, ut interdum appellari maluit, Ariſtophanem evulgaturus, ſenſa mentis critica, in eum autorem per literas ad Illuſtrem Spanhemium datas, requiſivit. Ille igitur benevole ſatis, ut ſolebat, notas ſuas in priores tres Comœdias conceſſit, additis promiſſis, in reliquis ſe etiam ei non defore. Verum non multo poſt, quæ agerentur, cognoſcentes amici Spanhemii, idemque Küſtero inimici, invidia accenſi obſtiterunt Illuſtri Oratori & L. Baroni, quo minus, eum & reliquas efflagitaret acceſſiones, earum compos fieret. Invidebant nimirum honorem Küſtero ex his doctiſſimi viri Laboribus acquirendum, atque hinc omnes intendebant nervos, ut inclytum Spanhemium ad alia agenda abducerent. Cujus conſilii perficiendi celeberrimus *Grabius* Regiomontanus, qui ad plures non ita pridem abiit, dolo haud ſane probando, adminiſtrum ſeſe præbuit: Is enim certior de petitis Küſteri, & promiſſionibus Spanhemianis factis & ab ipſo Spanhemio, quo familiariſſime

utebatur, confirmatus, famulum, nullius fere notæ, ad Spanhemium misit, traditis simul literis, in quibus de fide dudum data communi quasi Doctorum nomine ad Partem alteram, de usu & Præstantia numismatum, edendam monebatur. Studium vero illud notas in Aristophanem scribendi & ad exteros mittendi, quanta fieri poterat industria, quasi minus dignum tanto viro, exprobrabatur. Addebantur, & quibus, ni promissis staret, fore ut ædificium gloriæ hactenus laudabilibus studiis, doctrinaque politiori exstructum omnino collabatur, eademque Epistola simul, ut responsum in certum deponeret locum, expetitum est. Acceptis his prælectisque literis, ipsum *Grabium* autorem hujus fabulæ vocabat in consilium *Spanhemius*, qui pronus ac lubens ei persuasit, ut Comicum obscurum faceret missum, & propediem numismatum absolveret enarrationem, probatoque consilio suis manibus ipse, quæ rescribenda putaret Spanhemius, accepit, atque ut jussus erat a viro illustri in locum designatum

gnatum reponenda curavit: Eo pacto effectum, ut notas laudatiſſimas non impetraret, in quorum locum Bentlejanas poſtea ſurrogavit; Hæc hactenus. Ejusdem Küſteri, ut ad cetera monumenta redeamus, eſt, Novum Teſt. Græcum nulla ſatis laude ob induſtriam ſummam prædicandum, atque in Anglia poſt triginta annorum ſpatium in lucem emiſſum *Joh. Millii*, recuſum eſt Roterodami, & Lectionibus novis adhuc variantibus locupletatum An. 1710. fol. Taceo reliqua & præterea, quid ſua opera idem quoque contulerit in Theſauro Gronoviano & Gräviano colligendo, quorum illi addidit Diatribem de Muſeo Alexandrino Tom. VIII. p. 2766. conſpiciendum: In hoc vero Patritii rem militarem Roman. ex Italico idiomate, & Savoti diſſ. de Nummis ex Gallico tranſtulit in Lat. & alia. Quæ reperiuntur T. X. XI. XII. dictorum Voluminum celeberrimorum. Conſtituerat etiam Geneſii LL. V. Βασιλικῶν, ut & Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ typis evulgare; id vero conſilium non perfecit:

cit: Utrum vero a propoſito abſtinuerit, ſubdubito. Atque ſic aliis etiam recentioribus diſſertatiunculis viri hujus Eruditiſſimi relictis, quas videre poteris, in P. IX. des ausführlichen Berichts von allerhand neuen Büchern/ p. 834. pedem promoveo ad elementum L, ubi primum ſuo merito occupabit locum Græcorum Exulum famigeratiſſimus.

Johannes Laſcaris.

HIc vir nobiliſſimus pariter ac doctiſſimus a *Simlero* in Bibliotheca, incertum, quo jure vocatur *Andreas Janus Laſcaris*; & a Vincentio Parravicino in libello nuper demum in ed. de ſingularibus Eruditorum Johannes Andreas: ab aliis vero communi conſenſu nonniſi Johannes appellari ſolet, ſic tamen ut cognomentum *Rhyndaceni* ſubinde adjectum videas. Satus fertur principe ſanguine: quandoquidem ex Laſcarina familia quosdam Sceptra Orientis tenuiſſe gloriari poterat. Eamque ob rem a parentibus acceptam illuſtrem

ſtrem inde indolem crediderim', moribus & doctrina ut ornaret, æque laudabiliter laboraſſe. Erat autem inter profugos ex patria, cujus urbe primaria occupata, & Tyrannide Turcarum latius indies in ſubditos invaleſcente, cum cæteris cœlum, in quo natus educatusque fuerat, non ſine triſtitia reliquit. Italiam igitur vicinam, ſedemque Muſarum petens, & per aſpera maris tranſiens, naufragio feliciter ſuperato, a *Laurentio Mediceo* Florentiis gratiſſime ſuſceptus, aſylum hoc Literatorum ſecunda intravit fortuna. Unde etiam Principi benigno quacunque data occaſione gratum teſtari animum non intermittebat. Non tantum enim cum adjuvit maſcule in formanda ornandaque Bibliotheca, quam iſte meditabatur, verum etiam morigerum atque paratum ſe præſtitit, cum in patriam remigrare, ad certa, quæ demandata fuere agenda negotia, juberetur. Eoque animo legatione miſſa ad *Bajazethem*, Turcarum Principem', eidem ſe adjunxit, atque ab Imperatore, gente Barba-

Barbaro quidem, at non mediocriter ſcientiis philoſophicis imbuto, facile impetravit, ut domi hinc inde vagari, & Codices Græcos, Manuſcriptos præcipue, conquirere licentia daretur. Quo facto variis Voluminibus paſſim conquiſitis, lætabundus noſter in Italiam rediit, & Principis Medicei gratiam ex aſſe conſecutus eſt. Sed cum paulo poſt iterum Conſtantinopolim profectus, eodemque favore, quo antea, uſus eſſet; dubitari quidem de fide ejus cœpit, nihilominus abdita denuo ille Græciæ ſerutatus eſt, ac priorem fortunam recuperaturus in terras Italiæ cum gratulatione remeavit. Inde maximopere creſcente tanti Viri fama, & in Galliam usque dimanante, a *Ludovico* XII. Lutetias deſideratus, atque illuc devectus, tanto habitus vixit in pretio, ut Legati munus Venetias ſuſcipiendum ei fuerit demandatum; cujus Legationis cauſas in Hiſtoria ſua *P. Bembus*, adjectis ſermonibus, quos ad Senatum Laſcaris habuit, tradidiſſe conſtat. Poſthæc Romam abiit, ibidemque amicitia fretus

Leo-

Leonis X. Laurentii de Medices Fratris, non quidem ut aliqui autumant, Conſiliarius evaſit Papæ, ſed poſtquam ex Græcia juvenes Eruditos & bene moratos ſecum eduxerat, hujus Collegii, ad conſervandam linguæ Græcæ puritatem inſtituti, Ductor, moderatorque factus, magnis & ingentibus Pontificiis beneficiis eſt gaviſus. Abhinc denuo in Galliam a *Franciſco I.* citatus eſt, ut Regi a *B*ibliotheca eſſet, id quod *Balius* evincit ex Epiſtola *Jacobi Tuſani*, ad filium Laſcaris data, ſic habente. Jani Patris tui „ Excellentiam, in Romana lingua, ne „ dum in veſtra, peritiam, pluribus hic „ verbis, ne fuſius, perſequar; Illud certe „ dicam, Græcæ literaturæ quantum uſu „ quantum ſcientia præcellat, ex hoc vel „ maxime intelligi poſſe, quod eum ex „ cunctis veſtri generis hominibus, de „ ſententia doctiſſimorum delectum, „ Princeps noſter Franciſcus accerſendum eſſe, cenſuerit, ut Muſeo, quod „ in hac urbe longe omnium Principum „ celeberrimum ſperamus excitatum iri, „ propediem velut alter Apollo præſi- „ deat,

ſideat. Mortuus tandem eſt Romæ magno admodum natu, ætatis nempe nonagesimo An. Chr. 1489. morbo articulari conſtanter laborans. Sepultus in æde Gothica ſive Agathæ ſupra Suburram. Epitaphium, quod ipſe ſibi fecit Latine redditum, *Jovius* & *Freherus* citant, in *Lambecii* vero Comment. in *B*iblioth. Vindob. P. VI. Supp. I. T. II. p. 274. & apud *Kœnigium* in *B*ibliotheca inde excerptum invenire poteris. Sed antequam ab eo diſcedam, illud, quod nobis conſtitutum eſt, non prætermittendum eſſe duco. Indicandum ſcil. ubinam locorum ad prelum libros impreſſos correxerit. *Henricus Stephanus* ergo de illa re audiendus, a quo cum poſtmodum dicendi futurus ſit locus, nunc in querela Artis Typogr. de noſtro diſſerentem hunc in modum habemus. *Quid vero dicturos*, inquit, *Marcum illum Muſurum, & Janum Laſcarim putamus, in quibus primis Græcia reviviſcere cœpit, & qui Principes in pandendo nobis ad Linguæ Græcæ adyta itinere fuerunt? Quid, inquam, dicturos remur, ſi, quum ipſi tantum*

tantum honoris Anti-Typographica detulerint, ut non indignam existimarint, cui suam navarent operam, fungentes munere Correctorum, (liceat enim de rebus Typographicis typographice loqui) eo rem deveniſſe videant, ut ſi quis tria Latinæ Linguæ verba, totidemque Græca norit, Typographicæ illius correctioni nobiliſſimi quique utriusque linguæ Scriptores committantur. Vera utique hæc ſunt. Nam multum laboravit Laſcaris in Correctorio opere, *imo plura feciſſet*, inquit Eraſmus Roterodamus, *ni crebræ legationes, & Regum negotia eum revocaſſent.* Florentiis autem quam maxime & Venetiis id factum credibile eſt, illic apud *Juntas*, hic apud *Aldum Manutium.* Ego ſane, ut nunc præſto ſunt, Græcos Scriptores nos tales non habituros credo, ni acceſſiſſet ſtudium horum virorum, quibus Græca vernacula erat lingua. Ne quid enim de protractis adductisque exemplaribus e Græcia repetamus. Eos optime etiam manu exaratos codices & legere, & examinare, & expurgare a mendis potuiſſe, quod & feciſſe totus

orbis teſtatur literatus, quis eſt, qui negare vellet? De reliquo Laſcaris noſter, quamvis facundus fuerit ac moribus probus, & Lat. inſuper Linguæ gnariſſimus, iners tamen valde, *Morerio* teſtante, ac deſidioſus erat, niſi ſtimuli ſubjicerentur. Qua de cauſa factum, ut pauca ſuperſint ſcripta, quæ teſtimonium de viri maxima eruditione exhibere poſſent. Vix enim *Polybii* opus de arte militari, ut latinitate donaret, perſuaderi potuit, cum præ cæteris longe tamen aptiſſimus ad hujusmodi verſiones conficiendas omnibus viſus fuerit. Librum de veris Græcarum literarum formis ac cauſis apud antiquos Pariſ. 1536. & orationes Francofurti 1573. in Catalogo Biblioth. Oxfortinæ ſe vidiſſe annotat *Bælius*. Epigrammata Latina & Gr. Baſ. 1537. excuſa eſſe *Geſnerus* in Biblioth. ſua affirmat, ut & Simlerus, qui ea cum tractatu de Caſtrorum metatione apud Rob. Winterum An. 1537. Baſil. prodiiſſe diſtinctius ſcribit: Hæc de Laſcari dicta in præſens ſufficiant. Fontes, unde ea hauſta maxima

ex

ex parte, memoramus, Clr. Buddeum in Lexico P. III. IV. cujus verba: Man hat ihm auch viel wegen der Correction in denen Buchdruckereyen zu dancken/ in primis huc pertinent. Quemadmodum & Bælius sequentibus eadem in re utitur in Lexico suo verbis. Il entendoit bien le Latin, & n'avoit pas dedaigne, d'êtreCorrecteur d'Imprimerie, adde Almeloveénium in Vitis Stephanorum, 8. Amstel. 1683. p. 140. Chevallerium p. 194. Morhofii Polyhistorem. Maitterium p. 168.

Johannes Lonicerus.

ACutissimus Literatorem excipiet Philosophus, qui primum hujus cœli spiritum hausit An. 1499. *Arternæ*, quod oppidum Comitatus Mansfeld. Patre genitus optimo, at matura morte filio subtracto, unde a Vitrico durius non raro habitus, jam a teneris fortunam novercam tolerare necesse habuit. Hujus se subducturus disciplinæ rigidiori Islebiam se primum contulit, ut in iis, quibus a Vitrico prohibebatur, re-

bus melioribus ſtrenue pergere poſſet. Cum paupertate tamen ibidem conflictatus maxima, itidem mala diutius tulit, fecitque multa puer, ſudavit & alſit, imo ſitiit, eſcuritque atque alia moleſtiſſima quoque devoravit. Interea vero ad inſerviendum ſibi aliisque ad vitam neceſſaria comparabat, præceptorum maxime benevolentia, ſtudio ſuo, obſequioque ſibi conciliata. Rudimentis illic poſitis, Erfurtum contendit, inde tamen Lutheri & Melanchthonis fama incitatus, paullo poſt Wittenbergam abire conſtituit. Quo facto ibidem ob Ingenium, Sedulitatem & Zelum in cauſa religionis ſacrum, viris, antea laudatis graviſſimus fuit amicus. Qui amor deinde admodum crevit, cum *Camerario* & *Melanchthoni* in *Lexico Gr. Latino* locupletando ſtrenuam navaſſet operam. Poſtea Friburgum Brisgaviæ deductus linguas orienti olim & nunc communes aliquandiu ibidem docuit. Anno vero vix unico elapſo, Argentoratum, monente *Nicol. Gerbelio*, *adiit*, ac ſuaſu *Melanchthonis* Gr. nonnullos

nullos codices, inprimis LXX. Interpretes & Novum fœdus, itemque Homeri opera, omni ſtudio vertenda; ſibi ſumſit. Simul vero etiam, quaſi ſubſecivis horis Catechiſm. Lat. adv. *Tezelium*, Indulgentiarum nundinatorem, acriter defendit. Eidem Lonicero Lutheri ſcripta per multa Latine e German. Lingua reddita debemus, quæ ut & alias plures aliorum lucubrationes apud *Schürerios*, imprimi curavit, ſua vero non minus, quam aliena omni ſtudio correxit, prelique vitia emendavit. Idque poſtquam ex profeſſo per quatuor, & quod excurrit, annos, peregiſſet, atque laboribus his interea peractis per ora Doctorum circumvolitaret, *Marpurgenſes* eum, ut Græcas in ſuo Athenæo profiteretur literas, evocarunt. Ipſe vero petitis haud illubenter annuit, qui lautiorem diu circumſpexerat fortunam, & pretium ex prelis redundans rebus ſuis domeſticis non ſufficere expertus erat. Namque & uxorem duxerat atque adeo familiam augeri, ejusque incommoda perſentiſcere cœperat. Cum

Conjuge igitur Marpurgum discessit, & ad finem usque vitæ illic quoque substitit. Atque idem ille fuit, qui primus Baccalaureos in alma hac Universitate, 1530. creavit, & multis admodum honoribus mactatus est. Ad Theologorum siquidem subsellia elatus pari industria ac fide per 21. annos huic præfuit muneri, donec An. Chr. 1569, d. 20. Julii ætate gravis morbo correptus, & interrogatus, an dormire vellet? Responso dato, jam indormiscam, placidissime exspiravit. Parentatorem habuit *Johannem Pistorium* illum, Niddanum, Medicum & Apostatam deinceps famosissimum, cujus ultima verba notanda videntur, quibus inquit:

Sancte Senex, salve æternum, celeberrime scriptis,
æternumque vale, Celsis Pars maxima olympi.
Salve iterum, rursumque vale, superadditе Divis.

Quibus laudibus haud indignum fuisse, ut alia multa ita scripta potissimum testantur, quæ cum Freherus enarravit fuse, nonnisi commemorare placet, quæ

quæ ſunt potioris momenti. De ſanctorum cultu: Exegeſis Theoduli, veteris cujusdam Græci Theologi in Ep. ad Romanos: Explicatio figurarum & Ceremoniarum Veteris Teſtamenti, & illarum ad Chriſtum accommodatio: Methodus Græcæ Grammatices, Rhetorices Latinæ. Conciones variæ: Epithalamia: Epicedia: Epigrammata & alia plura, quæ uti dictum plenius alibi recenſita videre licebit. Vide igitur Adami Vitas Philoſ. Freherum, *Boiſſardi* Icones. Noſtrum erit potius nunc ſubnectere filium. Sequitur ergo

Adamus Lonicerus.

QUi cum natus ſit *Marpurgi* Haſſorum An. Chr. 1528. d. 10. Octobr. corrigendus *B. Kœnigius* erit, qui in *Bi*bliotheca ſua Anno 1500. lucem aſpexiſſe tradidit, qua tamen aſſertione firmo talo ſtante, Pater a filio non niſi unico diſtaret anno. Sed hæc obiter. *Bo*ni patris bonus etiam fuit filius, nam ab eo, ut ingenuis inſtructus eſt artibus, ſic, ut cum doctrina pietatem conjunctam ſemper coleret, pariter fuit edo-

ctus. Crevit itaque mature animi & corporis viribus, ita quidem, ut anno vitæ decimo tertio *B*accalaureus; decimo vero sexto sapientum Magister publicis applausibus renunciatus fuerit. Quaterna ætate, ut in cursu feliciter cœpto alacriter pergere posset, a Patre *Francofurtum* ad Mœnum missus est, ut de recta alios instituendi methodo edoceretur. In hac amplissima Civitate a *Jacobo Mycillo* humanissime exceptus, multum in Eruditione solidiori profecit, atque deinde etiam, ut Scholæ urbicæ operam docendo daret, oblata est conditio, id quod mandatum divino nutu acceptum ratus, maxime cum gaudio executus, pro virili Spartam suam ornavit. Deinde vero Medicum, quod amabat, studium, Scholasticis laboribus impeditum sentiens, ne stadio hoc excideret, & horas subsecivas ei impendere posset, *Osterodi*, Experientissimi Medici liberos informare cœpit, sperans, fore, ut major Patris liberorum, Benevolentia, Fides, & Amicitia & in se suaque studia exinde proflueret. Sed eo beneficio

neficio non diu admodum frui noſtro licuit; Siquidem *Marpurgum* ad *Mathe*maticam Profeſſionem curandam invitatus, novis curis occupatus per aliquot annos illi muneri præfuit. Quinquennio elapſo gradum in *Medicina* ſummum eſt conſecutus, ac paulo poſt nupſit filiæ *Chriſtiani Egenolphi*, qui inprimis Francofurti rem Typogr. tractabat. *Moguntiam* paulo poſt accerſitus, ut Medicinam illic exerceret, quaſi pertranſitum ſocerum Egenolphum inviſens, forte tunc *Graphius Medicus* Civitatis Francofurtanæ diem obierat ſupremum. Curante igitur Egenolpho ac ſuadente, Senatui officia ſua, hac data occaſione, obtulit, paratumque ſe eſſe, ſiquid induſtria ſua præſtare poſſet Reipublicæ commodi profeſſus eſt. Placuere *Magiſtratui* conditiones, atque ſic ad ultima usque fata negotia egit publica, quæ a *Medico* expectari poſſunt. Quemadmodum vero Reipubl. præfuit medendo, ita quoque Socero laudatiſſimo Egenolpho parem fidem ac diligentiam exhibuit. In ejus vero

officina ad tollenda menda, quæ in pagellis impreſſa occurrebant, continuam quoque diligentiam exercuit. Idque etiam opus ac ſtudium Egenolpho calcar ſubdiderat, ut *Lonicerum* alio contendentem Francofurti retinuerit; quippe quem jam antea juniorem in iisdem negotiis aliquandiu deſudantem & ſolertem cognoverat. Atque adeo hunc etiam, cum hactenus aliis crediti eſſent iidem labores, commodius certiusque a Lonicero ſuo fieri poſſe putavit. Nec fefellit eventus ſpem conceptam; nam, etſi diſtrictus multis rebus fuerit noſter, attamen otio quocunque ſibi dato, prelo & ejus puritati promovendæ ſedulo inſerviit, ad finem Soceri usque vitæ. Ipſe vero terminum vitæ ſuæ tandem An. 1586. d. 19. *M*artii adeptus, & a laboribus indefeſſis ad cœleſtem & æternam requiem evocatus fuit. Ut vir præclaræ Eruditionis ipſe, ita & ſcripta nonniſi præclariſſima appellare neceſſe eſt. Qualia ſunt: Introductio Latina in Arithmeticen, Aphoriſmi *Hippocratis* a *Foreſio* explicati An. 1551. it. 1554. 8.

Bota-

Botanicon ſive Hiſtoria Plantarum, animantium, Metallorum, Succorum, &c. Herbarum vernacula lingua ab *Euch. Röslein* inceptum, a noſtro vero abſolutum ac typis mandatum An. 1540. 4. Hiſtoria naturalis, cui quædam accedunt, deſtillatitiorum liquorum ratione, ejusque artis, & inſtrumentorum ratione An. 1551. T. II. apud Egenolphum, ut reliqua omnia excuſa, & quæ cum aliis aliorum libris iſtorum temporum diligentes Loniceri ſenſere manus. Poſthumum opus eſt Methodica explicatio omnium corporis humani affectuum 1594. 4. & de purgationibus LL. III. per Teucrum Annæum Privatum, 1696. Francofurti 8. vid. Adami in Vitis Medicorum. Boiſſardus P. III. Iconum, &c.

Paulus Manutius

CEleberrimi Patris non minus clarus filius. Habuit enim genitorem *Aldum* illum, cujus nomen maximo apud Eruditos in honore eſt, & cujus vitam edendam, uti e Sileſia ſpes facta eſt, anxie deſideramus. Idque cum ob alias

alias cauſas communes, tum vero maxime, quod exiſtimamus filii & nepotis fata ſimul in ea illuſtranda, & notabiliora nobis ſuppeditanda, quam quæ brevibus hactenus Jovius & ex eo Freherus aliique tradiderunt. Nec etiam in præſenti compendio multa a me, niſi hinc inde congeſta, paria tamen cum iis, quia brevitati ſtudendum eſt, expectari poterunt. Pueritiæ annos transegit ſub moderatione morum & doctrinæ, tum Patris ipſius, tum aliorum *Magiſtrorum*, in quibus *Eraſmus Roterodamus* claret, cujus informatione cum in Patris familia breve tempus viveret, uſus eſt. Ab his igitur omni fide edoctus, magnum orbis literati tandem præbuit lumen. Quamdiu in familia paterna idem vixit, tamdiu, quamvis in matrimonio jam conſtitutus, adſtitit ei in opere Typographico, corrigendo præcipue, tum vero etiam aliis negotiis agendis. Atque id etiam non ſine cauſa graviſſima, nam diligentiam accuratam requirebat Aldus, quippe qui interdum aliquot dies unica plagula excudenda

cudenda dicitur insumsisse, idque ex nimio timore, ne vitium remaneret qualecunque Typographicum. Neque immerito: Succedente enim tempore, ii, quibus editiones librorum repetere placebat, neglectis ut plurimum *Manu*scriptis, ad impressos codices recurrebant, expressuri secundum istorum fidem suos. Quo facto repetitis erroribus non nisi corruptos haberemus scriptores, quo tamen timore veteres Typographi optime nos liberarunt, quibus etiam laudes debentur nulla temporum oblivione corrumpendæ. Hujusmodi etiam negotio expoliendi bonorum virorum scripta noster Paulus, ut aptissimus fuit, ita lubens præfuit, favoremque omnium Doctorum adeo meruit. Famam inde nominis & per Patrem & doctrinam suam consecutus, a Bononiensibus, ut Academiam urbis suæ excudendo ornaret, expetitus, sine mora eorum desideriis satisfaciens, per sex integros annos officinam instructissimam illic locorum habuerit. Ab hinc denuo migravit *Venetias* susceptu-

rus

rus patris & *Andreæ* ejusdem ſoceri officinarum curam, adornare easdem pro virili cœpit, librosque maxima copia ex ea præſtantiſſimos emiſit. Habeo ex his orationes *Themoſthenis* Partibus III. excuſas, atque ſigno paterno Delphino nempe Anchoram amplectente ornatas, Anno 1554. 8. excuſas, cujus libri partitertiæ in fine nihilominus additum eſt, impreſſa hæc eſſe volumina in ædibus Pauli Manutii Aldi filii. In fronte vero ſingulis partibus adjecta verba legi poſſunt: *Prodiere corrigente Paulo Manutio.* Ex quibus denuo prono fluit alveo, non Manuſcripta ſolum eum reſtituiſſe, verum etiam Codices ipſos a ſphalmatibus purgaſſe, cujus laboris eum adeo non puduit, ut potius omnibus patefecerit, quid quantumvein ejusmodi libro ſibi faceſſiverit negotii. Atque ſane optandum eſſet, ut Correctores priorum temporum omnes, ſua ubique addidiſſent nomina, ut cunctis appareret, quanti viri præclariſſimi in operibus ſudarint, & de codi-

codicibus ipſis, eorumque pretio, quo habendi & æſtimandi eſſent, eo melius conſtaret. Interim tamen Paulum noſtrum ita amaſſe operas Typographicas, ut reliqua ſtudia neglexerit, non audeo affirmare, imo non raro querelas tuliſſe eum conſtat, quod abductis ab aliis rebus fere ſolum huic rei vacare cogatur. Unde in Epiſtola III. L. I. An. 1553. jamjam ſcripſerat: *Collegi ipſe me, nec ſolum ſtudiorum meorum, quæ intermiſeram potius, quam dimiſeram, verum etiam rei familiaris, cui niſi conſulerem ipſe quoque jacere ſtudia neceſſe erat, habendam mihi rationem duxi. Quo conſilio in patriam reverſus, retuli me omnino ad veteres meas tum legendi, tum ſcribendi Exercitationes: Sed tum in domeſtica re inſtituenda, tum in emendandis antiquorum libris diſtrictus, poſtea vero etiam erudienda duodecim nobilium adoleſcentium Academia per triennium occupatus, quantulam habuerim excolendi facultatem eloquentiæ, quantumque in tantis temporum anguſtiis per eam, quam ingreſſus eram, latine ſcribendi viam procedere*

dere potuerim facile, ut opinor, est existimare. In alia vero Epistola ad Anton. Nattam scripta Libroque tertio numero 34. occurrente ita scribit: *Menda quædam deprehendi nimis fœda, nec ejusmodi, ut dissimulari possint. Cujus incommodi causam Tibi puto non latere: Sæpe enim hic, dum inprimitur, vel emendationi nemo præest, vel præesse solet homo mercenarius, & parum literis instructus & is, cui pecunia, quam fama sit antiquior. Nos tamen & quia de existimatione laboramus, & quod Te nimium diligimus ob tuam probitatem, nimium colimus, ob Eruditionem enitemur & contendemus, quantum feret acies oculorum nostrorum, ut satis in hoc genere fiat tuæ voluntati. Ad quam Tu me diligentiam tacite vocas in tuis literis: Laudas enim, & Aldi filium agnoscere Te dicis* Hujusmodi igitur curis involutus *Romam*, a nescio quo, ut ipsius Manutii verbis utar, præmiis commotus & blanditiis captus atque irretitus, abductus est. Illic aliquot menses inani officiorum genere consumserat, & ille quem secutus erat, montes

aureos

aureos promiſſos in minimis vix præſtiterat, conſilii & Itineris hujus iniri pœnitere cœpit. Argentei autem typi & 4000. Ducatorum annui ſtipendii loco promiſſi erant a Pontifice Pio IV., quibus verò an ſteterit P. Maximus, non ſolum verba nunc recitata, verum altum de iis ſilentium Manutii dubitare merito jubent. Interim tamen per decem annorum luſtra, pari gratia Pio V. & Gregorio XIII. in ſe propenſis Spartam ſuam diligenter ornavit. Liberrimus inter hæc noſtro erat aditus, & uſus Bibliothecæ Vaticanæ, cui & præfectus aliquandiu fuit, unde Manuſcripta varia, præcipue illa, quæ Heidelberga venerant, producta reſtituit, emendavit, atque typis ſuis vulgavit, quos codices omnes ipſe luſtrans ab erroribus preli purgare ſolebat. Interim tamen ne ſicquidem contentus Romæ vivere poterat, ſed ob varia illic locorum ſibi diſplicentia non niſi in patriam redire ſtuduit. Notanda inde veniunt verba in Ep. V. L. IX. ad *Johannem Cratonem* exarata, in qua, hoc, ſermone, ſuum ſtatum Romanum

deſcribit: *Laborabam, inquiens, domeſticis incommodis, fratrum meorum culpa, nec ſpes erat emergendi, niſi nova conſilia caperentur. Vocabar a P. M. quo nihil videri poterat honorificentius: Fructum autem quis non expectaret? Cohortabantur ampliſſimi viri, quorum erga me ſingularem benevolentiam multis rebus antea perſpexeram. Læta denique copioſa, ampla ab omnibus omnia promittebantur. Quid agerem? Credidi & ſperavi, ut fere ſumus omnes homines hoc ingenio, ut ea quæ cupimus libenter quoque ſperemus. Quanquam hoc levius, quod ſpem fefellerit eventus: non tam enim abundare, quam non egere gratum eſt, illud perquam grave, quod perpeti ſæpe multa ſum coactus indecora prorſus, indignaque ſtudiis noſtris, ætate noſtra, exiſtimatione antea parta. Nunc ſingulari divino munere patriam adepti, redibimus ad illa præclara ſtudia, &c.* Ex his & ſimilibus facile colligi poterit, quanta animi voluptate Venetias An. 1570. noſter redierit, utpote in quo loco ob cœli ſalubritatem priſtinæ valetudini ſe reſtituendum fore credi-

credidit, nam inedia, morbo, mœrore, ad horribilem prope maciem Romæ redactus erat. Dum itaque cum laribus ſuis viveret, quotidie labentibus viribus ſibi unico vivere cupiens, ſubducturus ſe multis multorum alloquiis, amœnitatem & ſalubritatem ſecutus, Genuam proficiſci in animum induxit ſuum; ſed accidit, ut contra voluntatem ſane An. 1571. & præter opinionem Mediolani conſiſteret. Ineunte tamen Anno ejusdem Seculi ſeptuageſimo ſecundo iterum Venetias, atque inde Romam, ante ſibi adeo inviſam, denuo migravit. Reliquerat iſthic nubilem filiam ſacris, quanquam invitam, commendatam virginibus reducturus eam erat ad nuptias. Neque id, ut ex mente aliorum loquar, omittendum erat, nam vi illa in Monaſterii clauſtra detruſa, huic vitæ adſueſcere vix poterat, atque idcirco carnis voluptate abrepta, ſive vi, ſive inſidiis ſtructis, ſe inde prodituram minabatur. Ne igitur rabie ducta ſcelus tantum, quale a Pontificiis habetur, perpetraret, multum negotii faceſſivit

patri Manutio, ut inde ſalva cucullatorum amicitia eriperet. Pugnare quodammodo cum his & præcipue cum iis, quæ de libidine fœminæ dicta ſunt, videntur verba, ad Camillum Palæottum ſcripta Ep. IV. L. XII. *Unicam*, inquit, *filiam, inter ſacras virgines educatam, non hebetem ingenio, nec paucis, niſi me fallit amor, virtutibus inſtructam, juveni optimo ſatis honeſti loci, haud poſtremi ordinis in jure Civili, addo etiam, quod hodie potiſſimum requiritur, a fortunæ bonis non imparato, meis reclamantibus, de ſententia tamen fidelium amicorum, deſpondi, &c.* Neque tamen hac ratione ſanatam illam eſſe ſcriptores affirmant: Etenim nihilominus, ut malæ ac libidinoſæ fœminæ ſolent, peſſime & illa vivere non deſiit. Quæres, ut Pater, mærore inde contrecto, pertriſtem & calamitatibus continuis obrutam vitam augeret in cauſa fuit, eoque factum, ut, variis morbis & oculorum præcipue vitio vehementer auctis, affligeretur, & de Roma denuo deſerenda cogitaret. Retentus enim ibidem erat a Gregorio

XIII.

XIII. iisdem fere, ut antea datis promiſſis, quibus fide habita, majoribus corporis & animi malis indies obrutus, tandem ſeptuagenario major An. Chr. Thuano teſtante, 1574. octavo Iduum Aprilis ultima fata expertus eſt, nullis omnino divitiis in hoc orbe, præter gloriam nominis, & ſcriptis, quibusdam apud plerosque relictis. Quod doctrinam hujus viri attinet, erant, qui laudabant, erant etiam, qui culpabant. Et quidem ob latinæ linguæ peritiam in cœlum usque a non paucis extollitur, alii vero facultatem latine ſcribendi, & promptitudinem prædicant, ſed iidem in eloquendo ac ore facundo proferendo a pueris ſex annorum fuiſſe ſuperatum perhibent. Imo etiam naſutus ille cavillator Scioppius, pro more ſuo, vocabula quædam minus latina in Epiſtolis Manutianis ſe reperiſſe, non ſine verborum contumelia ſcripſit. Verum hanc litem meam nunc non faciem, quamvis illud facile cum viris doctiſſimis approbem. Er ſey ein rechter Wörtlein-Krämer / Wurm-Schneider und

Nachäffer Ciceronis geweſen / ita ut etiam integras Periodos ex eo ſuas fecerit. Attamen præſtantiſſimi quoque largiuntur, quod ex primis ille fuerit, qui Romanam eloquentiam, & puritatem Italos recte docuit. Epiſtolarum ejus paſſim proſtant L. XII. Harum prima editio ipſo autore præfante Coloniæ An. 1569. octo ſaltem libros complexa prodiit. Altera Veneta eſt, qualis & tertia & quarta eſt, Anno 1573. undecim libris abſoluta. Ultimus vero liber a filio Aldo poſt fata patris additus cenſetur. Stilo omnes conſcriptæ ſunt terſiſſimo, ſed nihil fere continent, niſi mera verba de rebus domeſticis, & aliis inutilibus, aut honorificis compellationibus & adulationibus, agentia. Easque ferunt tanta accurata diligentia exaratas fuiſſe, ut uni interdum Epiſtolæ concinnandæ aliquot impenderit menſes, ſpatio inter ſingulas lineas amplo facto, cui omiſſa hactenus inſerere poſſet. Neque etiam cuiquam reſcripſit, niſi qui pari elegantia phraſium & conſtructionum utebantur. Præter has ejus 4. etiam

ſunt

ſunt Annotationes in Ciceronis Rhetoricam, Epiſtolas familiares ad Atticum, orationes, & officia. De gli Elementi & di molti loco notabili effetti 4to Venetiis An. 1557. Judicium de Poëtis: Breve opuſculum de antiquitatibus Romanis: De Veterum dierum ratione: Calendarium Vetus Romanum: Apophthegmata: Adagia. De Civitate Romana: De Senatu: De legibus Romanis: De Comitiis Romanorum, quæ ſcripta hodie rarius comparent. Carmina ejus inveniuntur in Tom. II. Deliciarum Italicarum. Ciceronis opera prodiere ex ejus officina nitidiſſime, quæ editio Manuſcripto optimo æquiparanda eſt, & omni pretio charior æſtimanda, vel eo nomine, quod ab ipſo Manutio emendata & correcta fuere. Antequam ad alios progrediar, conceſſum erit ſine dubio paucis de filio Pauli, *Aldo* nempe, eodem officio Correctoris mihi laudando. Natus hic eſt Venetiis & patrem a juventute ſecutus omnis iſtius fortunæ & Eruditionis particeps factus eſt. Unde induſtria ſua Genitorem in

officina ejusdem Typographica non ſine laude juvare ſolebat. Verum his rebus mox ereptus, Bononiæ primum, deinde Piſæ docuit. Romam poſtea a Xiſto V. citatus in Gymnaſio illius urbis ſplendidiſſimo publice profeſſus eſt, eo tamen ſucceſſu, quem illi habere ſolent, qui facundia oris non pollent, & ſua de charta ſine affectu prælegere ſolent, ut nempe ſine auditoribus vel ſoli tempus lectionibus conſtitutum in ambulacris deambulando terendum fuerit. Atque ſic rebus ſtantibus in aulam Vaticanam vocatus Typographicis laboribus vacavit, libros, qui imprimebantur a ſuis nævis liberando, usque tandem ex hac vita migravit, Libris & a patre acceptis & a ſe auctis, per teſtamentum Piſanæ Academiæ traditis, ubi in hunc usque diem & multitudine & bonitate clarent. Atq; ita ad alios transeo, ex quibus recentior nunc prodit, nempe

Gabriel Maier

POëta feliciſſimus, ſed in orbe erudito ad hanc usque tempeſtatem, non

non ita, uti dignus fuit, clarus. Natus eſt *Urbonis* ad Lacum Bodamicum in Helvetiorum agro Anno 1639. d. 1. Febr. Unde & vulgo Noribergæ, der Schweitzer Mater / dicebatur. Patrem veneratus eſt virum honeſtiſſimum, Johannem Georg. ejus loci mercatorem. Juvenis ludicra ſerio, quam pro ætatis ratione fieri conſueverat, tractans, jam portendebat mature, quid ſera ætas ferret. Hinc in juvenilibus, quisnam futurus ſit prodens annis, ad literas diſcendas idoneus ſuis viſus, ſedulo iisdem dare operam cœpit. *Stenium* primo oppidum, poſt *Fevertha-lium* & tandem in Gymnaſium *Scaphuſienſe* miſſus eſt. Feliciter ubique jactis ſtudiorum fundamentis, patre An. 1650. piâ ex vivis erepto morte, mater in Noricas abiit. Erat illa Urſula Ortelia nata Holzſchueria, quæ patritia eſt Civitatis & generoſa familia. Ea igitur cum Noribergæ ſibi ſedes figeret conſtantes, filium quoque, quem ſecum adduxerat, fidis hujus urbis tradidit ſtudiorum & morum formatoribus. A quibus etiam

præcipue a *M. Georgio Widero* Rectore Scholæ ad Spiritum S. omni Eruditionis ſolidæ apparatu inſtructus fuit. Altdorfium poſtmodum contendens Artium Liberalium & politiorum meditationibus, adjecto Juris ſtudio induſtria maxima incubuit; Literis tamen elegantioribus & Poëſi inprimis vacans. Tandem decurſu Academico fere abſoluto, fauſto omine ab Endteris, qui noverant Virum Vitæ ſedentariæ amantem, oblatum ei eſt munus corrigendi ſphalmata Typographica a prelis ſuis ſuorumque commiſſa. Accepit promiſſa *Majerus*, inter pactus certum & æquum pro labore pretium. Atque inde cum Endteris de Republ. liter. meritiſſimis, lætus quæ agenda erant, & fide laudabili inde ab Anno 1673. peregit, Bibliisque præcipue ex officina iſta prodeuntibus operam ſedulitate ſua navavit. Labor iſte tanto magis viri hujus indoli exoptatus, quo magis ſedati erat ingenii, & ſuis Muſis vivere conſueverat ſine ſtrepitu, unde & conſtanter illi inhæſit. Et quanquam perſpecta ſatis eſſet

inter

inter omnes *Majeri* doctrina, atque hinc Procerum Reipublicæ clementia officia quædam publica nonnunquam essent oblata, ut lautiori fortuna, si voluisset, uti potuisset; noluit tamen unquam altius adscendere, contentusque fortuna sua vixit. Adeo quidem, ut aliquando Senatori munus quoddam benigne offerenti, responsum dederit: Unicum se illud optare ex animo, atque exhiberi sibi velle, ut a Vigiliarum ad portas publicarum onere, quod per singulos menses, ordine, nonnisi unica vice ad cives singulos redit, imposterum immunis esset. Eoque facili negotio impetrato, ingenti beneficio se affectum existimans strenue in emaculandis Endterorum libris pergens eruditosque amicos subinde invisens, omnium Civium sibi favorem amoremque contraxit. Quem non parum auxit singularis illa facultas, qua cum primis pollebat contexendorum extempore carminum, latino præsertim idiomate conscriptorum; Eo quidem successu, ut Anno 1674. Cal. Maji in convivio ignoranti

ranti rei futuræ a viro per orbem celebri *Sigiſm. a Bircken* Palatii Lateranenſis Comite & Societatis ad Pegneſum florigeræ Præſide ſpectatiſſimo, dudum debiti conceſſi fuerint honores Poëtici. Hinc Laurea ornatus Poëtæ a laudato paullo ante Societatis Moderatore in numerum Collegii receptus, cognomen Palæmonis adeptus eſt, ſub quo integumento in variis ſcriptis a dicto Collegio *cujus nunc ſummus Præſes Illuſtris noſter Fürerus eſt*, editis, latet. Ad rem domeſticam quod attinet, duas in matrimonio ſibi junctas habuit uxores, alteram *M. Jac. Tydæi* Eloquentiæ & Poëſeos P. P. Altdorfini filiam, alteram *Svventeri* Senatoris iſtius oppidi gnatam, quæ adhuc in vivis ſupereſt. Eo rerum ſtatu vitam protraxit ad annum usque nonageſimum atque nonum præcedentis Seculi, quo morbo laboribus contracto, ſupra modum ſedendo confectus vivendi finem pio obitu fecit. d. 19. Febr. annos natus ſexaginta. Carmina quæ maxima copia & numero ad fata usque ultima concinnaverat Sociis Colle-

Collegii Poëtarum ad Pegneſum poſtremis teſtamentis tabulis legavit, quæ tamen diligenter quidem ſervata, neſcio quo fato, æquo an iniquo non facile dixerim, laudabili conſortio erepta, nunc in manibus ejus ſervantur, a quo neſcelus prodatur, eorum in lucem protractio, niſi per plagium forte, vix ſperanda erit. Unicam his dictis addo obſervationem, quæ ad mores viri Beati ſpectat, ſolitos. Nimirum ejus Carmina fluentibus & pronis deliciis nunquam magis abundaſſe, niſi quando ea vino quodammodo & mediocriter imbutus tinctusque compoſuit. In eo enim rerum & corporis animique ſtatu inter complexus & oſcula, Amicis multo numero exhibita, quicquid conabatur dicere, verſus erat. Ex quibus duo ſaltem ſpecimina hoc loco exhibuiſſe ſufficiat. Et prius quidem, quo ab Alumnis Norico-Altdorfii viventibus candelarum quarundam, beneficentia Inclytorum Curatorum Academiæ diſtributorum, munuſculum mellitiſſimo ſibi expetiit carmine

Tem-

Temporis cuicunque cari, Furibus cariſſimis,
Amicis in Alumneo degentibus
S. & O.

Vos o qui partem ſolido de Sole ſoletis,
Sæpe mihi gratis demere colloquiis?
Candida, candelas igitur date, Pectora. Nam quos
Juſtius appellem? Damna repenſa volo.
Luminibus proferte diem, tenebrasque moleſtas
Pellite. Nox mors eſt, eſt mihi vita dies.

Alterum vero ex autographo ejus, Philotheceæ cujusdam amici conſecratum, ita habet:

Dextera, Care, tuum mea poſcis ut imbuat Album,
Vis in nominibus nomen habere meum.
Invitus facio, fateor Tibi, nomina cuiquam
me debere piget; Libera Vita placet.
Servitium vero cultura fidelis amici
Adſtrictam penitus cui decet eſſe fidem.
Hæc ego jam meditor: Sed Tu me moribus aureis,
devinctum pridem jam Tibi prorſus habes.

Te

Te Muſæ, Te Phœbus amat, chorus omnis amorum,
Ipſum diſpereat, ſiquis amare nequit.
Quid moror & moror? Cui pridem dedita mens eſt.
Huic fidam negitem qua ratione manum?

Ex his, ſi & cetera evulgarentur, quanti ſint futura præſertim elaboratiſſima nonnulla facile intelligere licet. Igitur

Ne deſint fas eſt, laus, merces, præmia, grates
Sicubi ſollicitus ſudat in arte labor.
Fas eſſet, fateor, pia ſi mactetur in aris
Victima Majero, qui decus Helvetiæ:
Qui mundos Mundo transmiſit ſæpe libellos,
Expurgans fida, ſordida ſcripta manu.
Aſt Tu, quid poſces? Hic fama reclamat in orbe;
Ac ibi ſumma ſalus. Sat Tibi laudis erit.

Phi-

Philippus Melanchthon.

MIraberis quidem ſine dubio, benevole Lector, & hunc comparere inter Correctores. Sed comperta nos eloqui ex ſequentibus patebit, ubi inter fatorum ejus varios caſus hanc quoque ſtationem ad tempus fuiſſe animadvertemus. Equidem vitam ejus jam delineavit optime, ut nihil ſupra, amiciſſimus *Philippo, Joachimus Camerarius*, Lipſ. ap. Vœgelin, 8. An. 1566. quæ editio reliquis omnibus, Belgicæ nempe in 12. & Lipſ. in 8. forma præſtat, inter quas poſteriores, quod menda ſint ex inclyti Polyhiſtoris *Carpzovii* Ædilis Lipſ. manu annotatum vidimus fere innumera, & cum ſtupore cognita, vetuſtiorem æque ac Vœgelianas omnia anteferre recentioribus quibusque de novo confirmati ſumus: Ipſa vero Philippi deſcriptio exemplum omnibus eſſe debere, qui curricula Vitarum exaraturi ſunt, credo, neminem in dubium vocaturum eſſe: Nihil enim omiſſum eſt, quin potius literaria varia &

Eccle-

Eccleſiaſtica hinc inde inſperſerit iis temporibus memorabilia. Unicum tamen deſideratur, quod partium ſtudio laboraverit Camerarius, & quacunque occaſione arrepta Philippum excuſarit, etiam in iis, in quibus aliquo modo ſaltim culpandus veniebat. Unde etiam in *Matth. Flacium*, & omnes Melanchthonis adverſos, non raro detonare admodum ſolet. Neque illud laudandum, quod parce in ſcriptis Philippi, placitis iisdem addictus, indicandis autor celeberrimus fuit. Sed mihi in præſens, ut de hiſce copioſius judicem, non incumbit, ut potius ſecundum inſtituti rationem de pauculis inde excerptis, huc referendis cogitandum ſit. Natus An. 1497. *Brettæ* d. 16. Febr. Patre *Georgio* Schwartz-Erd / id quod nomen, uſu tunc Eruditis communi in Melanchthon mutatum poſtea eſt. Ob feliciſſimam indolem, ac indefeſſo ſtudio, ardentibusque precibus ad magnum Eruditionis gradum provectus incomparabile totius orbis Literati decus factus eſt: ut qui Principem omnium Doctorum to-

tius Europæ ſuo tempore appellandum cenſuerint. Triviis Scholaſticis ſepoſitis *Heidelbergam*, atque Baccalaurei titulo ibidem inſignitus *Tubingam* di„ ſceſſit, ubi, ut verbis Adami utar, Ty„ pographicæ officinæ *Anſelmi* aliquan„ diu Corrector præfuit. Excudebatur „ tunc, illud grande Volumen Hiſtoricũ „ *Naucleri*, quod nonniſi farrago hinc „ inde congeſta a *Cl. Struvio* dicitur: In „ hoc multa, quæ corrupta erant, ipſe „ emendavit, mutila multa complevit: „ confuſa in ordinem redegit: Obſcuris „ lucem reddidit, effecitque, ut is la„ bor, qui antea erat farrago verius, „ quam integrum Hiſtoriæ corpus, po„ ſtea & a multis adpeteretur & magna „ cum utilitate legeretur, prodiit vero „ An. 1516. fol. Et huc etiam verba „ Camerarii ſpectant, pag. 16. concurrentia. Librum autem hunc exprimendum ſuſceperat *Thomas Anſelmus*, qui officinam Typographicam habebat Tubingæ. A quo perfectum fuit, ut & illius ſcripti, & aliorum, quæ a ſe ederentur, curam reſpectumque Philippus ſuſci-

ſuſciperet, quo prodirent correctiora. Poſt hæc fundata Academia Wittenbergenſi, Princeps *Fridericus*, ut ſe reliquis Doctoribus ibidem adjungeret Philippus ab eo petit. Hanc conditionem ſuadente *Capnione* arripiens, Tubinga non ſine luctu Eruditorum & Typographi ſui diſceſſit, ut qui multa officinæ ſuæ ornamenta ab eo futura perſuadebat. *Norimbergæ Pirckhameri*, Lipſiæ vero *Moſellani* & *Crotti* amicitias ſibi conciliavit, hæc enim loca in Itinere tranſire neceſſe habebat. Wittenbergæ vero celeriter omnium in ſui admirationem rapuit animos & incredibili proclivitate cœpit amari. Græca illic primum docebat, & in religionis negotio conjunctiſſime cum *Luthero* vivere cœpit, & viciſſim ab eo, ut ut dignitate, & annis ſuperiore dilectus eſt, qui nunquam etiam deſiit, ut fratrem in Germanum Melanchthonem dum vixit colere. Luthero abſente, & *Caroloſtadio* tumultuante, varia quidem capeſſivit negotia, in quibus tamen agendis nunquam non taxandum in eo fuit,

quod conatibus iſtorum hominum, non ea, qua par erat animoſitate, reſtitit, ſed vel quietus reſedit, vel ulcus ipſum tangere nimia meticuloſitate veritus eſt. Sed cui non dictus *Hylias!* quo etiam pertinet, quæ de Calviniſmo ejus ſubtili, cui faviſſe dicitur, paſſim circumferentur. Illud paucis, quæ autem perſonam ſpectant, de iis Camerarium breviter omnium complexum audiemus: *Fuit ſtatura brevis, non tamen brevitate notabili, membrorum compoſitio plane elegans, frons explicata & ardua, inſignis vena quadam ampliore in illa eminente, capillus rarior, collum procerum, jugula inſigniter concava, oculi pulchri, & acies horum mirabiliter clara, pectus ſatis amplum venter & Ilia adſtrictiora. Omnium partium corporis & integra & vera ſua figura, & congruens erat ſoliditas.* Immodeſtius pronunciata ſunt, quæ *Jacobus Balde*, Socius Collegii peſſimi Jeſuitarum, eleganti verſu, ſed peſſimo animo, & male volentiſſimo in III. Tomo Carminum in Apologia Pinguium n. 61. ita cecinit:

Zuving-

Zuvinglius! atque ipso nigrior carbone Melanchthon;
Ultimus hic adeo squallens, ut præter haberet
Ossa nihil, visum post restim ex cannabe torta
Fugisse a furca delapso fune putassent.
Hic tamen acer erat Romani nominis hostis,
Et quia non Asinus rudis omni carcere pejor,
Hic etiam Grajo potuit rudere ore diserto.

Addam etiam curiosum Patris familias documentum a Philippo capiendum: Nempe cum aliquando a peregrino quodam inviseretur inventus ab eo cunas motitans, & cum mirum hoc illi visum esset, officium is Patris familias prudenter & doctè advenæ novo tanta suavitate oris expositit, ut multo doctiorem cum ad cunas sedendo dimiserit, quam admirabundum admiserat. Liberalis de reliquo in pauperes, benignus & non raro prodigusque, omnibus charus, nemini inimicus &

minus forte pacificus. De quo animo in Religionis nimis remiſſo celeberrimum aliquem Theologum Wittenbergenſem dixiſſe memini. Er wäre ſo furchtſam geweſen / daß man ihn mit einem Schaafe hätte zum Dorff hinaus jagen können. Durius *Johannes Affelmannus*, Roſtoch. Theol. in diſſert. de Philippiſmo fugiendo, 1619. excuſa inter alia de eo ita dixerat: *Multas Philippo dari a Calviniſtis laudes hyperbolicas & ementitas, quibus magis eum ſuſpectum reddiderunt, oneraruntque, quam ornarunt. Philippum primo fuiſſe omnino purum atque orthodoxum, media ætate publice optimum, privatum vero atque inter familiares malum, ſub poſtrema vero vitæ fata inconſtantem & Heterodoxum.* Quæ verba ſi ad lapidem Lydium revocantur, & num excuſari poſſit *Melanchthon*, inquiratur; Tunc utique conſtabit ad annum usque 1535. probum atque immaculatum fuiſſe, verum poſterioribus temporibus in Cap. doctrinæ de S. Cœna non nihil ceſpitaſſe & à puriori dogmate receſſiſſe videtur. Unde etiam

etiam varii discipuli ejus eodem veneno conspurcati in suas redeuntes, idem & aliis instillare conati sunt, quales etiam in Norica nostra Civitate latuere, ut *Manutius Hellinus* Superintendens, de quo peculiari & prolixa dissertatione Altdorfi excusa actum est, *Laurenzius Dürnhofer*, Antistes Ægidianus, & *Henricus Fabritius* Schmidlein / dictus, & alii etiam ex proceribus. Nec dubium est omnes motus â *Crypto*-Calvinistis Wittenbergæ postea excitatis ab eo in suam sententiam & obtorto sæpe collo tracto ortum habuisse. Neque id mirum: Etenim *Luthero* mortuo omnia dependebant a nutu Melanchthonis, ab eo vero quid nisi ejusmodi obscura, quæ antea vivo Luthero, quam fieri potuit, studiose occultaverat, expectari poterant. Excusatur quidem a nonnullis sed â paucis. Neque rectius de mente ejus constare poterit, si literæ ad *Calvini* placita spectantes ab eo datæ, sunt perlectæ, ex quibus, qui exercitati sunt facile, quantus viri hujus fuerit â priori integritate lapsus deprehendent, de quibus

tamen in Celeb. V. E. Lœſcheri Hiſtoria motuum P. II. & Joh. Chriſt. Wendeleri diſſ. de Vitis demeritis aliquot Virorum celeberrimorum in Eccleſiam Altdorfi excuſa uberius legi quædam poterunt. Mihi paucis de extremis *Philippi* dicendum eſt; Obiit ille Malo Hypochondriaco diu vexatus, Wittenbergæ diebus Climactericis anno ætatis 63. An. Chr. 1560. Tumulatus eſt in templo, quod arci Wittenbergenſi adjacet, ex oppoſito B. Lutheri, quæ monumenta Imaginibusque ſupra impoſitis ſtatura ad vivum â *Luca Cranachio* depicta, ſarta ſalvaque in hanc usque manſere diem. Quod ſupereſt tanta eſt adhuc horum virorum veneratio apud omnes, ut etiam peregrinantes picturæ ceruſſa nomina ſua inſcribant, quæ ſæpe tanto numero appicta reperiuntur, ut aboleri a Miniſtro templi opus ſit, ne pictura ex iſtis maculis corrumpatur. Quam tamen inſaniam Orthodoxorum Wittenbergenſium, ut & illam, quam ludunt in extollenda ad cachinnum usque Lutheri Cathedra in omnibus fere titulis diſputationum

tationum conſpicienda, non raro præcordia ſaniorum moviſſe non dubium eſt. Scripta noſtri Melanchthonis in laudata diſſ. M. Wendeleri ſub præſidio Venerandi Sontagii habita enarrata habebis, præſtantiora ſunt: Commentarii ejus in Danielem & in Epp. Paulinas: Summa Doctrinæ Eccleſiarum Orthodoxarum: Loci communes: Objectiones & Reſponſiones Polem. IX. Voll. 8. a Pezelio editæ, multis Polemicæ Theologiæ Syntagmatibus hodiernis, vel ob ſtyli nitorem, quem aliqui cum Theologia non putant conciliari poſſe in pretio habendæ, & in primis hujusmodi ſcriptis collocandus. Epiſtolarum Tomum I. & II. An. 1580. & 84. Peucerus edidit, tertium Pezelius, quartum & quintum Joh. Saubertus, a quo appendicem etiam ad quartam partem An. 1645. Noribergæ luci expoſitam eſſe conſtat. Extat & Volumen in Belgio excuſum An. 1647. Lugd. B. it. Literæ ad J. Camerarium miſſæ 8. a Vœgelino Lipſiæ impreſſæ ſunt. An. 1569. Sunt etiam Chytræi Epiſtolis, Melanch-

thonis aliquot annexæ. In Camerarianis autem varia occurrunt de filiæ Melanchthonis Sabini uxoris amoribus extra conjugium vagis, non ſine famæ Patris detrimento, judicante Kortholto, quô etiam affirmavit ſe legiſſe in aliquibus Epiſtolis Philippi nomina, Carmina Sabini occurrentibus, quos is in animo habuerit ob turbas Germaniæ in Palæſtinam abeundi ibidemque verbum divinum prædicandi. De reliquis omnibus utpote in vulgum notis ſileo, lectoremque remitto ad Adami Vitas Theoll. & Philoſoph. Bælium Tom. II. p. 2090. Teiſſierium T. I. p. 201. qui Scriptorum Melanchthonianorum numerum definit 95. Camerarium in Vita. Freherum & alios. Sic nihil impediente calamo noſtro ſe offeret

Simon Milangius

NAtione Gallus Seculo XVI. claritate nominis conſpicuus. Poſtquam in juventute multa ſuſtulerat acerba & oppido moleſta, ut iis fieri ſolet, qui egeſtate attriti ex aliorum vel fortunæ

Libe-

Liberalitate vivere coguntur. Nihil ominus tamen noſter ope ingenii ſui ad illud culmen Eruditionis adſcendit, ut ob doctrinam, & ſingularem in ſtudiis elegantioribus notitiam Collegii Guinenſis ſive Aquitanici in Gallia florentiſſimi Rector fuerit conſtitutus. Id quod munus communi Eruditorum Reformatorum ſacra amplexorum ſuffragio acceptum ſummo etiam cum omnium applauſu geſſit. Invaleſcente vero potentia Pontificiorum & Patrum præcipue Societatis Jeſu in iſtis regionibus longè latèque ſua authoritate graſſantibus, & Scholas Hæreticorum, ut credebant malorum Seminaria rapientibus, effectum tandem eſt, ut & noſtro *Miſangio* de munere ſuo vel nolenti cedendum eſſet. Submotus igitur ab hoc officio, quod recte adminiſtraverat publico, cum de alius generis negotiis cogitaret, Typograghicæ Artis amore captus eidem ſe dare conſtituit. Primum quidem aliis ſaltem ejus rei cultoribus operam conſecraverat ſuam, dum plagulas, quas illi excudebant, ut

munda

mundæ puræque fierent, purificare ſuſceperat, poſtquam verò in ſtabulis iſtis everrendis & purgandis diu, ut Hercules ſudaverat, ipſe officinam conſtruere intendit. Neque infeliciter conſilium ſuſcepit, mox enim typis comparatis, omnia ad opus bene & cum laude gerendum neceſſaria conquiſivit, eoque brevi tempore rem omnem addixit, ut inter primos Typographos Galliæ haberetur *Melangius*, cum propter doctrinam, tum verò etiam ob ſingularem & indefeſſum literis inſerviendi conatum. Præcipuè verò de eo prædicabatur, quod uteretur typis admodum acutis, charta candore marmoribus ſimili, atramento nigro, & quòd maxime aureo quaſi lapillo notandum, nihil omnino excudere, nihil emittere unquam in lucem, niſi quod ipſe ſuis revidiſſet & perſcrutatus eſſet oculis. Quam ob rem quod ipſe potiſſimùm ſcripta omnia correxit, quæ haberet imprimenda digniſſimus nobis viſus eſt, qui cum oporino mox memorando *Golzio* aliisque in eundem venire cenſum poſſit. Qua in re

re præeuntem habemus Illuſtrem Monaſterienſem Decanum, & Weſtphaliæ ſuæ decus *Bernh. Mallinkrotium*, qui ob eandem cauſam, ubi in ejus mentionem honorificam incidit ad Correctores Eruditos, quorum perpaucos nominat, referre neutiquam dubitavit. Eumque ſecutus benevolus Lector porro, ſi vacabit, evolvat, atque dictorum fidem plus ſatis inveniet, in erudito opuſculo de ortu & progreſſu Artis Typogr. pro Germanis adv. Gallos de dignitate iſta concertantem. ed. Col. 1640. 4. p. 96. conferatur etiam *Pauli Patris* Profeſſ. Mathem. Gedan. diſſ. de German. Miraculo optimo maximo typis literarum 4. Lipſiæ 1710. exc. p. 80. Huic ſtatim ſubjungatur

Franciſcus Modius.

NAtale ſolum Flandriam, & Brugenſem in ea Civitatem coluit, in qua Anno 1556. ſtirpe procreatus nobili, nobiliori verò prædituis ingenio fuit. Puer optimæ & generoſæ indolis optima quæque ſperare de ſe jubebat Parentes.

tes. Quare literis melioribus a teneris unguiculis consecratus magnos & ingentes in iis progressus fecit. Domo egressus & Patria Coloniam petiit, ibidemque *Carolo* Comiti ab Egmond servitia, qualibus juvenes nobili prosapia orti adhiberi solent præstitit. Anno elapso transiit in familiam *Adolphi Hermanni Rideselii* Hassiacæ Aulæ summi Gubernatoris, atque postea ad Comitem suum reversus, ab eo in Belgium ablegatus, nulla re eorum, quæ in mandatis habebat, impetrata in Germaniam solus remigravit. Ita *Joh. Posthio* de meliori commendatus ejus intercessione *Erasmi Neustetteri* Præpositi Coburgensis per triennium usus est beneficentia. His autem abeuntibus patriam dulcissimam repetens bellorum truculentorum rabieque vastatam & miserrimam reperit. Atque adeo urbem quoque natalem ingressus, nonnisi in ea Martis invenit filios dirimentes cunctaque vastantes: Deplorato lugubri rerum statu tristis hinc iterum discessit, relictis quæ hæreditario ad se pertinebant jure aliorum potestati.

Quo

Quo facto in Germania Amicos, ut ſpes erat, ſibi conciliaturus *Francofurtum* venit, neque etiam infeliciter ibidem Vitæ ſuæ ſuſtentandæ proſpexit, variis hinc ſibi ſuisque Muſis conciliatis Patronis. In his *Sigismundus Feyerabend* celebris Typographus ducentos Imperiales ſingulis annis ſe ſoluturum viro ſolertiſſimo ſpondebat, ſi emendaret libros, qui ex officina ſua prodituri eſſent. Placuit res *Modio*, accepit promiſſa ac omni ſtudio prelis ſatisfacere laboravit. Nec defuiſſent etiam alia commoda ſuccedente tempore ex amore Principum ad eum redundatura niſi Anno 1587. peſſimo Conſilio, ut animi erat varii & fluctuantis, in patriam redire in animum induxiſſet. *Bonnam* enim cum tranſiret, quæ urbs à Gallis vi dam expugnata erat, omnibus peregrinis hoſtium crudelitati expoſitis, noſter etiam *Modius* in truculentorum militum manus incidit, veſtimentis amiſſis graviter vulneratus, captusque, & non niſi grandi à Jacobo Campio expenſa pecuniæ ſumma, libertati reſtitutus fuit.

His

His aliisque fortunæ procellis acceſſit ſingulare infortunium, quod aliquando a Cane repetitis morſibus *Antverpiæ* in crure dextro admorſus ſubiit, & hoc modo vitæ periculo iterum expoſitus fuit. Quibus rebus cum duriori ſæpius conflictatus fortuna, cum fulmina ejus interitum ſibi minari cenſeret, nec tamen, quibus ea mala tam inſolita, tantaque frequentia irruentia promeruiſſet, animo ſecum concipere poſſet impia de Deo cogitare tandem cœpit. Negare ſcil. auſus, quod omnia regerentur ſapientiſſima divina mente, atque providentia, Deique conſilia in iis rebus haud eſſe ratus, ubi malis bene, & bonis male ſit. In tanto diſcrimine igitur vitæ & animæ poſitus cum celeberrimo *Lipſio* ſua mentis ſenſa communicavit, & ab eo Philoſopho Stoicis Principiis imbuto, omni quo potuit conatu & labore rationibus allatis in viam reductus eſt. Eaque collatione tam feliciter Modius ſanitatem mentis denuo adeptus eſt, ut Philoſophi in morem omnia, & bona & mala æquo deinceps perferret animo.

Tan-

Tandem poſtquam denuo *Francofurti* & *Antvverpiæ* prioribus laboribus, corrigendis nempe libris, vacaſſet, Canonicus Audomari factus eſt, paullo vero poſt ex hac ærumnis plena vita migravit ad vitam tranquilliorem An. 1599. quanquam ſint, qui Annum 1598. commemorent, imo etiam *Kœnigius*, annum emortualem, incertum quo auctore, fuiſſe affirmat 1697. Diſcrepantibus ergo ſcriptoribus certum quid definire vix licebit, nec multum etiam ſcire refert, quanquam B. in Kœnigii Bibliothecam vel ſaltem errorem typographicum commiſſum fuiſſe putem. Specimina Eruditionis, quæ reliquit, ſunt: Pandectæ Triumphales fol. Francofurti 1586.: Poëmata laudato Neuſtettero inſcripta: Lectiones Nov-antiquæ: Notæ in Frontinum, Ælianum: Modeſtum: Vegetium: Emendationes Curtii, Juſtini, Livii, &c. vid. Adami Vitas Philoſ. Freheri Theatrum & Swertii Athenas Belg. p. 247.]

Wolfgangus Muſculus,

THeologus Seculo XVI. clarus, natus *Duſæ*, Lotharingiæ oppido, ob Salinas, quas habet perquam noto, An. Chr. 1497. menſe Sept. eodem anno, quo Melanchton, atque ideo cum eo in noſtro recenſu conjungendus. Multas tempeſtates, & procellas fortunæ adverſæ ſubiit, quas tamen omnes fortiter ſuſtinuit. Patrem nactus eſt *Antonium* doliarium & Civem laudati oppidi, a quo ingenue educatus, atque omni Pietate fuit innutritus. Poſt domeſtica Tyrocinia in Scholas peregrinas miſſus, *Ruppersvillam*, *Seleſtadium* & *Coloniam* hinc reverſurus a Præpoſito Monaſterii cujusdam S. Benedicti in oppido *Weſtrich*, ad vitam Monaſticam eſt invitatus, cui probitas morum, & ingenii bonitas perplacebant. Hoc facto ſpei de ſe conceptæ reſpondentem agebat in Clauſtris vitam pro ratione temporis & inſtituti, pium ſiquidem & ab omni luxuria & moribus monachorum tunc vigentibus alienum ſectatus morem,

morem, ita quidem, ut ludentibus ſæpe numero reliquis, feria ille ſolus meditaretur, & deambulando plus ſibi lætitiæ creari, quam laſciviendo exiſtimaret. Inde otio honeſto dato bonis literis ſtudens, cum aliquando in Bibliotheca Cœnobii *Ciceronis* opuſcula, & *Ovidium* reperiſſet, amore carminum ſtruendorum ardere, atque huic arti operam dare cœpit, eoque progreſſus, ut mox carminis pangendi Princeps haberetur. Linguam Græcam ex fundamento primum non didicerat, neque latinam ut triſtia in his rebus tunc erant tempora. Unde *P. D. Huetius* in libro de Claris Interpretibus ſiniſtrum admodum de eo tulit judicium, *quod nempe vir quidem bonus, ſed Græcæ linguæ imperitus fuerit, imo neque latina valde inſtructus, ut niſi a ſimplicitate & fide commendandus veniat.* In utraque tamen rectius deinceps profecit, & Hebrææ Linguæ notitiam tantam hauſit, ut fontes ſacros & obſcuriſſimos Rabbinorum Commentarios intelligere potuerit. Hæc itaque & alia, illudque præcipue

dum promtè ex ſacra Cathedra verba ad populum faceret, effecerunt, ut ei facultas publice dicto modo diſſerendi data fuerit. Quo etiam munere variis in locis non ſine laude perfunctus eſt. Atque ita feliciſſima dies illuxerat, qua Anno poſt Chriſtum natum 1518., lectis *B. Lutheri* ſcriptis, in tenebras Religionis Pontificiæ altius penetrans, in veritatem Evangelii conſenſit, eamque & alios poſtmodum docuit, unde fere nonniſi Lutheranus à ſuis appellatus eſt Monachus. Quare cùm in Monaſtico ordine tutus eſſe haud liceret, nec veritati etiam locus daretur, relicto ſodalitio, uxorem duxit, atque *Argentinam* noctu, ne interciperetur, demigravit. Verùm quid ageret noſter? Res erat anguſta domi; neque enim ex Monaſterio quicquam attulerat, neque cum uxore acceperat largam dotem. Exemplum igitur Pauli ſecutus textorium opificium ſibi eligens per aliquot menſes Magiſtro cuidam ejus opificii *Anabaptiſtarum* ſectæ addicto operam dedit. Conjugi verò, ut interim paria officia, ancillæ

ancillæ more, aliis opulentioribus exhiberet, ſuaſit. Sed mox his etiam valedicens operis Senatum Argentoratenſem in foſſis & aggeribus Civitatis ampliandis occupatum adjuvare conſtituit, ut vel ſic honeſto modo inopiæ ſuccurreret ſuæ. Verum enim vero ante opus ſuſceptum, ut ſingulis diebus Dominicis in pago urbi vicino, *Dorlizhemiam* vocarunt, ſacra facere, juſſus erat. Poſthæc Argentinam, inde Auguſtam Vindelicorum ad publica docendi munia ſuſcipienda diſceſſit, ibidemque religionis negotia, omni animi ardore, & indefeſſo ſtudio tractans, mirum quantum Eccleſiam Dei amplificavit. Crevit interea ut officiorum amplitudine, ita honorum titulis & doctrinæ Excellentia, & propterea multis colloquiis intereſſe juſſus eſt, in quibus celebriora ſunt *Donavverthenſe*, *Iſenacenſe*, *Wormacienſe*. Denique decretorum pro Interim recipiendorum violentia compulſus, ſtatione ſua clanculum abiit, atque *Baſileam* ad Calvinianorum caſtra transfugit. Atque in hac tandem urbe

Typographiæ præcipua nutrice, uti jam antea aliquandiu in variis locis fecerat, per longum tempus correctioni plagularum à *Frobenio* excusarum, vacavit, quæ servitia etiam Herwagiis pari alacritate præstitit, ita ut per singulas horas non rarò vel viginti plagulas, re festinationem poscenti, inspectas, absolverit. Nam non rarò ita concurrebant paginæ, ut circumspectus iis videretur, quibus omnibus tractandis nonnisi *Musculus* ob alacritatem & accuratam doctrinam sufficiebat: Inter singularia notandum est, quod suæ curæ credita habuerit, ut aliorum Patrum scripta, sic nominatim *Hieronymi* opera, in quibus restituendis repugnandisque à *Socio Sigismundo Gelenio* diu multumque sudavit. *Hervvagio* verò in edendis Chrysostomi operibus occupato, ea de fide suppetias tulit, cui editioni An. 1539. absolutæ V. Tomis, ut & priori Hieronymianæ, præfationem doctam præmisisse Eruditis constat. Posthæc *Constantiam*, ubi uxorem reliquerat, profectus, tandem variorum ad munera Eccles. eum vocantium,

cantium, desideriis repulsis, *Bernæ* consedit, ibidemque ad vitæ ultimam usque horam permansit: Eam verò diu expectatam An. 1663. d. 30. Aug. obtigit, quo die lethali morbo decumbens, animo ad extremum habitum præsentissimo ex hac vita migravit. Ejus prostant versiones aliquot latinæ Commentariorum Chrysostomi in Epp. Pauli ad Romanos, Eph., Philipp., Basil. ap. Herwagium 1536. Transtulit etiam quædam Basilii, item Cyrilli, Sozomeni & Evagrii: Ipse scripsit Commentationes in Genes., Psalmos, Matthæum, Johannem, in Epp., ad Rom., ad Corin., Gal.: & Ephes., Philip., & Coloss., & Thessal., quæ posthuma fere sunt ejus scripta. Edidit præterea Locos Communes: Explicationem Decalogi: Dialogos de Concilio Tridentino, &c. De quibus videatur Adami in Vitis Theol. p. 367. Freherus in Theatro p. 196. Bælius in Lexico T. II. p. 2162. Teissierius in Elogiis pag. 232. Reimmannus in der Einleitung P. III. c. 1. p. 231. Claudit hoc elementum

Marcus Muſurus.

TErtium nominamus Græcorum clariſſimum, prioribus *Laſcari* & *Chalcondylæ* neutiquam poſtponendum, ſed æquiparandum per omnia, in quibusdam & anteponendum. Hic pariter erat ex illorum numero, qui *Turcarum* poteſtati cedere coacti in peregrinas emigrarunt terras. Sodales primarii enim fuere: *Beſſarion Cardin.*, *Emanuel Chryſolorus*, *Demetrius Chalcondylas*, *Theodorus Gaza*, *Johannes Aggropylus*, *Georgius Trapezuntius*, *Michael Marullus*, *Johannes Laſcaris*, & noſter *Marcus Muſurus*. Ex eo autem, dum viri hi omnes & ortu & doctrina haud infimi lubentes ad ſacra Pontificiorum tranſiere, facile cognovi, quam parum non raro religio Græcorum a Romana differat, & quam prona ſit omnia ab hac ad illam prolabendi, quicquid dicant iſti, quibus interdum inter Evangelicos vivere contingit. Quanquam non negandum, ſpem honorum ſuſcipiendorum apud Papicolas, ubi faſtus mundi regnare

gnare ſolet, non parum ad horum virorum tranſitum contuliſſe, utpote qua facillime iſti homines, tenaciſſimi aliàs in ſuis ſententiis defendendis, alliceri & in obſequio conſtineri poſſunt. Quamdiu enim Græcis dabis, tamdiu gratus eris acceptusque, fac vero periculum, nec in omnibus eorum reſponde dogmatibus & petitis, tunc inimiciſſimos per tot vitam experieris. Ego certe in conſuetudine quadam vixi cum quodam Græci nominis viro ſatis apud nos claro mihique amico, qui aliquot annos â patria, quod illis dulciſſimum ſolum eſt, vel quaſi exul, diu in *Germania* vixerat, variaque hinc inde acceperat beneficia, quæ quanta etiam fuerant, tanta tamen ab eo non æſtimabantur, qui majoribus ſe haud indignum judicaret. Imò memini ea interdum illum protuliſſe de noſtris Germanis, eorumq; ſtudiis, præcipue Græcis, quæ huic albo tradere timeo. Præcipue verò *Halenſibus* & Theologis quibusdam, iis inprimis, qui orthodoxi haberi viderique cupiunt infenſum admodum fuiſſe reperi.

Sed ſit venia arrogantiæ iſtorum hominum, nam eo in vitio in unum quaſi conſpirare videntur. Noſter certe *Muſurus* luculentum ejus rei exhibebit documentum. Ille, cum univerſam fere *Græciam* ſub jugo Turcarum ingemiſcentem vidiſſet, *Candiam Inſulam*, quam olim *Cretam* appellârunt, & patria noſtri erat, relinquens, fortuna ſua ventis commiſſa, ſibi ſuisque ſtudiis conſulturus, aliorum veſtigiis inſiſtens, *Italiam* amœniſſimam petiit, ac *Venetias* primum adire conſtituit. Ingenii fretus felicitate & dexteritate, ibidem mox inclaruit, & paullo poſt toti *Italiæ* in oculis eſſe cœpit, poſtquam ſcriptores quosdam Græcos, ſuis interpretationibus illuſtratos, atque â ſe ipſo in Typographiis correctos, cui operæ tunc deditus erat, publicæ expoſuit luci. Meruit inde Virorum Doctorum communia de Eruditione ſuffragia, ex quibus vel unum huic opellæ inſerere placet; Rhenani nempe in Vita *Eraſmi* verba: *Nihil erat*, inquit autem, *tam reconditum, quod non aperiret, nec tam involutum, quod*

quod non expediret Muſurus, vere Muſarum Cuſtos & Antiſtes: omnia legerat: excuſſerat omnia: Schemata locutionum, Fabulas, Hiſtorias, ritus Veteres ad unguem callebat. Hanc tam conſummatam Eruditionem inſignis Pietas commendabat, &c. His igitur in Societatem literarum communem meritis effecit, ut ab Illuſtri Veneta Republica munus in Academia Patavina publice docendi, ipſi fuerit concreditum. In ea ſtatione fideliſſime etiam, quantum potuit valuitque, diſcipulos erudivit ſuos eo quidem ſucceſſu, ut nimio concurſu ſtudioſorum facto conclave tandem non ſufficeret ad frequentiam tantam capiendam, ſed amplificandus locus eſſet. Id quod recentiori ævo *Johanni Meurſio* Lugduni Bat. contigiſſe legi, ad quem audiendum tantus concurrebat numerus, ut locus auſcultantibus vix relictus fuerit, qui tamen poſt hæc ita imminutus eſt, ut non raro duobus ſaltem vel tribus verba faceret præſentibus. Amplius de Muſuro noſtro teſtimonium *Eraſmi Roterod.* adducendum ducimus in Epp.

L. V.

L. V. XXIII. hunc in modum ſcribentis: *Patavii neminem vidi celebrem, mortuos tantum commemoro, præter Raph. Regum hominem admodum natu grandem, ſed cruda viro, viridisque ſenectus. Erat tum, ut opinor annis ſeptuaginta, & tamen nulla fuit hyems tam aſpera, quin ille mane hora ſeptima Marcum Muſurum Græce profitentem audiret, qui toto anno vix quatuor intermittebat dies, quin publice profiteretur. Hiemis rigorem juvenes ferre non poterant, illum ſenem nec pudor nec hyems abigebat ab auditorio. Muſurus autem hic ante Senectutem periit, poſtquam ex benignitate Leonis cœperat eſſe Archi-Epiſcopus, vir natione Græcus, nimirum Cretenſis, ſed latinæ linguæ usque ad miraculum doctus, quod vix ullo Græco contigit, præter Theodorum Gazam & Johannem Laſcarim, qui adhuc in vivis eſt,* &c. Tanta fuit Muſuri diligentia & exiſtimatio, ſed non minor animi elatio hinc facta, omnium virorum doctrina illuſtrium opinionem permagnam animo ſuo concipiens, & ſibi proponens, atque ex ea re creſcente ſupercilio & cupidi-

cupiditate incredibili plus ultra tendendi, cum Venetias huic ſpei vix reſponſuras cerneret, relictis dignitatibus & laboribus *Romam* conceſſit. Illic cum Poëma quoddam Græco ſermone in laudem *Platonis* conſcripſiſſet, quod poſtea operibus præmiſſum eſt, amicitiamque & gratiam *Leonis X.* P. R. conſecutus eſſet, ita, ut non ſolum facultas data ei fuerit, a Collegio illuſtri Romano Græca publica authoritate profitendi, verum etiam tanti habitum fuit viri ſtudium, diligentia ac fides, ut Papa *Archi-Epiſcopum Malanzianum* poſtmodum creaverit. Attamen vix ad hunc honoris gradum adſcenderat ecce! ut Græci ſolent, majoribus ſe adhuc dignum ornamentis judicans, eaque illico ſecutura autumans, nihil niſi, ut in Purpuratorum numerum reciperetur, habuit in votis, eaque ſpe diu ſuſtentatus eſt. Vana autem illa perſuaſione ex eventu cognita, non enim unquam cogitaverat Pontifex de iis honorum titulis & juribus Muſuro concedendis: Unde noſter tandem ſibi ſuisque Civi-

Civibus imo universæ patriæ ignominiosum fore ratus, suam conquestus fortunam, & indignitatem re desperatæ, mœrore contracto, cum mox in ipsum vultum serperet atra lues, expiravit. Et quidem, postea quam paullo ante exitum ex hac vita, cum triginta aliis a Papa pileo rubro fuerat condecoratus, teste *Jovio*. Quem tamen alii hydrope laborâsse, & nunquam honoribus istis imbutum, diem supremum perhibent obiisse. Anno â nato Christo 1517. Quod mortale erat humo, gloria vero nominis æternitati, consecrata est. Vivit etiam hucdum & ob alia & ob industriam in vertendis, corrigendisque Scriptoribus Græcis diligentiam incredibilem; de qua in Vita *Lascaris* verba ex *Almeloveenii* vitis Stephanorum excerpta hoc loco possent repeti. Unde quoniam Lector paginas revolvens, facillime breves illas denuo poterit inspicere lineas describere hic supersedemus. Paucis restat de scriptis Musuri quædam, ut addamus. Extant ejus Epigrammata Venetiis Anno 1500. ed.

itemque

itemque *Ariſtophanes & Athenæus*, quos primus correctiſſimos protraxit in lucem & correxit apud *Aldum*: Præfatio in Etymologicum magnum procuſ. An. 1499. Venetiis per *Zachar. Calliergium*, cui Typographiæ, uti in hoc opere, ſic in aliis variorum doctorum ſcriptis emaculandis operam ſuam Epanorthoticam per longum tempus conſecraverat. Sepulchro inſculptum fuit Epitaphium ſequens:

Muſure manſure parum, properata tuliſti
Præmia: namque cito tradita: rapta cito.

Inſpiciant qui plura de Vitæ fatis & varia fortuna ejusdem noviſſe deſiderant, Buddei Lexicon T. III. p. 585. Voſſium de Poëtis Gr. ad ejus nomen: Bælium T. II. p. 2168. Pierium Valerianum de infelicitate Literatorum ed. Lipſ. p. 268. Morhofium in Polyh. T. I. L. IV. c. 11. §. 6. Maitterius in Hiſtoria Steph. p. 168. &c. Nos nunc vocat ordine ita jubente

Johan-

Johannes Oecolampadius

DE primo hoc Zwingliani dogmatis Sectatore, & pro eo scriptore solicito, cum alibi multa reperiantur consignata a plurimis, paucis in præsenti repetemus. Natus est An. 1482. eodem anno, quo *Georgius Winsbergæ*, & a Patre acceptum nomen German. in *Oecolampadii* Latinum transtulit, quod neminem putamus ignorare. *Heilbrunnam* primum domo missus, hinc postquam & matris precibus, & ingenii sui bonitate, â mercaturæ, cui destinatus fuerat, tractandæ metu liberatus erat, *Heidelbergam* venit, Baccalaureus illic & Magister artium creatus, *Bononiam* profectus est. Cœli tamen Italici insuetus, noxiumque sanitati illud conspiciens, atque mercatore adhuc in nummis pendendis ex fide haud agente, ad suos post breve intervallum, rediit. Studio postmodum Juris ad exemplum *Calvini*, *Petri Martyris*, *Lamberti Danei*, *Th. Bezæ*, *Sadedis & Georgii Sohnii* aliorumque sui ordinis, sepositis, internoque instin-

inſtinctu, ut ſibi perſuadebat, monitus, ſacris ſe dedere literis cœpit, & in Academiam Heidelberg. eum in finem reverſus eſt. Nec multo deinceps Parentibus ipſius *Oecolampadii* ditatis admodum ſingulari fortuna, gratique animi demonſtrandi cauſa Sacerdotium *Winſpergæ* erigentibus, filio id primum committere viſum eſt. Cui functioni adminiſtrandæ, cum nondum ſe idoneum crederet, amplius *Tubingam* migravit, & *Stutgardiam* aliquanto poſt atque *Heidelbergam* tranſiens â *Wolfg. Capitone*, perquam ſibi familiari, *Baſileam* invitatus, ſacris ibidem concionibus habendis ab Anno 1515. præfuit. Eaque occaſione Anno 1516. Doctoris titulo condecoratus, *Eraſmo*, Veteris Eccleſiæ Patrum Repurgatori, adſtando corrigendoque ad tempus ſuppetias tulit. Dein in Monaſterium *Altonis* vulgo dictum, & in *Bavaria* ſitum, ad *Brigittæ* regulas confirmatum, aliquandiu ſe recepit. Sed in Pontificiorum odium ſcripto de Confeſſione libro incurrens, etiam hinc aufugien-

dum fuit, tam propere, ut triduo ante, quam inimicorum ſtructis inſidiis capi debuerit, equis ab amicis quibusdam clanculum ſubminiſtratis, ſalvus atque incolumis ad Nobiliſſimum Virum *Franciſc. de Sickingen* vix elabi poſſet. *Baſileam* ab eo dimiſſus, belli metu priſtinum hoſpitium reviſere conſtituit, ibidemque, ne tempus otio tereret inani, ab *Andrea Cratandro*, Typographo laudatæ urbis optime merito, ad ſuſtentandam vitam in officinam publicam Typographicam receptus, largiter, unde viveret, accepit, ea conditione, ut ſedulam in corrigendis codicibus exſcribendisque navaret operam. Nec tamen huic ſolum intentus erat. Noſter labori, ſed majora, & juxta cum hiſce exercitationibus ſuſcepit agenda, inter alia *Chryſoſtomi* Commentarium in Geneſin, ex Græca in Latinam transfundendo linguam, aliaque plura in lucem protrahendo, quæ ſuperſunt. Quo factum, ut, conſpectis *Oecolampadii* dotibus, a Senatu ad Theologiam prælegendam, & conciones in fano divi Martini haben-

habendas expeteretur. Atque hic via jam ſtrata, dataque libertate, ut ea docere liceret, quæ Scripturæ teſtimonio cognoverat firmata, in eadem urbe feces Papicolarum ex Eccleſia expurgare cœpit, primusque adeo legitur fuiſſe, qui lingua vernacula infantes ſacro ritu baptizaret. Satis quoque eo usque pure profeſſus erat Evangelii doctrinam; ſed exortis litigiis inter *Lutherum & Calvinum* â poſterioris partibus ſtare cœpit. Nec tamen deſiit ſtrenue & Baſileæ, & in Civitate quoque Ulmenſi Pontificiis reſiſtere, ſed Reformatorum placita conſtanter tuendo tanto acrius eliminandis iſtis ſordibus inſtitit. Eoque nomine interfuit diſputationi Badenſi Anno 1527. cum *Eccio* habitæ, nec non in colloquiis celeberrimis *Bernenſi* & *Marpurgenſi* cum Luthero & Philippo pro conciliatione, ſed fruſtra habitis. Tandem Anno Chriſti 1531. d. 21. Novembris (male ſec. *Freherum* d. 1. Decembris) ætate mediocti annorum 49 diem obiit, quem obitum mœror ex bello *Helvetiorum* & miſerrima

Zvvinglii cæde contractus, promoviſſe nonnullis creditur. Epitaphium ejus exſcribere nolui, uti nec pluribus diſſerendum duco de ejus ſcriptis, quæ cum plurima ſint, ideo nec *Freherus*, nec alii ea recenſere voluerunt, ſed diſtinxere in Exegetica, ut in Gen., Pſal. & N. Teſt. in Didaſcalica & Apologetica. Videatur de his & aliis pluribus, ad *Oecolampadii* fata ſpectantibus, oratio *D. Johannis Polani â Polansdorf* de vita & obitu Oecolampadii, quæ ſubjuncta Ejusdem Analyſi Prophetæ Jeremiæ prodiit Baſil. 8. 1606. p. 210. Et pro compendio addatur laudatus Freherus p. 106. & alii Biographi, inter quos *Adami Vhſe*, *Clarmundus* &c. qui in omnium manibus hærent. Nunc progredi licebit ad alios in eodem elemento memorandos viros. Præſtat vero ſe Typographus toto orbe celebratiſſimus

Johannes Oporinus.

NAtus Anno 1507. d. 7. Januarii, patre *Johanne* Herbſt / Pictore. Nomen hoc familiæ hactenus uſitatum filius

filius poſtmodum mutavit, inſignis illius apud Martialem Epigrammatis L. IX. 9. occaſione:

Si daret Autumnus mihi nomen, Ὀπωρινὸς, *eſſem,*
Horrida ſi brumæ ſidera, Χειμερινὸς,

Itemque:

Dictus ab æſtivo Θερινὸς *mihi menſe vocarer,*
Tempora cui nomen verna dedere, quis eſt?

In conceptione macula genitalis, viſo à matre parricida diſcerpendo, & horrore inde exorto, ei fuit impreſſa. Studiorum Magiſtris creditus eo usque profecit, ut poſtmodum à *Theodoro Zvvingero*, Publicus Dei Optimi Maximi contra Anti-Chriſtum & portas inferorum Notarius appellatus fuerit. Latina enim non leviter tantum, ſed & eleganter calluit, neque Græca ignoravit, atque in cæteris literaturæ partibus hoſpes fuit, unde gratus acceptusque omnibus factus eſt Literatorum Doctoribus συγχρόνοις. Neque tamen per totum vitæ decurſum caruit fortunæ adverſæ

verſæ ærumnis identidem ſibi imminentibus. Sub initium ſtatim impeditus in rebus ſuis gerendis fuit per inopiam Parentum: unde adultior etiam, nervo omnium rerum deſtitutus, Argentinam primo, mox Helvetiam, iterum vero Baſileam petiit, ubi Patres aliquot Græcos deſcribendos ſuſcepit, atque *Frobenium* typis a ſua manu eosdem grandibus edicturum ſumtibus amplius corrigendo ſedulo juvit, ob quem laborem magni ab *Erasmo* habitum fuiſſe conſtat. Medicas poſtmodum tractaturus artes, ut eo felicius progrederetur, non veritus eſt, utut jam antea ipſe docuiſſet denuo diſcipulus, magni illius & cum arte tum jactantia famoſi *Theophraſti Paracelſi*. Famulus itaque & Amanuenſis hujus *Thraſonis* factus, plurima pericula ſubiit: Solebat enim iſte vino madidus, qualis non raro erat, ſtricto gladio media interdum nocte per dimidium fere horæ cum larvis non ſine ingenti ſtrepitu, & *Oporini* in eodem cubiculo dormientis metu ac horrore de pugnare. Quibus præteritis excitatus

tus *Oporinus* ex ore Theophraſti excipere jubebatur expedite ſæpius recitata promto calamo, ut dæmonem malum iſta ei ſuggeſſiſſe ipſe etiam Amanuenſis ſuſpicatus ſit. Plurima certe, quamvis adhuc in ſcriniis latentia, ſuperſunt *Theophraſti* opuſcula manu deſcripta Oporini. Abhorruit tandem a Magiſtro impio Noſter, & Baſileam reverſus *Grynæi*, viri optimi & Patroni Literatorum maximi, familiaritatem eſt conſecutus, eo quidem ſucceſſu, ut *Grynæo*, in alium vocato locum, Græcæ linguæ Profeſſionem impetrarit. At Senatus deinceps decreto promulgato, quo omnes Academiæ Doctores officiis ſuis publicis honorum convenientes titulos capeſſere jubebantur, renuens noſter id ſe facturum, Magiſtratu in mandatis perſeverante, ſtatione ſua ultro abiit. Reverſus igitur ad eam artem, quam longe ante, jam corrigendis libris deditus, adamaverat, Typographica negotia exercere cœpit. Tanto tunc temporis fuit in pretio hæc ſcientia, ut tanti etiam viri earum tractandarum non

erubuerint, cum hodie vel mediocriter docti, quales plurimi sunt, ab iis laboribus abhorreant: His igitur intus Oporinus laboribus felici haud successu multa tamen sua culpa usus est, conjugis *Winterianæ*, cum cujus marito societatem operarum inierat, luxu & superbia pæne naufragium facultatum passus est, imò submersus fuisset, ni multis & Herculeis laboribus rem suam labascentem aliquantulum restauasset. Adjutus autem præcipue legitur *Christophori Veitmoseri* Juvanensis liberalitate, quippe a quo Anno 1558. inops vitæ, làribusque traditis mille Joachimicis, fuit restitutus. Multa de reliquo grandia in lucem dedit opera, quæ maxima semper adhibita industria non modo excudebat, sed ipse etiam constanter emendabat omnia, nulloque fere, ut reliqui, usus Correctore, ipse rerum suarum satagebat. De diligentia illa incomparabili verba, quæ *Museo* ipsius inscripta legebantur, testantur sequentia: *Quisquis es, rogat Te Oporinus etiam atque etiam, uti, si quid est, quod a se velis, per-*

perpaucis agas, deinde actutum abeas, niſi tanquam Hercules defeſſo Atlanti veneris ſuppoſiturus humeros: Semper enim erit, & quod Tu agas, & quotquot huc attulerint pedes. Quantacunque tamen fuit Oporini ſedulitas & virtus, omnem tamen Doctorum invidiam evitare non potuit, qui negligentiam viri optimi accuſare haud dubitarunt. Cujus cauſa fuit, quod convolarant ad eum Eruditorum libri incredibili copia, atque hinc ubi cumulum eorum non raro haberet, omnibus ſimul ſatisfieri nullo modo potuit. Quibus rebus cum fieri aliter, quam ut quædam interdum Manuſcripta per aliquot intacta manerent annos, & querelas ab Autoribus ſæpenumero effuſas adhuc legas. Sic inter alios *Hadr. Junius* ſcribit in Ep. quadam, quæ in editione mihi viſa p. 180. conſpicitur: *Commentarium meum in Horatii odas, jam totum quadriennium, aut plus eo Oporinus habet, pollicitus, quamprimum eum prelo tradere, ſed fidei vanus, me invitiſſimo, ſupprimit.* Quam ego &c. & p. 185. eandem repetit querimoniam

ſequentem in modum: *Senſere Horatiani Commentarii hactenus calamitatem inſperatam, ſi non dicam potius indignam ſervitutem, ſupra quadriennium ap. βιβλιώταφον (ſic enim appellare rei indignitas me compellit) Oporinum, hominem Alœadum non abſimilem, qui ut non ſit indoctus, tamen multorum ſcripta eruditiora, unde rem ſperat facere in librariam ſuam officinam, publicanda, ſi Diis placet, congerit, ut nullus ſit modus, ſed eadem velut injectis vinculis, illigata apud ſe aſſervat, ut illi olim Martem compedibus manciparunt, & detinuerunt, atque ita mecum expectationem, & multorum bonorum vota eludit flagitioſe ac improbe.* Equidem nunc non excuſabo cunctationem aut negligentiam viri, ſi modo jure eſt talis dicenda, quæ ex ſcriptorum multitudine orta eſt tarditas: In rebus tamen Oeconomicis ſegniter, otioſe, ac inſtar dormitantis egiſſe, non negabo, unde forte, quis in reliquis fuerit, facile colligi poterit. Nihil notabat, nec acceptos nec expenſos nummos conſignabat, quæ prona ad perniciem

ut

ut plurimum via eſt. Unde poſtquam ſæpiſſime etiam deceptus eſſet, fieri non potuit, quam qui poſtremus fuit eventus, ut 8000. millia æris alieni poſt fata relinqueret. Ita res acta eſt, donec uxoris novæ, quæ quarta erat, inſtinctu officinam ſuam venalem fecit; Quo facto ſignoque, quod *Delphinus* erat, cum inſidente *Arione*, aliis conceſſo, ex ea *Bonifacii Amerbachii* filia, *Ulrici Iſelii* vidua, filium ſuſcepit, cujus nativitate tanta lætitia affectus eſt Oporinus, ut non ſolùm omnibus ſignificaret Eruditis, ſed etiam ex eo tempore omnem in Epiſtolis Oporinulus faceret paginam. Vivere tandem deſiit An. 1568. vel, ut *Mollerus* putat, An. 1578. & alius quidam An. 1579. d. 24. April. Ex quibus tamen priorem numerum eligam, utpote quem, monumentum quoddam tumulo Oporini impoſitum, & a *Vicentio Parravicino* in libro de Singularibus Eruditorum citato, & oratio *Andr. Jociſci* habita, annoque 1569. excuſa, confirmant. Elatus eſt à Civibus Academicis, non ſine omnium

Muſa-

Muſarum luctu acerbiſſimo. Sepultus in ſummo templo, concione funebri cohoneſtatus eſt, habita a D. *Simone Sulcero.* Oratio vero de ejus obitu ab *Andr. Jociſco* Sileſio recitata, excuſa eſt Argentorati 8. 1569. cui Catalogus ſubjectus eſt librorum in officina Oporini impreſſorum, qui itidem prodiit 1571. 8. & Titulum gerit : Exuviarum Joh. Oporini Typographi Baſil. Scripta quæ Scholia ſunt in aliquot Capita Polyhiſtoris *Solini* : Scholia in *Ciceronis* Quæſtiones Tuſculanas : Annotationes ex diverſis doctorum lucubrationibus congeſtæ in Demoſthenis orationes : Onomaſticum Nominum propriorum : Epitome Vitarum Plutarchi à mendis purgata : Annotationes in Heſiodum &c. Ex Epitaphiis variis & plurimis vel unicum, idque breviſſimum, hic poſuiſſe ſufficiat :

Quantula ſint hominum corpuſcula, diſce Viator,
Magnus Oporinus conditus hoc tumulo.

Confer Adami in Vitis Philoſ. p. m. 242. Teiſſerium in Elogiis Tom. I. pag. 337.

Crenii

Crenii Animadverſiones Philol. P. VI. & orationis ſupra laudatæ Autorem, & ſi qui alii laborioſiſſimi viri, qui paſſim ejus mentionem injecere, Biographi.

Johannes Opſopæus.

MEdicus experientiſſimus, & gloria nominis admodum præcellens, quem vitæ initia habuiſſe referunt An. 1556. d. 25. Jul. patria eadem, quæ & Muſarum alterum *Apollinem Melanchthonem* protulit *Bretta Palatinatus inferioris* antea jam memorata. Literis ætati congruentibus imbutus, acriter ad eximia quævis pergere non deſtitit, eoque nomine *Neoſtadienſe* in Vangionibus celebre tunc temporis Gymnaſium adiit. Inde vero dignus a Magiſtro *Fortunato Crellio*, ut ſublimiora ageret, agnitus in Heidelbergenſem Academiam conceſſit. Ubi ad medicinæ latifundia ſcrutanda natura pronus, indolis bonæ inſtinctum ſecutus, multum brevi tempore in iſthoc ſtudiorum genere profecit. Poſtquam vero *Fridericus III.* Mæcenas Academiæ ſuæ ad

cœle-

cœleſtia migraverat gaudia, Alumni quoque cum ceteris plurimis ob ſacra, quæ Succeſſor Friderici diverſa ſectabatur, dimiſſi huc illuc dilabi cœperunt. In his igitur noſter etiam *Opſopæus* Francofurtum ad Mœnum delatus eſt, ubi, licet inveniret etiam alia, quæ ageret, & quibus victum ſibi amictumque procuraret; tamen, quia linguarum atque Græcæ potiſſimum & Latinæ peritiſſimus erat, in Wecheliano Typographeo gratiſſimus fuit hoſpes, atque in illud contubernium cum voluptate ſuſceptus eſt. Tradita igitur ſuæ curæ ſcripta, quæ erant excudenda typis, ſingulari alacritate illic inſpexit, ac ſedulo emendavit, nec mediocres attenta omnium lectione, & examine inſtituto in Literarum ſtudiis ſibi comparavit acceſſiones. Cum verò majoribus ſe parem eſſe peragendis ſentiret, primum quidem *Wechelios*, ob peſtem & bellicos tumultus in Galliæ terminos ſecedentes, aliquandiu eſt ſecutus; poſtea verò, ſibi etiam ſoli, & ægrorum commodis vivere atque ſtudere de novo incepit.

cepit. *Lutetiis* proinde Pariſiorum Medicæ arti excolendæ prope unice indulſit, eandemque per aliquod tempus haud infeliciter exercuit. Quibus tamen poſtmodum & ſiniſtra quædam fata acceſſere, cum ob Hæreticam, ut boni Galli ſomniabant, in religione ſententiam, ſemel iterumque in carcerem detruderetur, quanquam etiam periculis hiſce, atque aliis, non ſine difficultate, ereptus fuerit. Relicta tandem Gallia, Britannia, & terris deinde Batavis perluſtratis, in patriam reverſus eſt, ubi ad Phyſiologiam publice docendam Heidelbergam accerſitus avide munus ſibi demandatum recepit, & pari induſtria ornavit; *Friderico autem IV* Electore Palatino, Ambergam concedente, ſuffectus noſter in locum *Joh. Poſthii* a ſocietate miniſterioque Principis non receſſit, niſi haud procul a vitæ exitu. Ubi repetita Heidelberga, ſtudiorum matre dilectiſſima, vi morbi abreptus, ad ſuperos abiit, cùm nondum ætatis annum quadrageſimum primum expleviſſet An. 1596. Prodierunt

dierunt de cetero in lucem hujus Medici, Philologi & Correctoris eruditi cura aliquot *Hippocratis* ſcripta, quæ emendavit ſumma induſtria, tum notis illuſtrata, & paſſim proſtant, emiſit. Eidem debemus Jusjurandum : Aphoriſmorum Sect. VIII. Prognoſtica Porrheticorum LL. II. quæ omnia, & alia plura ſua manu ad prelum correcta, abunde doctrinam hujus viri demonſtrant. Bene de reliquo diſtinguendus eſt a fratre *Simone Opſopæo* Medico, itidem Heidelbergenſi, annoque ætatis 43 extincto, itemque a *Vincentio Opſopæo* Franco, qui Epigrammata Græcorum quorundam evulgavit 8. Baſil. 1540. ut & Epigramma de arte bibendi, & ſimilia Poëtica. Conf. Adamum in Vitis Medicorum p. 325. Geſneri Biblioth. Freheri Theatrum : Lindenium Renovatum de Scriptis Medicis, auctum & editum a Georg. Abrah. Mercklino, Norimb. 4. An. 1686. p. 651.

Orthui-

Orthuinus Gratius

PRincipis inter eos titulo dignus, qui, Seculo XV finito, inchoatoque XVI, ob fervorem Theologicum singularem, Coloniæ vixerunt, & pro superstitione Sacrorum Pontificiorum sub id tempus ex ea arce, Germanicarum Scholarum primaria, acriter dimicarunt. Varii enim ea tempestate viri doctissimi intimos recessus meliorum literarum scrutati, cœperant, ut ita loquar, desipere, quales *Wesselus Gansfortius Groningensis*, Lux Mundi alias appellatus, *Rudolfus Agricola, & Johannes Reuchlinus* inprimis clarent. In hos ergo libere interdum sentientes, suaque edisserentes placita cum applausu, involarunt agmine infesto cumulatim Scholastici illi Doctores pro suo *Thoma Lombardo*, *Scoto*, & aliis æque barbaris cœtibus, hypothesibusque ac methodis ad sanguinem propugnaturi. Omnium maxime, tanquam pro aris & focis depugnandum esset, Colonienses strinxerunt gladios, condemnaturi scilicet,

quotquot vel hiſcere auderent, contra tot tantaque Eccleſiæ Romanæ lumina. Ab his *Weſſelus* non ſolum Moguntiæ An. 1479. ab Inquiſitoribus Hæreſeos diris proſcriptus, ſed eo etiam prolapſi ſunt furioſo Zelo obſcuri iſti Theologi, ut comminati etiam fuerint, ni Pontifex Romanus in cauſa *Reuchlini & Hochſtratani* converſa ſuis faveret partibus, fore, ut pro capite ſuo ſuum neque Eccleſiæ Pontificem amplius agnoſcerent. Atque horum præcipue fuere *Jacobus Hochſtraat*, *Arnoldus de Tungern*, *Conradus Kollinus* Curator literarum memoratæ Facultatis, *Johannes Horſt de Romberg*, *Theodor. Gandenſis S. Th. Baccalaureus*, *Theodoricus de Gouda*, *Henricus de Geelen*, S. Theol. Profeſſor Colon. & Cœnobii Carmelitarum Prior, & qui inter primos numerandus fuiſſet *Orthuinus Gratius*. Hi, in quam, omnes, unitis conſiliis, conjunctisque viribus, aſſumtis inſuper in Societatem Theologis *Lovanienſibus & Pariſinis* omnem moverunt lapidem, ut *Reuchlinum* quoque ob Hæreſin impoſitam pari acrimonia damnarent. Sed de

his

his litigiis plus ſatis, cum inſtituti ratio plura non poſtulet, dictum. Reſtat ut de *Orthuino Gratio* ſingulatim quædam exponam. Fuit nimirum ille Monaſterienſis Weſtphalus; in qua urbe quidem natus, verum incrementa ſtudiorum *Daventriæ* hauſerat, ubi *Alexander Hegius Eraſmi Roterodami* Præceptor celeberrimus, artium humanitatem publice profitebatur. Mirum igitur videtur, quod, cum ille nugis Pontificiis non cæco aſſenſu inhæreret, ſed acutis non raro inſpexiſſet oculis, abdita Papicolarum arcana, diſcipulus tamen Orthuinus næniis iſtis Scholaſticis mordicus inſiſteret. Multoque adeo credibilius eſt ad ſaniorem quidem mentem Daventriæ ductum, ſed ab ea deinceps Coloniam delatum, reſiluiſſe, & proribus tricis, quibus implicandis natura idoneus videbatur, implicitum eſſe. Unde etiam non raro ob doctrinarum fundamenta, quæ Daventriæ poſuit, poſtmodum Presbyter Daventrienſis appellatus eſt. Namque ætate & viribus inſtructus, ut alios & ipſe doceret,

Coloniæ, non ſine applauſu auditorum, huic negotio, & expectationi, de ſe a quibusdam factæ per omnia, quæ a Theologo Scholaſtico, & Cathedrario, ut Lutherus vocabat, requirebantur, ſatis fecit. Cui dum incumbebat labori, ſubciſivis ſimul horis, vel ſcripta quædam ipſe & in lucem edidit, vel paginas *Quentelio* Typographo impreſſas liberavit ſuis nævis, quibus ſcatebant. Quid verò bonæ frugis ex eo labore redundare potuerit in publicum, præter emendationem leviſſimorum tritorumque ſphalmatum in elementis commiſſorum, non video. Puritatem enim linguæ Latinæ ab eo reſtitui poſſe, ſi qua ceſpitatum fuiſſet, creditu difficillimum mihi videtur, quandoquidem *Orthuinus* barbare ſatis & ipſe ſcriberet. Inter hæc vero illa ſunt geſta peractaque certamina, in quibus poſtquam lites inter *Reuchlinum* & Colonienſes Theologos exortæ fuerant, potiores partes ſibi datas vana opinione perſuaſus credidit *Orthuinus Gratius*. Ut ut ſit, occaſionem certe exinde ſumſit lepidiſſimus

pidiſſimus autor Epiſtolarum obſcurorum Virorum traducendi iſtos Homunciones, & nominatim quidem Orthuinum Gratium noſtrum, qui ſæpe omnibus paginis vapulat; ut hodieque ludibrium orbi literato debeant, quicunque demùm ſit vel Reuchlinus ipſe, ſive Eraſmus, ſive etiam *Ulricus ab Hutten*, vel nobilis denique aliquis Sileſius, quorum poſterius vero ſimilius eſt, cum priores ſtrenue negarint ac pernegarint, ſe conſcripſiſſe Epiſtolas iſtas ſine dubio fictitias, Literatura ſaltim eorum cognoſci poteſt, & quo pretio fuerint apud politiores habiti: Sed hæc ἐν παρόδῳ. Noſtrum eſt, tandem ætate & laboribus confectum diem ſuum obiiſſe *Gratium* Coloniæ notare, poſtquam ad extrema usque fata *Quentelio* corrigendo ad fuerat Anno 1542. d. 18. Maji. Scripta, quæ reliquit, ſunt: Faſciculus rerum expetendarum & fugiendarum Colon. 1535. qui continetur in Æneæ Silvii Commentariis de geſtis Concilii Baſileenſis: Vita Hildebrandi: Vita Henrici IV. Profeſſio Fidei Waldenſium; Articuli

Johannis Wiclefi: Aretinus contra Hypocritas: De vocatione Bohemorum ad Concilium Basileense &c. Qui postremus liber, omissa quamvis omnia fuerant, quæ vel in minimis suspecta Romanæ Sedi fieri potuissent, non tamen effugere, ex mente Papicolarum, censuram acriorem potuit, sed in Indicem expurgatorium, ut vocant, relatus est, atque ita permultis ex eo cætu displicuit, ut totius operis structura, & si res integra fuisset, totum supprimi maluissent. Quam ob rem quia rarius inter nos, ab interitu & caritate ut liberaretur *Eduardus Brovvn* Parochus Sandrigiæ in agro Cantiano Anglus, denuo typis illud mandavit, atque ultra dimidium auctum exhibuit Londini in Fol. Priorem editionem Orthuinus ipse a vitiis purgaverat. Scripsit etiam & publicavit Triumphum Jobi Prophetæ. Porro carmen in speculum oculare Reuchlini, audacissimis convitiis, & mendaciis repletum, atque hinc etiam ab ipso Reuchlino peracri examine traductum: Apologia quoque ejus extat separatim adv.

Reuch-

Reuchlinum edita, & Critico-maſtix peregrinationis Petri Ravennatenſis: Judiciis quatuor Univerſitatum Lovan. Erfurt. Pariſ. & Colon. prænotamenta quædam præmiſit, in quibus auditu indigna mendacia eum commiſiſſe Eruditi communi conſenſu ſemper affirmarunt: Conf. de his Cel. Buddei Lexicon p. 289. & Joh. Henr. Maji Vita Capnionis p. 315. in quibus vero nihil invenire licet de Orthuini laboribus Typographicis, quorum teſtem ego adduco Maitterium in Vitis Stephanorum p. 168. Obſignarnus dicta qualicunque Epitaphio:

Cur horret, Lector, mens atra virentia muſco?
Quid trepidus ſpectas, quem tegat iſte lapis?
Huc ades, & propius ſub terra condita cerne:
Gratius Orthuvinus clauditur hoc tumulo;
Quem clarum dedit obſcurorum fata virorum,
Hic jacet obſcurus nunc quoque Theologus. Hen-

Henricus Pantaleon

BAsileensis, honestis procreatus Parentibus An. Chr. 1522. d. 13. Junii, ac literis optimis a puero excultus, ita quidem, ut condiscipulos suos doctrina longè antecelleret; imò non rarò tardiores in Scholasticis Exercitiis juvaret. Ob morum elegantiam & eruditionis futuræ luculenta signa *Rudolpho Freyo* Senatori percharus filium ejus vix ipse ex ephebis egressus docuit, primaque industriæ, & inserviendo aliis alacritatis specimina dedit. Posthæc *Johanni Bebelio* Typographo Basileensi traditus, aliquandiu in *Isengrinii* officina lectorem egit. Olim enim diverso a nostris more præ ceteris unus eligebatur, qui sonora voce prælegeret e Manuscripto Typothetis, quæ imprimenda essent. Quo facto promti erant, qui verba ex ore recitantis excepta componebant, idque ex tribus vel quatuor schedis toretiam prælegebatur compositoribus. Nostro vero ævo, ut nemini ignotum est, is, qui munus componendi

nendi elementa ſibi impoſitum habet, Schedam Manuſcriptam ante oculos poſitam inſpicere ſolet. Qui modus haud dubie propter ignorantiam Typographorum mutatus, cum temporis rationem habeat, & hallucinationibus minus eſt obnoxius, maxime mihi arridet. Ab hoc officio poſtea utpote utiliori, ad minus utile abſtracto adoleſcente, pro *Anagnoſta* Typothetæ vices aliquandiu ſubire juſſus eſt; ſed his nugis, ut ipſe vocabat, relictis, *Friburgum* potius proficiſci, ſtudiorum ſuorum majora petiturus incrementa, decrevit. Conatui felleiter reſpondente eventu, Baſileam redux in numerum ſtudioſorum, albo Academico nomine dato, eſt receptus. Hinc verò ſpe facta ardori ſtudendi ſic optime conſultum iri ab Avunculo *Krieſteinio* Typographo Auguſtam Vindelicorum ingentibus promiſſis accerſitus eſt. Verùm cùm haud ille ſtaret promiſſis, ſed potius ad artem olim tractatam redintegrandam *Pantaleonem* adducere laboraret, res aliter cecidit. Etenim nec pollicitationi-

bus plurimis ſuperadditis, nec alio quocunque modo ceſſit avunculi precibus, hac una re voluntati ejus annuens, ut eodem anno, quo apud illum moratus fuerat, corrigendo diligentiam probaret ſuam, ita quidem, ut & vi cognita hominis accurata cura Typographus eum retinere anniſus fuerit. Verum ille *Xyſti Betuleji* conſilia ambiens, ejus ſuaſu Ingolſtadium profectus, *Cæſaris Delphini* Medici Itali, ibidem docentis ſermones auditoribus dextre ex ejus ore eſt interpretatus. Hoc verò in patriam remigrante, Heidelberga tranſiens, Baſileam repetiit ſuam, indignante interim & propter diſceſſum ſuccenſente *Pantaleoni* avunculo relicto Baſileæ honores non tantum in Philoſophia ſupremos, & facultatem in Ludo Patrio docendi, verum etiam temporis lapſu Sacerdotium in Æde Petrina adeptus eſt. Quibus honoribus muneribusque admotus, non tamen ſoli Sacerdotali functioni vacavit, ſed, ut erat laborum patientiſſimus, horarum ſubciſivarum partem *Frobenio* Typographo addixit, priſtinumque Cor-

Correctoris officium in se recepit. Eaque occasione concinnavit Indices copiosissimos *Hieronymi*, *Basilii* & *Hilarii*, operibus suffigendos, ac, cum imprimerentur, easdem Patrum laudatorum editiones ex parte mendis purgavit: id quod in aliis minoribus codicibus factitare non erubescebat. Ad Summum deinceps in Theologia honorum culmen provectus, crescentibus curis, ob vitia quædam & volubilitatem præcipue linguæ ad Sermones ex Cathedra sacra habendos minus se idoneum conspiciens, Medicas tandem artes scrutari, easque cum sacris conjungere constituit, & earum cognitione mox ita profecit, ut & alios publice imbuere inciperet. Ad postremum ætate viribusque plane attritus An. 1595. annorum 73. vitam cum morte commutavit, ac sequentibus monumentis memoriam suam reddidit perennem. Scripsit nimirum Prosopographiam Illustrium virorum Germ. fol. Basil. 1565. Historiam Equitum militaris ordinis Johannitarum, Rhodiorum aut Melitensium, quo-

quorum fata memoria digna, & terra marique in omnibus Mundi partibus geſta ſummo recenſuit ſtudio LL. XII. Libellum de Peſte. Hiſtoriam Sleidani non ſatis non laudibus extollendam de ſtatu Religionis, primus in Germanicum tranſtulit idioma: Eidem verſionem Jovii Elogiorum debemus, qua hodie utimur. Quo ſtudio etiam Hiſtoriam Polonicam, & plura alia latinitate donavit. Videatur Adami in Vitis Philoſ. Medicum ſequitur Medicus

Guido Patini.

GAllus Gente, Vir non minus lepo-ribus quam doctrina excellens. Natus *Houdani* Anno 1602. in Agro *Bellovacenſi*: Studiorum fundamenta Pariſiis delibavit, multis tamen circumſeptus calamitatibus, ut ærumnarum copia, & varietate, impeditus a Muſarum caſtris propemodum reſiliiſſet, ni ſuaſu amicorum alacritateque ingenii excitatus in curſu jam cæpto pérſiſtere coactus quaſi fuiſſet. Medicinæ igitur exercendæ, & quidem naturæ ductu, ſe totum

totum consecravit, eoque successu profecit, ut amplissimum postmodum in Gallia consecutus fuerit nomen. Atque hac etiam occasione, antequam istis auctus fuit honoribus, cum curta nimis esset supellex, multaque adeo facienda, nec pauciora ferenda videret, Typographorum quorundam Parisiensium Schedas, quas emittebant, repurgavit a mendis & vitiis, tanto studio tantaque industria, ea denique accurata attentione sensum corrigens, sicubi autorem vel obscuritate laborasse, vel hallucinatum fuisse cognovit; ut cum aliquando *Johannes Riolanus* Medicus per Galliam celebratissimus, pagellas, sicuti erant ejus manu ad margines notatæ, conspexit, non satis ex ungue cognitum admirari Leonem, h. e. juvenis doctrinam laudibus justis celebrare potuerit. Ex quo tempore viri hujus favorem & Collegia gratis audienda consecutus, ut in reliquo studiorum genere, sic in Typographico opere strenue, Herculis instar, sudare non destitit. Quo pacto tandem, ut dictum est, singulari divina provi-

providentia & beneficio in tollendis morbis uſus, emergere cœpit. Siquidem Profeſſor Medicinæ in Collegio Pariſienſi Regio electus, tantoque ab omnibus habitus eſt in pretio, ut ſæpiſſime etiam Proceres aulici numum aureum, quem Louis d'Or, vocant ſingulis vicibus præpoſito orbiculo ſupponendum promiſerint, quoties cibum una cum ipſis capere vellet: Quam tamen conditionem tanquam faſtus aulici indicium, atque ſe ſuoque honore prorſus indignum generoſo contemtu reſpuiſſe dicitur. A filio *Carolo*, excellentiſſimo illo numariæ rei Patrono, ſequentibus maximis titulis Guido fuit inſignitus. Vocatur enim ἀνὴρ ἄριστος, καὶ πολυμαθέστατος atque etiam Deambulans Muſeum; Spirans Bibliotheca, βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος, καὶ περιπατῶν μυσεῖον, &c. vid. Lyceum Patavinum ed. 4. 1682. p. 78. Obiit tandem mœrore, ut ajunt, proper filios contracto; quorum alter Regis gratia exciderat, alter vero Robertus ad voluntatem Patris ejusque nutum haud geſſerat ſe morigerum, æta-

tis

tis anno ſeptuageſimo, idque eo magis credendum, cum, eum mœroriad modum fuiſſe deditum, probavero: conſtat enim ex libro l'Eſprit de Guy Patin nunc nominando, quod ita triſtis & turbatus redditus fuerit, nuncio de morte *H. Grotii* ſibi amiciſſimi accepto, & gravi admodum langvore ac valetudine affectum fuiſſe, ut tabe attritum Amici ne quidem a facie amplius noverint: De reliquo mentis erat non raro ſolutæ, ut Eccentrici ſolent, libere de omnibus judicabat, magos, Sagas, deque iis relationes fabulas habuit aniles. *Bodini* Dæmoniacum ſtolidiſſimum omnium librum eſſe conſuevit. Sed hæc ſufficiant; plura deſideranti inſerviet Vita literis ejusdem Pariſ. 12. 1685. editis præmiſſa it. 8. 1688. & 1683. Hagæ. Addatur l'Eſprit de Guy Patin Amſtel. 12. An. 1710. Extant etiam Patiniana cum Naudæanis Pariſ. procuſa 1701. 12. Promiſerat etiam Patinus Elogia Gallorum ad imitationem Sammarthani, quæ an lucem viderint, dubito. In his igitur hodienum vivit Guido monumentis,

tis, vixit vero etiam, & vivet in posteris, Carolo, & *Gabrieli Carola*, & *Carola Catharina* fœminis Eruditissimis, & posterior præcipue, paucis exceptis, in Gynæceo Eruditarum mulierum merito agmen ducere creditur. Vid. Biblioth. Hal. Tom. I. p. 469. & Melanges d'Histoire & de Literature par Monsieur de Vigneul Marville a Roterdam 1700. 8. cujus excerpta tradiderunt Autores der Auszüge aus neuen Büchern Hannoveræ 1702. Mense Martio p. 12. & A.E.L. Anno 1702. p. 225.

Conradus Pellicanus

RUbeacensis Alsatus, patre *Conrado Kursnero* nomine pariter & artificio An. 1478. genitus; a quo acceptam familiæ nomenclaturam communem in Pellicanum ex more istorum temporum commutavit. Tyrociniis depositis, ad majora adspirans studiorum incrementa Heidelbergæ indefesso studio dies noctesque laudabili instituto. Postea vero vitæ Monasticæ pro solita seculi superstitione amore captus, priusquam

quam religioſo ordini nomen daret, Tubingam ſtudiorum cauſa migravit. *Johannem* illic *Staupitium* nactus ſtudiorum collegam, in ejus conſortio eo usque profecit, ut non multo poſt ipſe *Euclidis* Elementa explicarit aliis. His tamen, moderante celeberrimo *Reuchlino*, ſtudia addidit Theologica, & notitiam inprimis linguarum, Hebrææ & Græcæ, quam priorem ſuo marte cœperat addiſcere. At vero poſtquam hic etiam locorum Lux ſalutaris Evangelicæ doctrinæ in corde ejus accendebatur, projectus ex urbe, fluctuans diu admodum & vagus in Monaſteriis variis obambulavit. Atque in Conventu demum Baſileenſi Theologiæ ſtudioſis & Sacrarum & Philoſophicarum literarum fontes aperire, eosque ſanius explicare cœpit. Quo tempore, ut ad ſcopum noſtrum propius accedamus, otio ſibi facto, non contemnendam diutiſſime *Johanni Amerbachio* Seniori, Typographo præſtitit operam. Is enim tum imprimebat *S. Auguſtini* opera omnia, in aliquot volumina digeſta, &

ut eo correctoria in lucem prodirent, *Auguſtino Dodoni* atque *Franciſco Wylero* emendandi curam demandaverat. His autem e vita interea ſublatis, noſter honorifice expeditus ab Amerbachio pari ut priores univerſa accurandi ſtudio abſolvit. Neque Typographo ſolum eo officiorum genere, ſed ſibi & collegio ſuo, in quo vixerat, monaſtico large admodum conſuluit: Varia enim beneficia, in ſe ob id collata, poſtmodum ſenſit. Accedebat, quod & ipſe Corrector variorum Librorum magnam ex eo labore notitiam rerum Theologicarum, & in Patrum ſcriptis reconditam eruditionem ſibi acquiſivit, ac Bibliotheçam inſtructiſſimam paulatim congeſſit. Sed non *Amerbachio* ſolum, verum & *Frobenio* & *Stephano Brulifero*, Baſileenſibus Typographis, & *Jacobo* inprimis à *Pforzen*, ſimili cura & ſedulitate auxilium tulit; Priori præcipue, ut qui primus opera Hieronymi typis excudit. Abitum poſt ſexennium, & quod excurrit, Baſilea parans, neſcio quo fato in Cardinalis Raymundi conſortium

tium & familiam receptus, ſed itinere in Italiam vix inchoato, morbum ex viæ incommodis & aëris male temperati malignitate contraxit, atque relictus eſt. Quo malo oppreſſus, ubi diu huc illuc diſcurſitaviſſet, Evangelii interea veritatem altius inſpexit, ac in animum tam efficaciter demiſit, ut jam de publica edenda confeſſione cogitaret. Confirmatus in ſententia ſua, repetitaque in Italiam profectione, ubi Papicolarum miſerrimas conſpexerat nænias, harum tædio ad opus ſuum correctorium, redux Baſileam factus, ſe denuo recipere decrevit. Neque id factum intempeſtive: excudebantur enim certatim *Lutheri, Eraſmi* & aliorum Scripta. Horum dum igitur vitia & typothetarum menda obelo notaret, majorem ſimul indies hauſit doctrinæ purioris cognitionem. Ex adverſo quanto magis ſanis dogmatibus imbutus eſſet, tanto plus in monaſterio fratribus ſuis reddebatur ſuſpectus, ita, ut & qui cellæ eſculentorumque curam gerebat, in clauſtro victum ei propterea denegaret neceſſa-

rium, & pereundum fuiſſet miſero, nî *Adami Petri* beneficentia ſervatus eſſet. Tandem a Senatu Baſileenſi in clientelam receptus, & Tigurum miſſus, genus vitæ monaſticum plane abjicere conſtituit, atque ut fidem factis redderet majorem, uxorem non ſolum duxit *Annam Friſiam*, ſed etiam, ea mortua, ad vota ſecunda progreſſus eſt, atque ita in eadem Eccleſia reformata ſcilicet, multis meritis gravis An. 1556. annorum ætatis 78. ipſo Paſchatis die obdormivit. Monumenta & pietatis & doctrinæ hæc ſunt: Tota Biblia ex Chaldaico translata in Latinum ſermonem conjunctis cum *Petro Cholino* viribus, quæ verſio Th. *Bibliandri* & *Leonis Judæ* curis confecta, vulgo Tigurina vocari ſolet, & quid *Roberto Stephano* ex ea recuſa incommodi ſubortum ſit, ex ejus vita conſtat. Quantos in Literatura Hebraico-Rabbinica profectus habuerit, hinc patet, quod, cum *Joh. Friſius* & nobiles quidam varia Talmudica ſecum ex Italia apportaſſent, ea omnia verſione citra difficultatem donavit. Scripta reliqua

clarent:

clarent: Commentarius in omnes V. T. Libros: Collectanea in quatuor Evangeliſtas: Annotationes in Epiſtolas Pauli: Correctoris officio debemus Indices ad opera *Hieronymi* immenſo labore concinnatos. Ex aliis ſcriptis plurimis Grammatica Hebraica, Lexicon atque ſimilia potiſſimum inclaruerunt, quæ ab ingenioſiſſimo Viro Dn. Hermanno ab Hardt in prima literaturæ Hebraicæ reſtauratæ Diſſertatione de fatis ſtudii Hebraici commemorata ſunt. Quid multis? tanta ſcripſit *Pellicanus*, quæ ſi temporum rationes ineas, quibus eum vixiſſe conſtat, ubi barbaries inter Pontificios incredibilis regnavit, vix cujusquam noſtro ævo diligentiæ comparanda ſunt. Idque porro ex eo cognoſcere licet, quod ſub initium ſtudiorum Pellicani, cum in tota fere Germania nullum Teſtamentum Græcum reperiri potuit, exemplar demum ex Italia, ubi ſimiliter rariſſime comparuerant, ad noſtras transductum fuerit terras, & ipſe tamen in Literatura Græca & Hebraica adeo ſtrenue & feliciter de ſu-

daverit, ut Lectoribus hodiernis omnibus sit miraculo. Neque adeo mirum eundem Doctrina non minus, & Eruditionis rarioris laude, quam morum bonitate, omnibus, præcipue Chalcographis, ita amatum fuisse, ut de numero & varietate beneficiorum ipsi exhibendo, inter se quasi certarint. Hæc hactenus. Qui plura desiderat, adeat W. F. *Capitonis* præfationem ad Institut. Hebr. Adami Vitas Theoll. p. 262. & Freherum p. 168. ipsumque etiam Thuanum, qui in Viri hujus elogiis non parcus fuit. Relicto Pellicano transeo ad

Thomam Perierium

HOminem Gallum, qui claruit A.R.S. circiter 1620. Natus est *Parisiis*, ubi postquam rudimenta studiorum posuerat, aliquandiu moratus, tandem exteras terras invisere decrevit, ut literarum, præcipue Linguarum Orienti communium, incrementa caperet majora. Eoque consilio socium se præbuit fidumque Achatem celeberrimo *Thomæ Erpenio*, cui in itinere Gallicano constanter

ſtanter ad hæſit, eoque reverſo tandem in patriam, & muneri docendi publico præfecto, per octennium ejus inſtitutione uſus eſt. Meruit inde, ut a Cl. *Voſſio* in oratione ad obitum *Erpenii, Alexandro à Capelle, Sixtino ab Amama, Joh. Brunnæo, Antonio Thyſio, Guil. Merulæ, Samueli Boſcharto, & Evervvino*, Goudanæ Eccleſiæ Paſtori, *Guil.* item *Nieuportio*, aliisque adjungeretur, qui ex diſciplina *Erpenii*, velut ex Trojano prodierint equo. Ut fidem dictorum faciamus, en! ipſa verba *Voſſii*, labores ſimul *Perierii* typographicos explicantia. *Quid Hadrianum*, inquit ille, *Junium Vltrajectinum magnæ eruditionis longeque majoris expectationis juvenem! Quid Thomam Perierium Pariſienſem, qui quantos in Arabica Lingua progreſſus fecerit, loculpes ejus Linguæ Lexicon, quod ſcripſit, argumento eſt. Qui ut omnia ſe Erpenio debere profitetur, ita ei potiſſimum operam locabat corrigendo, quæ Arabice excuderentur: Subinde alios etiam in ea lingua inſtruebat*, & p. 39. pergit: *Nec fraudandus laude ſua Thomas Perierius in Galli-*

Gallicano utroque itinere ab Erpenio quondam adſcitus, & octennio integro ejus inſtitutione, majorique etiam ex parte tecto uſus; qui tam benè meritum Virum in extremis ſibi deſerendum minime putavit; ſed diu noctuque ad extremum usque halitum vitæ adfuit, fidelique opera juvit &c. Hic amor eo magis laudandus erit, quanto certius eſt, peſtilentia contactum *Erpenium* obiiſſe, a quo morbi genere, qui pericula timent, facile divelli ſepatiuntur. Quod ad Lexicon Arabicum hujus *Perierii* ſpectat, nunquam illud vidi, neque Golium vidiſſe credo, ut qui in præfatione Lexici ſui, in qua tamen recenſendis hujusmodi laboribus vacat, neverbulo ejus mentionem injecit. Quare de eo judicium aliis relinquo, & quid recenſendis hujus in modi laboribus laboris in corrigendis Arabicis impendit, annotaſſe mihi ſufficit, eoque miſſo ad clariorem progredior. Qui erit

Fridericus Piſtorius

REſtitutæ purioris doctrinæ tempore Vir inter cæteros clariſſimus, & in Norica præcipue civitate ſpectatiſſimus, patria

patria *Prettfeldenſis*, qui pagus eſt non procul *Forchemio* in Franconia ſitus, natus An. 1486. cognomine ſine dubio paterno *Beck* dictus, id quod tamen, pro conſuetudine iſtius ævi, in Latinum *Piſtorii* mutâſſe credo. Noribergenſibus vulgò Mosthanß dicitur appellatus, quod quidem, unde accerſendum ſit, ignoramus. Poſtquam in variis Monaſteriis probatum ſeſe geſſerat, ritu Pontificio Sacerdotem ad ſummam tandem Abbatis dignitatem adſcendit. Florebat ſub id tempus Noribergæ Cœnobiam valde illuſtre der Schotten Benedictiner / ut vocabant *D. Ægidio* dicatum, eaque amplitudine conſpicuum, ut in comitiis Imperii ſuffragio & Loco inter ordines reliquos gauderet. Præſul hujus Monaſterii erat, cum Reformationis tempora imminerent, *Wolfgangus Summer*, qui Senatum populumque novæ veritatis Orientis luci favere animadvertens, periculis, ex refragatione ſua prævisis, evaſurus An. 1520. in Monaſterium Norico Agro vicinum, Neukirch vocant, abiit. In hujus igitur locum ob pietatem & doctrinam mox ſuffe-

ctus eſt *Fridericus*, de qua electione *Vincentius Opſopæus* cecinit:

Fauſto bis denis (numerum cenſeto minorem)
Omine delapſis annis, de virgine Chriſto
Enato caſta, citimo tum luna ſub axe
Diſcurſat, quintam Lucis ubi Julius umbram,
Extulit effuſa: Fatis volventibus urnam
Rite Deûm ſortis, voto Fredricus amœno
Inauguratus, Paſtorque Paterque creatus
Cœnobii, commiſſa ſuæ regimina dextræ
Usque retenturus: donec fatalia vitæ
Stamina, diſſectis rumpat Mors horrida fuſis.

Nec infeliciter ſpei factæ de novo Abbate eventus reſpondit. Saniori enim & a ſordibus Pontificiorum emundata doctrina latius paullatim per Germaniam univerſam ſe diffundente juxta cum aliis, Respublica Noribergenſis agnitas errorum tenebras exeſſe juſſit. Eosdem igitur errores agnoſcens *Fridericus* noſter, divino nutu ductus, veritatem Evangelicam amplexus, probatamque cum aliis pluribus Collegis com-

communicare nihil veritus eſt. Per aliquot quidem annos priores, pauca mutaviſſe legitur in Religionis cauſa, poſtmodum vero cum fratribus ὁμοψύφοις, vitæ genus, quod hactenus ſectatus erat, plane relicturus, ſacrorum puriorum profeſſionem publice edidit, & cum Senatu de tradendo Monaſterio pactus eſt. Quo facto templum, cui præerat, cum omnibus juribus & beneficiis Cœnobii adminiſtrationi Præſulum, ut tum vocabantur, eleemoſynarum publicarũ ultro ceſſit. Hi autem erant *Nicolaus Grolandus*, *Leonhardus Schürſtab*, *Leonhardus Tucher & Georgius Kæzelius*, Viri ſtirpis nobilitate & morum honeſtiſſimorum integritate admodum conſpicui. Cum vero reditus annui fidei laudatiſſimorum Curatorum in univerſum omnes concederentur, atque ſubſidiis vitæ ſuſtentandæ neceſſariis *Fridericus* cum Monachis opus haberet, pactio ea conditione inita eſt, ut, qui ad officia publica ſubeunda eſſent idonei, ad ea honeſte adhiberentur; qui autem ad mercaturam exercendam vel opificia

opificia tractanda animo propenderent, mediocri saltem juvarentur pecuniæ adminiculo. Reliqui vero, qui vel ob senectutem debiliores essent, vel sacra pristina mutare abnueret, publicis alerentur ad vitæ finem usque sumtibus. Quibus omnibus accedebat denique inter actiones primaria conditio, qua illustris Senatus auctoritate & potentia contra quoscunque, a quibus dica idcirco forte scriberetur, defensus in pace vivere sibi liceret. Ea conventio An. 1525. die 12. Julii ad finem perducta confirmataque legitur. Neque a quodam posthac est impugnata, nisi quod An. 1567. ex Imperii ordinum albo, sive matricula, ut appellant, expunctum Abaziæ nomen. Ad ipsum Abbatem nostrum quod attinet, ad quem nostra redit oratio, pactione isthac facta, ædes suas, quas antea in Cœnobio incoluerat, porro inhabitavit, vitamque traduxit quietam, partim certa a Senatu accepta numorũ pensione, partim etiam pretio a Typographis persoluto, quorum prelis inserviebat. Uti enim cum illustri *Hieronymo Baumgärtnero*, Musarum deliciis

ciis & ornamento, cenſuram omnium in civitate excudendorum Librorum communi cura ſibi commiſſam habebat, ſic aliquibus etiam officinis *Antonio* præcipue *Koburgero* operam locabat ſuam, ut à vitiis Typothetarum pagellas purgaret, eidemque ſtudio & diligentiæ tandem immoreretur. Reliqui ex fratribus, quibus tamen omnibus ſupervixit, erant *Henricus Ammon* Prior Cœnobii, *Conradus Wolff* Subprior, *Martinus Müller*, *Sebaldus Stolhofer*, *Petrus Mayer*, *Johannes Schön*, *Joh. Weidner*, *Joh. Weber*, *Auguſtinus Vogt*, *Joh. Rappold*, *Sebaſt. Fronſchild*, *Steph. Furſtner*, *Ægidius Portenſtein*, *Joh. Mangolt*, *Matthias Goglinger*, *Rup. Roshaubt*, *Conradus Hubert*, *Matthæus Mayer*, *Vitus Zinner*. Plebani autem, ut vocant, fuere, *Henricus Krautler*, *Wolff. Schopp*, & *Paulus Knöpfel*. Quid vero illi poſt ſacrorum ritus immutatos egerint, non conſtat, neque adeo, utrum auxilio fuerint in corrigendis Libris *Friderico*, dici poteſt. Id certum eſt, ex iis alios ad caſtra Evangelicorum & quidem plurimos tranſiiſſe, alios vero

vero ætate provectiores, ſibi ſuisque privatim vixiſſe ſacris, iisque ad mortem usque addictos manſiſſe. Ad *Fridericum* quod attinet, is porro matrimonium iniit, ut mentis de Evangelii veritate integritatem eo magis probaret, Sociam ſibi eligens thori *Annam*, nobili familia genitam. Quam in rem extat Epiſtola gratulatoria B. *Lutheri* ad eum ſcripta, quæ excuſa eſt in ſupplemento Epiſtolarum Lutheri a Clar. *Buddeo* edito, ubi ſexageſimum tertium locum occupat. Hanc ex Manuſcripto mecum Patronus omni officiorum genere pie colendus communicaverat, ſed in paucis ab ea, quam venerab. *Buddeus* exprimi curavit, diſcrepantem inveni; niſi quod alium titulum ſequentis habeat tenoris:

Viro Reverendo & eruditione inſigni Dn. Friderico, Abbati S. Ægidii in inclyta Nurmberga, fratri ſuo in Chriſto charo.

De reliquo non dubito, quin utriusque exemplaris male picti lectio Critica arte ad ſenſus inveſtigationem valde opus habuerit, atque inde fieri aliter fere non potuit, quam ut alius, ſed rariſſimus verbo-

verborum ſenſus exſculptus fuerit: ut e.g. in media Epiſtola Buddeus habet: *Porro quid eſt Magiſtratus?* Ego vero: *Porro quid eſt Cœlibatus?* id quod poſtremum magis etiam veroſimile videtur, opponitur enim vox conjugio: Magiſtratus vero, quæ cum ſubſtrata materia connexio ſit, perſpicere non poſſum. Pari modo ſequentibus literis, Buddeana habet editio: *Vide, quo rapiar, cum Dei opera libenter, & ubi poſſum, verboſe laudare verba geſtio.* Ego vero ita ſonare verba putaverim, quod Manuſcriptũ non obſcure exhibet: *Vide, quo rapiar, ebrius an ſobrius tibi videor? Ego Dei opera libenter, & ubi poſſum &c.* Poſſemus totam Epiſtolam affectu in Abbatem pleniſſimam recuſam Lectori exhibere, eique & alia Virorum eruditorum luculenta amoris teſtimonia adducere; Sed, prætermiſſis iſtis, Carmen adjiciam *Eobani Heſſi* itidem gratulatorium, &, quod ego quidem ſciam, nondum impreſſum, a laudato inclyto Fautore mihi traditum, & eo tempore ſine dubio ſcriptum, quo & ipſe *Heſſus* Noribergæ bonas litteras docebat, id hunc in modum habet: Re-

Reverendo Patri Dn. Friderico Abbati & Patrono ſuo colendo Eobanus Heſſus ſalutem.

Ut bene ſuccedant TIBI, quas modo ſponſus iniſti,
Precor Tobiæ junioris nuptias.
Utque Parens fias non infelicior illo,
Qui Liberos quot, tot edidit tribus.
Nec minor exiſtat Conjux Te digna marito,
Quam quæ legendo farra legit nuptias.
Nec minus illa duo caſto exardeſcat amore,
Quam quæ virum ſecuta deluſit Patrem.
Nec minus hanc adames, quam quæ ſibi eſſe Sororem
Regis timore vera quæ conjux fuit.
His TIBI ſi meliora quidem Friderice precari
Eram paratus, ut precarer optima.
Nam tua ſic pietas de me generoſa meretur,
Et aucta vero amore liberalitas.
Quod niſi fama meam ludunt præſagia mentem,
Nunquam peribit fama nominis tui.
Sed neque vana meam ludunt præſagia mentem,
Et Te vixiſſe non negabunt Poſteri.

Ad

Ad Piſtorii vitam reverſus, conſtanter etiam Abbatis nomen retinuiſſe, quoad vixit, adhuc reſtat obſervandum. Neque etiam omittendum eſt, promulgata formula, INTERIM vulgò dicta, & Noribergæ mirifice commendata, partim etiam obtruſa, hiſce eum mutationibus, quantum fieri poterat, obſtitiſſe, redditaque pace Illuſtri Senatui pro abolendis quibusdam ceremoniis, fermentum vetus redolentibus, primo loco ſubſcripſiſſe Nomen. Quid verò effectum ſit, aliunde cognoſcendum erit. Poſtquam ita vitam corrigendi inprimis labore arduo, ſupra medium Sec. produxerat, tandem etiam improlis diem obiit ſupremum An. 1554. atque in Cœmeterio S. Johannis honeſtiſſime tumulatus eſt; ubi uxor vidua ſequens ei monumentum, quod ſupereſt, poni curavit:

Reverendus Dominus Fridericus Ægidiane Eccleſiæ Abbas; Veræ juſtitiæ & S. S. Sanguinis Chriſti æterni Salvatoris contra Anti-Chriſtum fidelis aſſertor, & multis præſtantiſſimis Viris vera vir-

tute ac pietatis laude chariſſimus, cum ageret A. LXVIII obiit in vera fiducia & invocatione Filii Dei, ac certa ſpe futuræ Reſurrectionis & vitæ æternæ. Benigno Dei maximi conſilio ex ærumnis hujus vitæ ereptus. Cui mœſta uxor H. M. F. C. Obiit XXIV Martii Anno Domini M D LIV.

Herrn Friedrich Abts zu S. Aegydien in Nürnberg / und Anna ſeiner Ehewirthin Begräbnüß.

Præter hoc vero aliud quoque Epitaphium metro adſtrictum reperi:

Pacificæ Fridericus amans pietatis obibat,
Bis ſeptem extremo lumine luſtra videns,
Quodque Patrem Chriſti conſtanti corde rogabat,
Liber ab ærumnis regna beata ſubit.

His laudibus omnino dignus erat Fridericus noſter, nam probitate morum, pietate mentis, & doctrina omnibus ſe probavit, ea tempeſtate viventibus, & literatis præcipue chariſſimus fuit, qui eum

eum intimius noverant; Domi vero tanto in pretio habitus fuit, ut & imago viri venerabilis argento expressa conspiceretur. Ad Beatum nostrum *Megalandrum* quod attinet, cujus amicitiam horologio sibi conciliaverat, is pro hoc dono gratias ei acturus, sic aliquando ad eum scripsit:

Venerabili in Christo Viro Domino Friderico, Abbati Ægidianæ familiæ apud Norimbergenses, suo in Domino Majori.

Gratiam & Pacem. Ignotus ignoto, „ Vir optime, scribo, id facit meus & „ plusquam Tuus *Wenceslaus Lincus*, „ qui tuo nomine mihi æneum horo- „ logium a Te donatum misit. Donum „ gratissimum, ita ut cogar fieri Mathe- „ maticis nostris discipulus, donec intel- „ ligam omnes istas formas & regulas „ unius Horologii, nam antea non vidi, „ nec observavi tale, rudis scil. harum „ rerum Mathematices. Utinam possem „ animo tuo respondere, quem intelli- „ go hoc dono significari intime, nihil „ esset, quod magis vellem præstare.

„Hoc pro jucunda familiaritate velim „candide (ut ſpero) accipias, ac bene „valeas, oraturus pro me, Feria 2. Pa„ſchæ An. MDXXVII. Martinus Lutherus.

Hanc Epiſtolam videſis in Tomo II. Epiſtolarum Lutheri Latinarum, & a *Johanne Aurifabro* collectarum p. 332, cui & adde alteram, quæ p. 376, illam legiſſe non pœnitebit, utpote in qua pro nummo argenteo, charactere ejusdem notato, gratias agi videas: Sic enim inter alia Lutherus: *Gratus mihi eſt, Vir Venerabilis, character Tuus argenteus, ut jam vere gemellum quamvis abſentem poſſideam. Animæ videlicet imaginem per literas, corporis vero per argentum iſtud* &c. Nec minori fuit in gratia apud *Melanchthonem*, in cujus Epiſtolis variæ ad eum amiciſſime datæ occurrunt. De *Eobani Heſſi* conſuetudine ſuperius carmen teſtatur, & *Joach. Camerarii* familiaritate uſus eſt intima, ita quidem, ut non raro Philippus, & alii plures apud eum Norimbergam transeuntes diverterent. Quam magnifice de eo ſenſerit

Bruſchius

Bruſchius ex inſpecta ejus Monaſteriologia intelligere licet: Cui narrationi nunc etiam carmen adjiciam, quod, uti mihi conceſſum etiam eſt Ejusdem, quam ante prædicavi, Muſarum ſummi Patroni benignitate, ita pace illius, quia nondum impreſſa typis creditur, cum B. L. communicabimus.

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino, Friderico, Abbati ad D. Ægidium, Norimbergæ, Domino Mæcenati ſuo Summo S. & omne bonum.

Te ſalvere diu jubeo mihi chare Patrone,
Semper & incolumem Te mea Muſa cupit.
Jam bis clara ſuos complevit Cynthia curſus,
Cum dedimus Muſis carmina pauca Tuis.
Quæ tua perpetuo celebrabant ordine geſta,
Celſaque tollebant nomen in aſtra tuum.
Et quibus obnixe pacata mente rogabam,
Eſſes ut Muſis Anchora fida meis.
Hæc nos per puerum ad Veſtras demiſimus ædes,
Reſponſi vero rettulit ille nihil.

Ergo ego præſenti jam præſens offero carmen,
Et precor, ut læta volvere fronte velis.
Sunt parva hæc, fateor, ſunt nullius utilitatis,
Nulla tamen ſpernit munera parva Deus.
Tu quoque, quem magnum dives fortuna creavit,
Quæ damus e fundo paupere, dona rape.
O utinam majus quoddam Tibi ſcribere poſſem!
Id quoque pacata ſcribere fronte velim.
Si tamen aaſpicient noſtros pia fata labores,
Sudorisque dabunt præmia digna mei.
Tunc Tibi non tantum chartacea munera mittam,
Sed dabo pro meritis aurea dona tuis.
Te tamen, o patriæ magnum decus! ore precamur,
Mæcenas Muſis ut velis eſſe meis.
Sic ego quam primum Tymbrius Apollo Poëtam
Me faciet, verſu Te celebrabo bono.

Tu

Tu tamen interea longævi Neſtoris annos
Ut vivas, ſuperos per pia vota precor.
Et quot Tireſias vixit Cumæaque vates,
Tot Tibi dent lætos fata videre dies.

Reverentiæ Veſtræ ignotus
Caſpar Bruſchius. Egranus.

Tantum de Johanne Piſtorio ex Hiſtoria domeſtica depromere viſum, de quo præter Bruſchium in Monaſteriologia ceteri ſilent.

Chriſtophorus Plantinus.

ENatus eſt in lucem hic Typographorum Coryphæus, *Touroni* in Gallia ſub initium Sec. XVI. An. 1511. ſtudiorum jactis domi fundamentis, captus flagranti Artis Typotheticæ deſiderio, a puerilibus annis hanc ſectatus eſt, ita tamen, ut literas meliores ſimul haud neglexerit. Eaque propter utrique propoſito ſatisfacturus Provincias primum Gallicas peragravit, poſtea vero etiam exteras terras ſalutavit, nunquam non id agens, ut, ubicunque locorum viveret, & literarum, & negotii

Typographici haberet rationem. Varias his igitur itineribus officinas visitavit, & vel corrigendo, vel disponendo typos, vel imprimendo etiam disposita, sedulam navavit operam. *Lugduni* autem præcipue aliquod tempus hujusmodi laboribus, inprimis corrigendo, terere non est veritus. *Antverpiæ* denique post varios casus fixas sibi posuit sedes, atque rem Oeconomicam æque ac Typographicam illic instruxit. Nec male hoc cessit solerti viro consilium, siquidem cum alieniſſimus esset ab istis vitiis, quæ trivialiter addictis huic arti hominibus alioqui solent esse communia, & familiaria hodie fere omnibus, ut fœda lucrandi cupidine sua deproperent mendosissime, fieri non potuit, quin singularia etiam præmia reportaret: Quia enim sacra auri non ardebat fame, neque sua imprimebat, ut rem suam faceret tantum, sed ut literis bonis præcipue utilitatem, sibique famam compararet, utroque fine potitus est. Obtinuit, quod optaverat Vir optimus, suaque ætate floruit, & nostris temporibus semper illi honos promeritus, no-

men-

menque ſuum, laudesque manebunt. Amplificatæ ſunt hæ ſedulitatis Plantinianæ laudes, vario in ipſa officina, & præclariſſimo apparatu. Nam duodecim aluit Impreſſores, ſi ita loqui licear, ac id, quod de *Golzio* alias velut miraculum Mundi annotatum fuit, ſuis typis centum linguis deſcriptos libros evulgavit. Præter hæc inſtrumenta illa, quæ lignea ut plurimum ſolent eſſe, eburnea ille habuit, & Correctores aluit non paucos, eruditione omni præſtantes, de quibus vel jam a nobis dictum eſt, vel ſuo diſſerendum erit loco. Ipſe tamen in omnibus paginis relegendis, ultimam addere ſolebat limam, & ne ſic quidem contentus, interdum etiam plagulas e publico loco ſuſpendiſſe fertur, juſtum pretium pollicitus, qui errorem indicaret commiſſum, idque more, *Roberto Stephano* Pariſiis quondam ſolito. Quid mirum igitur his rebus, nitidiſſime omnia excudiſſe Plantinum? Quid mirum Archityographi Regii titulo & honoribus eum fuiſſe inſignitum? Quid denique mirum, quod inter rariora, quæ inſpi-

cerent Antwerpiæ, officinam tam egregie inſtructam peregrini adire & inviſere conſuevere. Ipſa ſane Celſiſſima *Iſabella*, Hiſpaniæ infans, non dubitavit *Mariam Mediceam* Galliæ Reginam Anno 1613. *Antverpiam* ſecum abducere, ut Typographeum hoc toto orbe celebratiſſimum oculis inſpicere & luſtrare poſſet ſuis. Quamquam *Plantinus* ipſe honore hoc frui non potuerit, ſed *Moretus* gener rem Typographicam officinæ hæres geſſerit: Ille enim Anno 1589. annis impletis ſeptuaginta & octo, jamjam morti ſuccubuerat. Et hæc de Typographorum omnium ſpectatiſſimo Exemplo, Plantino, ſufficiant. Cui ſubjungendus ordine venit

Petrus Porta.

CUm multi ſint ejusdem nominis viri, bene advertendum erit, ne inter ſe confundantur. Sunt autem illi *Philippus Porta*, Poëta inſignis: *Conradus Porta*, cui debemus Paſtorale *Lutheri*, Islebienſium Paſtor: *Johannes Baptiſta* celebratiſſimus omnium; *Johannes* item

& alii

& alii obſcuriores partim, partim & ſlariores. Noſter ad quos referendus ſit, & quid dicendum de eo, haud ſcio. Attamen cum nihil de eo legerim unquam, vel audiverim, ad eos recenſendus, uti arbitror, venit, qui in tenebris literarum vixerunt; niſi forte unus idemque ſit cum Phil. Porta, cujus nomen Philippi nonniſi litera prima P. ſcriptum a *Mettairio* in Petrum transmutatum eſſe poterit. Quicquid ſit, ut aliquo impoſterum gaudeat lumine, dabimus operam: Idque ut faceremus, in cauſa fuit laudatus *Michael Mettaire*, qui Stephanorum Hiſtoriam, Vitas ac Libros diligentiſſime complexus, Londini cIↃ IↃ ccIX. ejus mentionem honorificam fecit. Quandoquidem in Vitæ curriculo *Henrici I.* Typographi Pariſienſis celeberrimi meminit, eum præter alios viros doctiſſimos ad prelum corrigentes habuiſſe *Beatum Rhenanum*, & *Petrum Portam*, cujus adeo unius teſtimonio ac fide nitimur. Ob hæc igitur merita hosque labores dignus eſt etiam mihi viſus, cui in hoc recenſu vel

eo

eo nomine locum daremus. De reliquis cum pauca imo nulla fere de eo nobis ſint cognita, alios, quibus plura innotuerunt, ſolicitos eſſe rogamus, & nos convertimus, eo miſſo, ad alium, qui erit

Theodorus Pulmannus.

C*Raneburgenſis* & Belga Patria, Vir multis elogiis inſignis, de Republica literaria non minus quam alii *σύγχρονοι* optime meritus. A teneris quidem, ut ſtudiorum, quod inierat, ſtadio inſiſtere laboravit, nec vana ſpe ob ingenii excellentiam, laudabiliter electo, ſe máctavit. At invitus ab eo inſtituto retractus, & ad opificium addiſcendum, Fullonis alicujus diſciplinæ, & arti traditus eſt. Quo rerum ſtatu quidem, quamdiu in familia Magiſtri ſui verſabatur, tamdiu agenda, quæ demandata haberet, agebat, ita tamen, ut omnia momenta temporis obſervaret, & otio quocunque facto lectioni librorum variorum conſecrata haberet, & de opificio deſerendo, & reſumendis ſtudiis

tudiis apud animum ſuum clam ſemper cogitaret. Voti etiam tandem damnatus eſt: Nam laboribus iſtis ingenio ſuo ad majora nato indignis, ubi libertatem aliquam nactus eſſet, abdicatis, eo enixus eſt, ut diligentia, dotibus animi auxilium ferente, in Academia *Lovaniensi* atque alibi, præcipuam Critici ſui ævi & Philologi laudem adipiſceretur. Claruit autem quam maxime An. Chr. 1565, quo tempore celebritatem nominis, non ſcriptis ſolum publicatis, conſecutus eſt, ſed cum primis operam eruditam æque ac indefeſſam *Plantino* antea laudato cum aliis multis præſtitit. In ejus enim officina, codices non paucos, quos ille luci publicæ expoſiturus erat, & qui ſuæ recognitioni credebantur, omni niſu, cura ac ſtudio non vulgari diu emaculaſſe, aliisque ornamentis, quæ a Correctore docto proficiſci poſſunt, inſtruxiſſe legitur, ea accuratione ſingulas plagulas relegendo, ut vel aliquot horas uni ſaltem impenderit, id cum tædio non raro ipſius *Plantini*. Neque tamen in ea functione ad finem usque

usque vitæ perſtitit, ſed, incertum quo ſcopo, tandem fortunæ ſuæ incrementa in Hiſpanorum quæſiturus terris, eo diſceſſit, & *Salamanticæ* tandem, Caſtilienſis regni celebri Muſarum ſede, ubi nondum votis reſponderat eventus, ex hac migraſſe ærumnarum ſede creditur. Quamvis ego lubentius crediderim, in Belgium virum hunc ad labores priſtinos rediiſſe: quid enim ejus obitus in Hiſpania offeciſſet *Andreæ Schotto*, qui tamen in libello, ad Juſtum Lipſium miſſo, hiſce mortem hanc notavit verbis: *Video quædam commiſſa errata in valetudine Plantini, Viri optimi, interitu Theodori Pulmanni, & Fratris mei abſentia in Vbiis &c.* Inter monumenta doctrinæ ſuperſunt varii Poëtæ, magno numero ad fidem Manuſcriptorum caſtigati, quos cum Correctorem ibidem ageret, emendatiſſimos typis Plantinianis Antwerpienſibus exire juſſit. In quibus eminent ſigillatim: *Virgilius*, *Horatius*, *Auſonius*, *Lucianus*, An. 1577. & 1592. excuſi. Porro *Claudianus* An. 1572. *Perſius*, *Prudentius*,

us, *Paulinus*, *Boëthius* de conſolatione hiloſophiæ 1581. 1590. 12. Quibus enique & Cæſares *Suetonii*; Flores il-ıſtrium Poëtarum; Libri variarum le-:ionum; emendationes in *Terentium* c ſimilia acceſſerunt. Conſulatur Fre-erus p. 1483. Reimmannus P. III. p. 42. Pulmannum ſequitur

Helias Putſchius.

EDitus eſt Literator ille in hanc lu-cem Anno 1580. *Antverpiæ*, Belgii ›rincipe quondam civitate, & quidem amilia claritate nominis nobili, & cum 'atriciis quibusdam Auguſtanis arctiori ffinitatis vinculo conjuncta. Inge-nium nactus, de quo præſtantiſſima quæque expectari poterant, faciles in iteris fecerat progreſſus. Etſi omen n tenellis annis editum adſpexeris, mira-›eris, ſi dixero, tardioris aliquanto eum uiſſe ingenii, ut decimo quarto ætatis nno legere demum latine cœperit. At poſtmodum *Emdæ* & *Hamburgi* in ›ulvere Scholaſtico deſudavit, & vi-um ſe præſtitit, iſtam tarditatem large com-

compenſavit, diligentiæque ſuæ primum ſpecimen, *Salluſtium*, ex vetuſtioribus codicibus reſtituendo, edidit inſigne. *Lugduni* vero, ubi vixerat, laborare ſe nimium oculorum vitio cernens, Stadam diſceſſit, aërem mutaturus, & quieto vitæ genere ſanitati ſuæ conſulturus. Huic poſtea etiam reſtitutus, *Jenam* & *Lipſiam* veniens, familiaritate *Jungermannarum* uſus eſt conſtanter, & Depoſitionis demum ritu, quamvis invitus, peracto, aliquandiu hic moratus, tandem poſtea in patriam reverſus, peregrinationibus ſanitatis ergo repetitis, amicos inviſit ſuos, *Conradum Rittershuſium* Altdorfi inter alios conveniens, cum quo aliquantiſper familiariter vixit. Inde fauſtis avibus denuo in patriam regreſſus, de novo cogitans itinere, morbo oppreſſus in flore ætatis & juventutis, funeſto parentibus caſu, occubuit A. 1606. Sed ne inſtitui noſtri ſimus immemores, dicendum paucis adhuc eſt, cur & quomodo Putſchius in numerum referatur Correctorum Eruditorum.

Doctum

Doctum fuisse, haud temere quispiam negabit; atque hinc idoneum ad munus illud obeundum, certum est, Reapse vero correxisse libros, testem voco Clar. Crenium, loco infra citando, postquam de Bootio disseruerat, paucis hæc insperſit memoratu digna. *Hæc Bootius*, inquit, *infra suam dignitatem tam ignobilem, ut vocat, laborem collocans, & Medicinæ postponens. At eruditus orbis non parum se debere fatebitur Sylburgio, Jungermanno, Putschio, ceterisque, pro isto ignobili, sed Eruditæ Reipubl. admodum necessario exantlato labore.* His adjicio Celeb. Polyhistoris Conradi Rittershusii verba, ex Epistola a laudato Crenio subjecta typis, desumta. Sic vero ille ad *Melch. Goldastum* scribit: *Requiret illud quidem opus totum hominem, & quidem talem, qualis erat Sylburgius noster amicus, quique in ejus laudem succrescebat Gothofred. Jungermannus, cujus obitum præmaturum magno cum dolore cognovi his diebus, multorum literis crebris: In quo utroque magnam bonæ literæ jacturam fecerunt, inprimis Græcæ. Sicut*

etiam fecerant ante tres quatuorve annos in fido illo Jungermanni Achate Putſchio. Faciam tamen ego, quamdiu valetudo permittet, quicquid potero, non ſolum in iis, quæ ab aliis jam translata ſunt, ad fontes revocandis, accurateque examinandis, verum etiam, ſiqua forte non dum latina verſa ſint, vertendis, dummodo labori meo non indignum ſtatuatur præmium. Fere autem ſic affecti ſunt Bibliopolæ noſtri Germani, ut lucrum ſibi reſervent ex libris redactum; labores vero ſteriles relinquant iis, a quibus imprimenda volumina acceperunt, ſive illi primi fuerint operum auctores ac inventores, ſive Recenſitores & Emendatores. Sed de illis &c. Atque ex his concludo quidem, quod *Putſchius* emaculaverit codices Typographorum, ſed, cui id operæ præſtitit, averem ſcire; Conjectura quidem ex conjunctione cum *Jungermanno* auguror factam illam fuiſſe apud *Wechelios*, in qua me confirmat opinione opus Veterum Grammaticorum *Hannoviæ* ap. *Wechelios* impreſſum. At enim vero cum ex verbis Rittershuſii facili negotio conſpici poſſit, varie

hinc

ıine inde in manibus Criticorum libros
ıiſſe tractatos, ut ſenſus ſcriptoris ge-
ıuinus erueretur, illosque viros Emen-
latores & Recenſitores vocatos fuiſſe,
lubitari poſſet de Putſchio Typogra-
hiæ alicui adſcripto, & Correctorem
ıltem fuiſſe ad prela labore domeſtico,
:u, ſi ita loqui licet, vom Haus aus /
ıon minus plauſibile foret. Sed cum
nnumeretur *Sylburgio* & *Jungermanno*,
n eodem ſtudio peracto, notumque ſit,
um diu ſatis *Hannoviæ* vixiſſe, ideo
arem etiam laborem cum iis ſubiiſſe
irmiter ſum perſuaſus; de Circumſtan-
iis autem alii diſpiciant. Reſtat, ut bre-
ibus dicamus de Putſchianis ſcriptis.
'ræter Salluſtium ergo ejus extat opus
/eterum Grammaticorum XXXIII.
Hanov. 1601. 4. maj., quod in Biblioth.
Boſiana Jenæ inſpicere licet: Elegiæ ni-
idæ & fluidæ prodiere Lipſ. & Hanov.
& pauca alia. Conferatur Adami in Vi-
is Philoſ. p. 457. Crenius in Animadv.
Philoll. P. V. p. 103. Kœnigius in Bibl.
). 610. cujus notetur, inſignis error,
quando perhibet, Putſchium Conr.

Rittershusio parentasse, cum ille ipse affirmat, An. 1606. hic vero 1613. ex vivis sublatus fuerit. Pergi ita ad Lit. R. in qua agmen ducet

Æmarus Ranconetus

VIr maximæ apud Gallos fa præstantis ingenii, & Juris Con Criticique subtilissimi, laude admoc conspicuus. Natus est *Petrocorii*, ut alii, *Vesanæ*, in agro Pericorienſi A Chr. 1499. A teneris annis serio trac omnia ferunt, modo puerili aliàs a insolito; Unde Parentes de ingeni judicii viribus non vulgaria quasi c nantes, literis istum consecrarint; Iid que Scriptores testantur, patrio in l educatum doctrina singulari & sol maxima consecutum esse, ut ab on bus amaretur, &, ut suavis erat mori & colloquiis, diligeretur: Certe sec tate ex condiscipulis neminem fere buisse parem, cuncti affirmant. Qu obrem mirum non est, si dixero, e in omni literatura humaniori & stu Antiquitatum cum Sacrarum tum p

fa

fanarum ad ſupremum culmen adſcendiſſe, ut alias ſcientias taceam. Illud etiam prætereundum non eſſe autumo, quod primum fere in Gallia Romani juris aperuiſſe fontes paſſim tradi videas, nam antea ne vix centeſimus quisque illud intellexerat. Ob hanc igitur Eruditionem ſingularem in Curia *Burdegalenſi* receptum in Senatum, ſed mox iterum abiiſſe iſthac Sparta, cognovimus. Nam cum ad exteros fama nominis ejus dimanare cœpiſſet, a variis ad varia petitus eſt ſubeunda munera. *Lutetias* vero vocatus, patria relicta, in Regiam hanc Galliæ urbem advolavit. Auctus ibidem officiorum & honorum titulis, Conſiliarius primo, mox Præſes in Curia deſignatus eſt. Certatim itaque in eo eluxerunt hinc dignitas Senatoria, illinc Conſiliarii graviſſimum munus, ad quos tamen gradus honorum eum præ reliquis virtutibus ſpectata apud omnes eruditionis moderatio provehebat. Verum creſcente apud Proceres & plebem favore & nominis gloria, creſcebat

etiam invidia Inimicorum. Non enim defuere, qui malevolentiæ furoribus inflammati, non niſi, ut Ranconetum a faſtigiis honorum detruderent, meditarentur. Neque etiam peſſimis hiſce conſiliis defuit eventus, ſiquidem variorum criminum, imo & hæreſeos & inceſtuoſi cum filia concubitus accuſatus, inque jus vocatus, extremum & divitiarum & famæ vitæque periculum videre neceſſe habuit. Detruſus enim in cuſtodiam arctiſſimam non excuſandi modo, ſed etiam a calumniis adverſariorum ſeſe defendendi facultate, quanquam petierat, prohibitus, mœrore exinde contracto inopinato in carcere *Baſtilia* dicto, ut ex aſtrorum judiciis, cujus artis peritiſſimus erat, ſibi ſæpius prædixerat, exſpiravit A. 1559. ætatis ſexageſimo. Ita iisdem infelicibus ſatis uſæ ſunt uxor ejusdem & filia, quarum prior fulmine de cœlo icta occubuit, altera vero variis quamvis ſceleribus maculata, ut quæ laſciva admodum fuiſſe dicitur, miſere in loco publico, platea puto, exſpiravit. Filius vero

vero per carnificis manum violento pariter modo ex vivis ſublatus eſt. His ita geſtis, inimici conſcientiæ furoribus actum, veneno propinato, ſibi ipſi necem intuliſſe, tradiderunt, a quo tamen crimine poſtmodum cognita viri innocentia iterum liberatum eſſe ſcimus. Sed acerbum illud, & præmaturum hujus viri funeſtumque admodum funus moleſte poſthac tulit Galliæ regnum, imo omnes literati. Multa enim egregia ab eo expectabantur, in lucem proditura, quæ neque parari pretio, neque alio quovis reſtitui poterant modo. Varia quippe per vitam collecta conſcripſerat vir laborioſiſſimus, multoque plura ad margines variorum Autorum ſua ipſius manu notaverat, quæ ad illuſtrandos eos perquam eſſent conducibilia. Aliaque plurima erant, quibus Ranconetum fuiſſe inſtructiſſimum, nemo ignorabat. Hæc omnia vero poſt fata viri luctuoſiſſima aut perierunt omnino, aut diſperſa fuere, inque aliorum manus pervenere, qui poſtea, Graculi Æſopici inſtar, alienas

plumas oſtentantes, ſuas eſſe vaniſſima ambitione & injuſte gloriati ſunt, vix nominetenus Ranconeti mentione injecta. Quod ſupereſt ſtudiorum hujus viri ratio uti plane fuit ſingularis, ita notatu dignum eſſe judicavimus. Per integrum nempe diem negotiis vacabat publicis, & colloquiis amicorum ſe frequenter inviſentium concedendis facilis erat. Veſpera deinde ingruente, levi & mediocri parte cibi ſumta, cubitum ſe conferens, ſomnum petere ſolebat. Hinc expergefactus poſt aliquot horas, lecto ſomnoque primo deſerto, caput vitta, in modum cuculli compoſita, texit, atque ſic integris quatuor horis Muſis inſerviit ſuis, meditationibus unice deditus. Tum repetito brevi ſomno, eodemque mox iterum ſoluto, ea, quæ meditatus antea fuerat, chartæ mandavit. Atque ita optime ſibi & valetudini conſervandæ ſe conſulere arbitratus eſt. Methodi vero ſtudendi eum in modum perutilis non inficetas rationes attuliſſe memini legere. Inter quas ea fuit præcipua, quod

quod ſilentio nocturno minus interrumpi, & impediri ſenſa mentis, & poſt primum ſomnum purgato cerebro cruditates ſtomachi per ſputum projici exiſtimaſſet, purioresque ac defœcatiores ita eſſe cogitationes ſibi perſuaderet. Utcunque ſit diffitendum profecto non eſt, Græce & Latine eum elegantiſſime ſcripſiſſe, ut ex *Caroli Stephani* Dictionario Pariſ. 1554. 4. expreſſo liquidiſſime patet. Quamvis enim laudato Stephano adſcribi vulgo ſoleat, multum tamen contulit, ut alii teſtantur, noſter Æmarus Ranconetus ad ejus concinnationem, omnium vero compertiſſimum firmam aluiſſe noſtrum cum laudatis *Stephanis*, dum viveret, amicitiam, ita quidem, ut in primis annis, quibus Lutetiis vixerat, *Henricum II.* ejusque Patrem *Robertum*, itemque *Carolum*, Stephanos, ſtrenue ſua opera juverit, codicesque, qui prodierant iſthaç ætate ex officina iſtorum Typographica, examinando errores, reſtituendo genuinam lectionem, & corrigendo preli ſphalmata adornaverit, unde jure

meritoque locum inter Correctores noſtros ei concedendum credimus. Proſtat ſub nomine ejus ſcriptum Gallicum cui titulus: Treſor de la Langue Francoiſe, tot ancienne que moderne a Pariſ. chez Jean Vignon. It. Codex Juſtinianeus, ex recenſione Gregorii Haloandri cum marginalibus Æmari Ranconeti, Petri Fabri, & Jacobi Cujacii fol. Baſ. ap. Hervaus. An. 1541. Conf. Buddeum in Lex. Univ. P. IV. p. 259. Clarm. P. VIII. p. 59. Naudæana p. 115. Mettairium in Vit. Steph. &c.

Franciſcus Raphelengius

ERuditorum Typographorum cum *Turnebo*, *Oporino*, *Plantino* & aliis Princeps *Lanovii*, quod Inſulanæ ditionis oppidum, An. 1539. d. 27. Febr. divinitus in hanc lucem editus eſt, & publicis commodis deſtinatus cum applauſu cunctorum adolevit. Primam eruditionis comparandæ officinam habuit *Gandavum*, ſed inde ob mortem Parentis primitiis ſtudiorum decerptis, revocatus domum, matris & cognatorum

rum voluntati obtemperaturus, *Norimbergam*, nobile illud Emporium, ad mercimoniorum faciendorum artes addiſcendas migravit. Nactus tamen illuc occaſionem exoptatam, neque Domino, cui a famulitiis erat adverſum, ſtudia repetiit ſua. Idque cum & mater adoleſcentis conatus cerneret, non impedivit conſilium, ſed omni potius amore & ope deſideriis filii laudabilibus honeſtisque ſubvenit. Reverſus igitur ad patrios penates, doctrina jam inſtructus non contemnenda, florentem mox Pariſienſem Academiam petiit, eoſque mox fecit progreſſus, ut magnam de ſe ſpem apud univerſos concitaverit. Nullus enim ſcriptorum fuit, ſeu Græcorum ſeu Latinorum, quem non deguſtaverit, cujusque notatu digniora in ſuccum quaſi & ſanguinem converterit. Multa igitur refertus doctrina, in Angliam transmigravit, atque Cantabrigiæ fructuum in Gallia collectorum non mediocrem apparatum publici juris fecit: Docendo enim magno cum applauſu, Anglorum præſtantiſſimis cum eruditionem

tionem ſolidam tum morum quoque integritatem admodum probavit, donec patriæ reviſendæ gratia, & librorum coëmendorum, quos in Anglia comparare non poterat, *Antverpiam* revertereretur. Quo facto illic inter primos acceſſit *Plantinum*, & ſermonem cum eo de certa librorum copia, eorumque juſto pretio collaturus, ejus ſibi amorem tantopere conciliavit, ut ex eo tempore ægre dimiſſus fuerit. Diſceſſit enim poſthæc aliquantiſper, ſed paullo poſt Artis Typograph. amore & ipſe captus ad *Plantinum* redux, cum eodem de conſtanti opera in corrigendis libris pactus, inter domeſticos ejus plane receptus eſt. Ubi quanta ſibi de doctrina *Raphelengii* ille pollicitus ſit, ex eo apparet, quod in familiam ſuſceptum non ſolum aluit, datis inſuper per ſingulas ſeptimanas quatuor florenis, atque fovit amiciſſime *Plantinus*, verum etiam cognito ejus in filiam ſuam natu majorem amore, eam tradidit noſtro in matrimonium. Quo vinculo accedente *præcipuam*, ut inquit Adami, *in Soceri*

Typo-

Typographia corrigendorum librorum molem plures annos ſuſtinuit. Multum adeo *Raphelengii* diligentia ornamento Librorum Plantinianorum contulit, quibus hucusque clarent maxime, ii cum primis, qui linguis Exoticis Orientalibus imprimebantur, quibus emaculandis ipſe ſolus fere præfuit. Inter omnes vero moleſtias, quas devoravit plurimas, maximos & incredibiles, *Svvertio* ſubinnuente, labores toleravit in edendis Bibliis Regiis Polyglottis, cum Benedicto *Aria Montano*, *Andrea Maſio*, & *Guidone Fabritio*, utpote in quorum impreſſione indefeſſa opera doctiſſimi ac diligentiſſimi Correctoris officio functus eſt. Eidemque, multarum linguarum peritia ornatiſſimo viro, ſtudioſi linguarum orientalium omnes acceptum fere habent, quod nunc poſſideant univerſam Paraphraſin V. T. Librorum Chaldaicam longe emendatiorem, quam unquam antea prodierunt, punctisque maxime ſubſcriptis, ad Analogiam Librorum Danielis & Eſthræ ubique revocatis, ſtipatam.

Atque ita res acta est, donec *Plantino Lugdunum* Batav. commigrante, onus totum regendi Typographei humeris suis impositum haberet, quod tamen prudenter & fortiter gestavit: Illo autem reverso, cum universa familia ipse Lugd. profectus in Soceri succesſurus locum, atque officinam susceppturus, quam ab eo instructam ibidem esse noverat. Hic indies incrementa & laborum & meritorum famæque nominis uberrima capiens, munus tandem Hebræam linguam publice docendi sibi oblatum accepit, idque tanta diligentia studioque gessit, ut Curatores illius Academiæ hujus consilii nunquam pœnituerit. Quandoquidem ab auditoribus maximi æstimatus, omnium favorem amoremque constanter retinuit. Denique ætatis & munerum gravitate exhaustus, & viribus confectus, luctuque ob amissam tristi morte conjugem paralysi correptus, atque diem, quinquaginta & octo annos circiter natus, supremum obiit d. 26. Julii A. 1597. Inter monimenta, quæ relicta habentur, ante-

antecellit cetera Lexicon Arabicum, quod decimo ſexto poſt autoris fata anno publici factum eſt juris, *Leidæ* 1613. 4. maj. opus illuſtre & obſervationibus virorum Eruditorum *Guilh. Poſtelli*, & *Andr. Maſii*, *Scaligeri* præcipue Autori communicatis illuſtratum. Idque majori primum forma in fol. proditurum, ne nimia mole, ac multitudine phraſium verborumque, tyronibus incommodum ad uſum redderetur, omiſſis quibusdam, ea tandem excuſa eſt forma, qua hactenus uſi ſumus. Ejusdem Raphelengii eſt Dictionarium Chaldaicum: itemque Lexicon Perſicum, vocabulorum, quæ in Pentateucho obvia ſunt, & ſimilia, quæ rarius, & nonniſi in Bibliothecis publicis conſpiciuntur: Obſervationes linguæ Hebr. Tabulæ in Grammaticam Hebr. & alia in privatum uſum collecta, & hinc inde Auditoribus ad deſcribendum exhibita, quæ tamen nunquam, ut typis prodirent, videtur in animo habuiſſe vir doctiſſimus, a *Poſtello* ſunt ſubjecta, cum rudimenta Grammaticæ Chriſtianorum

Ara-

Arabicæ ederet. Videantur pluribus Adami in Vitis Philoſ. p. 423. Bælius in Dictionario Tom. I. p. 2557. Freherus p. 1491. Bernh. a Mallinkrot editionis ſupra citatæ p. 94. & alii.

Beatus Rhenanus.

SChletſtadium, quæ urbs eſt *Rheno* vicina *Alſatiæque* pars, A. C. 1485. dedit virum huncce non obſcuri nominis; Qui *Rhenanus* hinc procul dubio poſtea dictus eſt; niſi patris forte originem id nomen referat, qui cum *Antonius Bildius* antea vocaretur, & ex *Rhenaco Schletſtadium* venerat, filio quoque nomen Rhenani imponendi cauſa fuit. Certius eſt in aurea eum incidiſſe ſecula, ſi cum prioribus comparentur: Vixerant enim ſub id tempus viri omnium celeberrimi *Hermol. Barbarus*, *Picus Mirandulanus*, *Trapezuntius*, *Eraſmus* & ſimiles. Huic igitur felicitati divinitus deſtinatus a parente bonæ indolis puer cognitus, literis innutriri cœpit, Scholamque primum patriam viſitavit. Adultior factus deinde Lutetias in Cla-

clariſſimam tunc Artium bonarum ſedem miſſus, Magiſtris eſt uſus doctiſſimis fideliſſimisque, ſuaque accedente ſolertia, ingenii vires præclare excoluit. Ad quem profectum haud parum quoque contulit, quod in *Henrici Stephani* officina præſtantiſſima, adjutus opera *Ranconeti* ante laudati, librorum imprimendorum paginas mendis purgavit, & genuinum incorruptis Manuſcriptis exemplis reſtituit ſenſum. Sed non admodum diu huic operæ inhæſit, quin potius poſt aliquot annorum delapſum in Patriam reverſus, *Argentinam* conceſſit. Cum vero & hoc etiam loco vitæ tempus in addiſcendis literis aliquot luſtra peregiſſet, *Baſileam*, ut ad finem ſtudia ſua exoptata perduceret, hinc profectus eſt. Factum forte, ut ſupra jam digno elogio mactatus *Joh. Conon* in ædibus *Amerbachii* correctionem librorum gereret. Hujus igitur viri in Græca literatura exercitatiſſimi fidei ſe tradidit, atque æmulos ſimul bonarum artium habuit *Brunonem*, *Baſilium* & *Bonifacium*, filios *Joh. Amerbachii*. Ut

autem quaſi a lateribus ſuo ſemper hærere poſſet *Cononi*, paria ſua officia in tollendis codicum erratis promtiſſima *Joh. Amerbachio* obtulit, qua re accepta, in familia horum virorum vivere, & otio dato ſchedas, quæ excuderentur, emendare cœpit. Neque abiit *Baſilea*, quantumvis *Conone* mortuo, ſed ob loci ſalubritatem, temperatumque aërem, tum etiam incrementorum in ſtudiis faciendorum ſpem alens haud dubiam, ibidem ſubſtitit. Quo tempore gnaviter continuavit labores in corrigendis voluminibus diu cœptos, non apud *Amerbachium* ſolum, verum etiam *Joh. Frobenium*, qua occaſione etiam *Eraſmi* & *Gelenii* familiarem conſuetudinem adeptus eſt. Quorum poſteriorem tandem etiam ſocium ſibi adjunxit, teſte ipſo *Gelenio*, in ornando *Livio* ex officina Frobeniana prodeunte, occupatus. Nec minus etiam illum, quippe in una familia ſecum degentem σύνεργον in corrigendo habuit, teſtante *Gronovio*, quem in præfatione ad Livium in 8. conferre non pœnitebit. Tandem vero

Baſi-

Baſileæ quoque valedixit, atque in patriam redux, iterum rem Oeconomicam ſuam inſtituit, quæ, qualis fuerit, Adami verbis exponam: *Adduxerat ſecum Baſilea famulum, cujus poſtea per vitam opera ſemper uſus eſt, præter hunc Rudolphum Berzium, & mulierem vetulam, neminem ea domus habuit.* A matrimonio contrahendo abhorrebat, ſive naturæ diffiſus ſuæ, ſive nummorum parcendorum gratia, liberalitatem enim quidam in eo deſiderabant. Ea certe filii continentia *Beati* patri admodum diſplicuit, utqui hæredem divitiarum, quas poſſidebat, noſſe cupiebat. Quo mortuo, uxorem tandem duxit, verum poſt exigui temporis intervallum, veſicæ doloribus gravius laborans, cum ante matrimonium nemo quicquam de ea re ſenſiſſet, ulcere accedente, *Argentorati*, illuc ex balneis Badenſibus devectus, ſexageſimo ſecundo ætatis anno obiit, nullo ultimæ ſuæ voluntatis, & prope etiam Religionis, relicto monimento. Atque ita facultas ampliſſima numerum 8000. aureorum

excedens, paucis & obſcuris ceſſit hæredibus; Bibliotheca autem, ſic jubente Senatu, ad voluntatem Domini famulo *Berzio* tradita eſt. De ſalute animæ meliora ſperamus, quippe doctrinæ puriori tum reſtauratæ faventiorem fuiſſe unanimi affirmant eruditi conſenſu, unde etiam Paſtorem Pontificium in extremis vitæ neceſſitatibus vix admiſiſſe, non incerto nitor fundamento. Scripta ejus præſtantiora ſunt & paſſim obvia: Obſervationes in aliquot LL. Hiſtoriæ naturalis Plinii fol. Commel. 1593. Libri III. Rerum German. eximii fol. Baſ. 1551, qui locupletior commentarius editus eſt a *Jac. Ottone* Ulmæ 4. 1693. Annotationes in Livium: in Cornelium Tacitum: in Tertullianum breviores, & ob argumentorum præmiſſorum concinnitatem laudabiliores: Hieronymi operibus Amerbachianis emendandis inſudaſſe ex vita Cononis intelligi poteſt. Sed & Origenis, quæ Baſileæ excuſa ſunt, ſcripta emendavit, cujus operibus à ſe correctis Præfamen antepoſuit luculentum, in quo pleraque omnia

omnia de Vita Eraſmi ſcitu digniora reperiuntur notata. Omittimus Commentarium in Senecæ ludum de morte Claudii: Vitam *Joh. Geileri:* Verſionem concinnam Hiſtor. Eccleſ. Euſebii &c. Videatur Adami p. 132. Teiſlierius in Elogiis, T. I. Gronovii præfatio in Livium. Lugd. Bat. 8. exc. Mettairius in Hiſtoria Stephanorum. Quibus omnibus denique addatur plenior ejus vita a *Joh. Sturmio* ſcripta editaque Baſileæ fol. 1551, ex qua, uti & reliqui, mea me hauſiſſe lubens profiteor. Sequitur

Angelus Rocca a Camerino.

ITalus iſte, quod vel nominis forma prodit, S. Theologiæ Doctor, Auguſtinianorum ſodalitio adſcitus, ex agro *Picæno* oriundus, claruit ſec. decimo ſexto. Linguæ Hebraicæ ac Chaldaicæ gnariſſimus auditur, plerisque Antiquitatumque ſacrarum & profanarum inveſtigator acutiſſimus appellatur. Unde vel vix domi, ſed in ædibus Romanis publicis, & Hortis Purpuratorum, ubi monimenta Veterum inveniri poſſe puta-

putabat, conſpiciebatur. Dignitate Apoſtolici Palatii Præfectus vocatur, & a Clemente IIX. *Tagaſtenſis* Epiſcopi honoribus titulisque auctus legitur. Ubi non ſine cauſa titulum nominamus datum, nihil enim adminiſtrationis aut redituum ex umbratili iſta nubecula accepiſſe conſtat. Quandoquidem Civitas illa, patria S. Auguſtini, in Turcarum jam tum fuit manibus ac poteſtate. Sed ita ſolent Pontifices fumum vendere, aliisque poteſtatem maximam in haud exiguam concedere orbis partem, qua nec ipſi gaudent. Cujus modi viros titularesque Epiſcopos non injuria *Lutherus* noſter Larven-Biſchöffe cognominare, aut interpretari potius ſolitus fuit. Sed ad *Roccam* revertor, quacunque ſub larva deliteſcentem. Qui uti erat, ceu jam dictum eſt, vir doctiſſimus, ita quoque Viri Rei literariæ promovendæ ſemper ſtudioſiſſimi nomine inſigniri debet. Non ſiquidem contentus Manuſcriptos codices hinc inde ex ſcriniis Bibliothecæ *Vaticanæ* ſumma induſtria depromſiſſe, excuſſisque illis

ſen-

ſenſum autoris genuinum, ſicubi depravata occurrerent elementa, ut fieri temporum injuria aſſolet, reſtauraſſe, Typographis etiam commiſſa opera mendis a prelo relictis, diu multumque purgavit, idque non contemnendo, ſed laudibus promeritis extollendo ſtudio. Hanc vero operam, quam multis præſtitit libris, quos obſtetricis inſtar tractavit, purioresque luci expoſuit, potiſſimum impendit in aliquot *Auguſtini de Ancona*, ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini ſcripta, Romæ excuſa, ut in Triumphum ejus in Canticum Deiparæ virginis Mariæ Romæ 1590, quem noſter correxit pariter & illuſtravit. Item ejusdem Auguſtini Triumphum in Salutationem, & annunciationem Angelicam Deiparæ præſtitam, An. 1592. Pari modo a mendis liberavit dicti Auguſtini Triumphi ſummam de Eccleſiæ poteſtate. Porro etiam *Cornelii Janſenii* Homilias in Evangelia Dominicalia, quatuor Commentariorum in Concordiam Evangelicam, libris a *Georg. Braunio* collectas,

emaculaſſe, Romæ procuſas reſcivimus. Ea vero, quæ ipſe edidit, hæc ſunt: De Canonizatione ſanctorum Comment. Rom. 1601. De ſcribendis Epiſtolis: De Bibliotheca S. Sixti Senenſis: Arithmetica Rom. 1587, quæ etiam Hiſpanice Barcelonæ 8. prodiit. De Campanis, & Tintinnabulis Lib. Romæ 1612. 4. Commentarius in Bibliothecam Vaticanam 1541. 4, in quo nihil, ut Conringius judicat, eſt memoratu dignum, præterquam quod ex compilatis Onuphrii Panvinii hactenus latentibus monumentis illaudabili facinore eſt ſubductum. His ſubjungo nihil niſi ſequens diſtichon:

Rocca quis? exquiris, meritis hic carmina vincit,
Poſt cineres ipſum fama loquetur anus.

Videatur Angeli Caninii Helleniſmus a Thoma Crenio denuo editus 1709, & præfatione doctiſſima de claris Angelis ornatus, p. 38. Antequam autem ad alium Italum procedamus, memorandus veniet

Geor-

Georgius Rorarius.

FIdiſſimus ille Beati *Lutheri* Annanuenſis, qui vitalem auram trahere cœpit A. 1492, ipſisque Calendis Octobris, honeſtis parentibus natus in Electorali Saxonia. Illi Pontificiorum, qui tum vigebant, ſuperſtitioſum Dei cultum fugientes, traduntur cum puero *Wittenbergam* perveniſſe, atque hoſpitium quoque illic fixiſſe. Certe gnaviter iſthic, utpote in principe Muſarum officina, ſtudia literarum conſectatus eſt, & quidem eorum numero commendatione *Lutheri* Megalandri adſcriptus, qui ex beneficiis a publico expenſis vivere ſolebant, quosque beneficiarios vocant. Ita vero vitam toleravit, donec vera pietate & recta doctrina probe imbuto, ſuaſu Lutheri, Eccleſiæ officia deferre ſecum inſtituit. Impetrata vocatione legitima, Diaconus electus Wittenbergenſis, omnium primus, Dominica, quam vocant, Cantate, An. 1525. in Miniſterii ſacri Evangelici ordinem cooptatus eſt eò ſolenni ritu, quem

paullo ante Martinus præſcripſerat. A qua notabili ordinationis ceremonia, quam ſine Papali ſuperſtitione primus iniit, diſtichon

Ordo mihi primus datus, inſtituente Luthero,
Papa quid inſultas? ad ſacra juſſus eo.

in eum a Poëta conſcriptum, tanquam monumentum perpetuum ſupereſt. Nec minor ejus in Præceptorem fides poſthac fuit; ſtrenue enim eum, uti jam antea adjuvit, tum in aliis, tum præcipue in concinnanda expoliendaque verſione Bibliorum ſacrorum Germanica. In quo ſtudio quid & quantum ille præſtiterit, per compendium cognoſci poterit ex conſiliis Wittenbergicis fol. Francofurti editis, unde & fol. quidem X. ſequentia Germanica, ut ſunt verba, depromere non gravabimur. Aber im Jahr 1539. hat der ehrwürdige und ſeelige Werck-Zeug GOttes / ſamt andern vortrefflichen GOttes-gelehrten Männern / Herrn Phil. Melanchthone, D. Joh. Forſtero, D. Caſp. Crucigero, & M. Matth. Aurogallo die

die Biblia, gedachten 24. und 34. sten Jahrs / aufs neue angefangen zu übersehen / und durchaus mercklich gebessert / und was darinnen geändert / und gebessert worden / hat Lutherus selber mit seiner eignen Hand gethan / ausgenommen etliche wenige Stuck in den Propheten / da Er Schwachheit halber nicht kunte / doch ihme solches alles gefallen lassen / und unter seinem Namen in Druck gegeben. Und nachdem solch Exemplar übersehen / hat Ers M. Rörern / welcher zu derselben Zeit oberster und vereydeter Corrector in Hans Lufftens Buchdruckerey war / übergeben / und demselben befohlen / daß Er die Biblia, so fortan gedruckt würden / nach demselben Exemplar solte drucken lassen / und mit Fleiß corrigiren. Et alio loco iterum a *Paulo Crellio* noster *Rörarius* vocatur: Ein bestellter / vereydeter und besoldeter Corrector. Neque etiam ipse Præfationibus Bibliorum nomini suo subscripto Correctoris addere manus dubitavit, uti exemplarium, quæ rarius hodie

hodie occurrunt, inſpectio confirmat. Exinde Epigramma honorarium a M. *Adriano Beyero* profectum:

Cuncta revidiſti Lutheri ſcripta, Georgi
Rorari, ſacris Ros adamate ſoli:
Atque notaviſti ſacras in margine gloſſas,
Quas hodie nobis Biblia ſacra ferunt.

Ubi quæ de collectione Gloſſarum ex ore Lutheri marginalium ab eodem inſtituta habentur obſervata, cum trivialia ſint, nolumus amplius explanare. Niſi quod, quicquid horum actum eſt, non ſine conſenſu ordinis Theologici Wittenb. Academiæ factum eſſe, uno verbo monere oportet. Hæc igitur & alia per plurimos Wittebergæ tractavit annos, diligenter enim monita Lutheri ſecutus, & in ſequentibus editionibus S. Bibliorum religioſe in præfationibus, atque, ut vocant, poſtfationibus adnotavit, quid additum ſingulis fuerit annis, quæque cauſæ repetitionis fuerint. Præcipue vero poſt fata *Lutheri* tres Tomos operam ejus imprimi emendatiſſimos curavit, tertium Latin., & tertium cum quarto German., ut præfationes teſtantur.

tur. An. Chr. 1550. Witteberga, & officina Joh. Lufftii, qua nulla prope fuit in Germania ſcriptorum ad Eccleſiam ædificandam excuſorum fœcundior, relictis, in Daniam peregrinationem, petitus quidem ſuſcepit; inde vero poſt tres annos *Jenam* iterum retractus eſt. *Cum enim Johannes Fridericus Elector animadverteret ſcripta Reverendi viri, divi Lutheri, non eo ordine eaque fide Witteberga ſuis Tomis diſtincta excudi, quomodo quidem ſperaſſet, conſilia & rationes iniit, de alia accuratiore, & minus ſuſpecta eorundem promulgatione promovenda, quam ob rem Reverendum virum M. Georg. Rorarium (huic enim & prior Wittebergenſis, vivente adhuc Luthero, commiſſa fuerat) ex Dania Jenam vocavit, ac huic negotio præfecit. Quod præclarum opus, conferentibus ad Typographicas operas ſumtus Illuſtriſſimi & Pientiſſimi Principis filiis tandem eſt perfectum.* Vid. *Joh. Roſinus* in Vita *Joh. Friderici Magnanimi.* Qualia exinde inter *Jenenſes* & *Wittebergenſes* orta fuerint litigia, dignum eſt conſideratu, rei literariæ &

Theo-

Theologicæ quidem argumentum. Sed quia commodior de illis diſſerendi occaſio ſeſe offeret impoſterum, hic attigiſſe iſtam concertationem ſatis erit. Reliqua exponemus, quando ad *Waltherum* nos ordo dicendorum perduxerit. Noſter *Rorarius* Jenæ conſtanter commoratus, Bibliothecæ Wittebergenſis portione maxima & optima in Academiam Salanam transvecta, primus ejus præfecturam ſubiit, cui officio ingenti ſtudio & pietate ſic præfuit, ut non ſine deſiderio ſuis relicto, ex hac tandem mortalitate demigraverit, annis 65 prope expletis, d. 24. April. An. 1557. Scriptorum ejus fere nihil ſupereſt, & nobis fere nonniſi innotuit, quod ſub *Amsdorfii* nomine editum contra *Waltherum*, quo magnificis verbis editionem operum Lutheri Jenenſem prædicare, Wittebergenſem vero ſuſpectam reddere, & deprimere multis modis conatus eſt. Vid. Joh. Caſp. Zeumeri Vitæ Prof. Theol. Jenenſ. ed. 8. p. 26. & addantur Conſilia Witteberg. Francofurti fol. exc. Tom. I. p. 9. ſeqq. Cum

his

his conjugantur J. F. Mayerus de Bibliorum Lutheri verſionibus Cap. IV. & J. M. Krafftii Hiſtoria verſionis Bibliorum Germ. Lutheri, quam cupide expectamus, & cujus Prodromus nuper demum feliciter prodiit. Nunc itaque ſequitur

Hieronymus Ruſcellus,

CUi ut patria terra eadem natales cum Angelo Rocca dedit, ſic Poëſeos ſtudium, & ſingularis in carminibus pangendis facultas per omnes Italiæ regiones ſeculo decimo ſexto reddidit eum celebratiſſimum. Ex Civitate *Viterbienſi* fuiſſe accepimus, ingenioque præditum hilari atque ad facetias excogitandas plane comparato. Ad labores vero ſuſtinendos inprimis perhibent fuiſſe paratiſſimum & impigrum, neque minori eruditionis etiam in aliis diſciplinis ſupellectili, quam Poëtices inſtructum. Quare totus literis quaſi immerſus, vel Poëmata ſcribendo, Italico tamen idiomate, vel alia Erudito orbi proficua opuſcula protrudendo, a prelis facta vitia vitam tranſigere ſolebat. De priori exercitio teſtan-

tur

tur Poëmata in lucem publicam emissa, quæ cur Italica Lingua scripserit omnia, non mirum erit, quibus compertum est, hunc *Ruscellum* tanto in vernaculam suam flagrasse amore, ut quotquot alias linguæ numerarentur, eas in universum omnes ante finem mundi perituras, unicam vero Italicam a cunctis gentibus quasi communi jure donandam, audacter affirmaverit. Imo vero, quod magis ridendum, beatos aliquando cœlites in æternis sedibus ista usuros esse non veritus est homo superstitiosus tueri, idque commentum, ratione addita peregregia, quia Capiti Ecclesiæ visibili Pontifici illa familiaris sit, constabilivit. Risum teneatis amici! Testatur de hoc argumento notissimus JCtus *Limnæus*, in Annotationibus ad Capitulationem Caroli V. p. 208. De altera autem studiorum parte laudabiliori constat, multum equidem desudasse in adornandis variis eruditorum lucubrationibus, quas inter chalcographicas operas correxit, & sæpe notis quoque suis adjectis egregie illustravit, in iis præcipue scriptis, quo-

quorum auctores ex hac mortalitate jam emigraverant. Ubi autem locorum id volverit saxum, non æque in luce est positum, quanquam id Venetiis factum putaverim, cum sæpius aliquot annis ibidem commorari solitus esset. Scholia certe ejus addita libris quatuor de Venatione *Natalis Comitis* apud Aldum nepotem impressa An. 1551, id confirmare videntur. Ad quod accedit Index virorum Illustrium ibid. Italice An. 1573. impressus, is cum apud eundem Manutium expressus sit in ejus officina, Correctorem Ruscellum egisse mihi fere persuadere cœpit. Id certe in aprico est positum, eo labore peracto, & præmio qualicunque exinde accepto, vitam illum produxisse suam. Utrum vero & alibi, & quibus illa præstiterit officia, nondum fateor distinctius habeo cognitum. Decessisse Venetiis An. 1568. atque in templo S. Lucæ sepulcrale monumentum habuisse refertur. Videatur interim J. M. Crescimbenius in Comment. ad Histor. Poet. Italicæ Vol. II. L. IV. p. 219. adde

Freherum p. 1464. ubi ſcripta ejus Italico ſermone concinnata reperies. His miſſis in Elemento S agmen ducat homo Socinianus

Chriſtophorus Chriſtophori Sandius,

CHriſtophori Senioris videlicet filius, qui Conſiliarius Electoris Brandenburgici, ejusdemque ſupremi Regiminis & Appellationum judicii Secretarius eſſet, & inde ob ſententiam Socini ſeu erroribus faventem, muneribus A. 1667. exueretur, poſtea privatus delituit, atque tandem etiam *Regiomonti*, ut videtur, mortuus eſt. De quo vid. *Hartknochii* Hiſtor. Eccleſ. Boruſſicæ L. II. c. XI. p. 646. ſeqq. Hoc igitur parente noſter genitus eſt An. 1644. d. 12. Octobris. Patri plane ἀμόψηφος domi aliquandiu vixit. Ab incunabulis etiam dogmata falſa impiaque, quæ ex ore Genitoris hauſerat, ad vegetam excreſcens ætatem non ſolum non depoſuit, ſed ad ultimum usque vitæ halitum pertinaciter defendit. Poſtquam autem

virus

virus ſuum in Patria diſſeminare cœperat, clam quidem primum, poſtmodum vero liberius, prohibitione facta, ſuæ ſaluti ſolum natale amplius vix tutum eſſe ratus, in Belgium, commune illud Hæreticorum aſylum, ſe recepit. Heic ſecurus magis, quam antea, vitæ ſuæ & doctrinæ proſpexit commodis. Hujus quidem dum occaſione quacunque aliis erronea ſua dogmata inſtillare conatus, libellosque etiam ſuos typis ſubjecit: Illius vero, quando inſerviendo officinis Typographicis corrigendo ſcripta, quæ prela fatigabant, alimenta neceſſaria paravit, & nullus liber tam impius erat, cui operam ſuam denegaret. Et licet more ſolito vivens non legatur ad orationem reddendam fidei evocatus: nam quamvis Amſtelodamenſes, ubi degebat, aliæque Civitates Fœderati Belgii, Socinianis una cum Pontificiis nemini religionis exercitium publicum indulgeant, quod ad illos tamen attinet, ſub nomine Menoniſtarum latentes, nihilominus recipiunt & tuentur, tamen rebus ſuis non ſemper confidere

voluiſſe inde patet, quod libris a ſe editis externum aut commentatitium nomen ut plurimum ſubſcribere maluerit, quam ipſius *Amſtelodami* facere apertam mentionem. Ut ut ſit, Chriſtophorus certe noſter junior, quiete ita vivens, emendando alia elucubrata, ſcribendoque ſua ad ultima usque fata laborioſiſſime incubuit, quibus etiam medio ætatis virilis flore immortuus Amſtel. An. 1680. d. ultimo Novembris conceſſit. Cui potiſſimum Typographeo ſuam locarit induſtriam, non memini a quoquam, neque etiam a Clar. *Benthemio* annotatum. Atque inde pluribus operam dediſſe, dum meliora edoceamur, conjicimus. Scripta reliquit multo plura, quam pater; ea vero nullibi plenius recenſentur, quam in ipſa Bibliotheca Anti-Trinitariorum, quam ipſe Manuſcriptam reliquerat, cui forte ab alia manu ea ſunt inſerta, ex qua paucis titulos notaſſe potiorum ſufficit. Celeberrimus eſt nucleus Hiſtor. Eccleſ. 1668. 8. Coſmopoli (Amſtelodami ut reliqua omnia) & 1676. 4. excu-

excuſus, quod ſcriptum confutavit ſemel iterumque Gartinerius, de quo Sagittarius l. c. videri poteſt. Reliqua ſunt Centuria Epigrammatum An. 1669. 8. Interpretationes Paradoxæ IV. Evangeliorum 1670. 8. De Origine animæ 1671. 8. minori, quam confutavit Balthaſar Bebelius Argentorati 8. 1675. Notæ & animadverſiones in G. J. Voſſii LL. III. de Hiſtoricis Latinis 1677. 12. Scriptura Sacra Trinitatis revelatrix ſub nominis Cingalli Goudæ 1678. 12. Problema Paradoxum de Spiritu S. annon per illum S. Angeli intelligi poſſint, Roterod. 1678. 8. &c. omnium utiliſſimam dixeris Bibliothecam Anti-Trinitariorum, opus poſthumum Freiſtadii h. e. Amſtel. 8. An. 1684. excuſum, ubi reliqua hujus viri ſcripta & Manuſcripta magno numero enarrata videas. Hanc vide p. 169, & in Vita Patris p. 150. Conferatur Bælius in Novelles de la Republ. des Lettres 1684. Arnold in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie, P. I. p. 565, qui Sanditum paullo ante obitum in Arminianorum ſententias abiiſſe, atque

mea

mea confeſſione exſpiraſſe tradit, quod niſi error ſit Typographi itidem affirmare videtur Benthemius im Holländiſchen Kirchen- und Schulen-Staat/ P. II.

Johannes Scapula

INfideliſſimus omnium famulorum, ut eum appellant *Mettairius* & *Almeloveenius*, quorum tamen poſterior titulum hunc a manibus viri deprecatur, ſi qua durius locutus fuerit. Gente Germanum fuiſſe teſtatur Kœnigius, ſine nota dubitationis, ſed ſine teſte fide digno alio. Quemadmodum & plura hujus viri vitæ fata comperire non magis potuit, quam ego, atque ideo, uti ſolet, cetera ſicco tranſivit pede. Sitne Scapulæ nomen tralatitium, & ex Germanico Schulter formatum, indoles iſtius Seculi mihi fere perſuadet, mallem tamen certiora ejus conjecturæ indicia habere. Quare in his omnibus certi aliquid affirmare vix potero, quoad usque meliora aliunde edoctus fuero. De reliquo quamvis à literatis pene omnibus Plagiarius

garius quaſi certus habeatur, miror, neque a *Jacobo Thomaſio* tamen de Plagio & Plagiariis, neque in ſupplementis, neque in additamentis *Almeloveenii*, vel verbo ejus rei fieri mentionem. Utcunque ſit, exploratum certe eſt, vixiſſe eum aliquot annos in familia *Henrici Stephani* (de quo poſtea) eique in corrigendo ſphalmata operam ſedulam præſtitiſſe, unde etiam ſine dubio Famulus hujus celebratiſſimi Typographi vulgo vocari ſolet. Atque in hoc cum conſtitutus eſſet officio, factum, ut *Henricus* Theſaurum ſuum Græcæ Linguæ typis excuderet ſuis. Cujus operis quotidianam ille lectionem inter deſcribendum nactus compendium dicitur concinnaſſe, eoque feliciter confecto Typographeo Henrici valedixiſſe, & codicem ſuum *Baſileæ* An. 1590, ut Mettairius habet, prima vice luci expoſuiſſe ajunt, ſine quo furto in obſcuro ſine dubio permanſiſſet *Scapula*. Atque hinc prodeunte poſtmodum An. 1572. Theſauro ipſo, ita acceptum gratumque ob pretii caritatem, prolixitatemque non

fuiſſe, Lexico Scapulæ An. 1579. præſertim denuo recuſo, ut quidem ſperaverat Stephanus, fama eſt. Jacturam ingentem paſſum omnium bonorum Gallia tandem excedere ob æs alienum, coactum fuiſſe, ſunt qui narrant. Non deſunt quidem, qui novam Theſauri editionem nihilominus ſuſcepiſſe cum carmine in Scapulam invectivo tradunt bonum Stephanum; verum falſa hæc ſunt, quæ de altera pretioſi libri editione feruntur. Nunquam enim ita facultatibus ſuis reſtitutus eſt, ut tantæ molis & tot impenſarum Librum iterum exprimere potuiſſet. Illud ſaltim ex dictis patet, jure merito querelas longe plurimas Henricum profudiſſe, ob Scapulæ factum ſibi maxime noxium. Quam etiam ob rem vitio eas a nemine Eruditorum verſas obſervavimus, ut potius laudarint ea occaſione Carmina quædam ab illo conſcripta, quorum unum ex *Almeloveenio*, alterum ex *Mettairio* hic recudi fecimus. Tertium enim in Morhofii Polyhiſtore Tom. I. L. IV. c. 8. §. 6. reperire licet, & paſſim obvium eſt. Prius ita habet: *Inſpe-*

Inſperata alios Theſauros lucra videmus
Ferre repertori: triſtemque repente fugari
Pauperiem, vilemque caſam mutarier arce.
At me contra inopem meus hic ex divite fecit
Theſaurus, gazasque omnes exhauſit avitas.
Si tamen hic animum veſtrum, pectusque benignum
Conciliare mihi (quod ait ſe poſſe) valebit,
Tum vero haud aliter quam quondam Pelias haſta
Fecerit id vulnus, factoque medebitur idem.

Gravius eſt alterum, quo ſcripſit non ſine argutiis:

Opus redegit qui illud in compendium,
Impendium in eo temporis quam maximum
Feciſſe dicit; Vellet id penſare nos,
Sua crumena maximo compendio.
Lectorum at ille maximo diſpendio
Contraxit opus id, impoſuit & omnibus.
Pœna irrogetur huic, ut non gravis tamen,
Tantum eſſe dignum dixerim ſuſpendio.

Hæc tamen & alia ſimilia, abſit, ut exiſtimemus, quod non Scapula iſta jam antea præſenſerit. Prævidit non ſolum, ſed etiam omnem plagii ſuſpicionem a ſe amoliturus, de ſuo labore in præfatione hunc in modum diſſeruit : *In hoc autem opere cum plurimum temporis contrivisſem (remorante me partim ipſius operis prolixitate, partim functione mea, partim denique privatis occupationibus) incidi forte in Theſaurum ab Henrico Stephano conſcriptum : cujus ſola inſcriptione lecta, exiſtimavi me actum egiſſe. Verum cum Theſaurum illum penitius introſpectum, præter alia multa a meo conſilio diſcrepantia, diverſo etiam ab eo, quem ſecutus fueram, ordine ſcriptum fuiſſe, re ipſa cognoviſſem, idque amicorum oculis ſubjeciſſem, eorum judicio fretus, multis rationibus adductus hæc tandem in lucem prodire permiſi. At vero ne Theſauri illius, Herculeo ſane labore compoſiti, auctorem bene de literis meritum debita laude fraudare, aut me alienis plumis venditare videar, quid illi acceptum feram, fateri non gravabor* &c. His ſa-

ne

ne lectis, quis non à plagii crimine *Scapulam* absolveret? Verum, quibuscunque etiam lenociniis verborum facta sua tegat, ea tamen nihil nisi anguem ingrati animi in herba quasi habent latentem. Cujus vitii vel illud haud leve indicium est, quod ne tribus quidem verbis meminerit, quantis *Stephano* obstrictus sit modis, cum tamen per aliquot annos ejusdem fuerit inquilinus. Ad hæc neque legimus unquam *Scapulam* vel alios quoscunque ejus amicos Apologiam, aut simile quid vindiciarum conscripsisse, quibus accusationibus Stephani respondissent, famamque innocentis defendissent. Unde altum potius apud omnes silentium tacitam quasi approbationem aut conscientiæ vulnus prodere videtur. Jure igitur optimo *Scapula* noster in numerum Plagiariorum, non minus quam infidelium Correctorum referri meretur. Cujus Lexicon Græco Latinum aliquoties lucem vidit post editionem primam An. 1570. & alteram An. 1579. variisque in locis sunt repetitæ. Ultima quod sciam

ſciam eſt Elzeviriana Amſtelodamenſis; nitidiſſima vero omnium Lugd. Batava 1650. fol. Baſileenſes, *Zwingeri* ut plurimum cura editæ ſunt tabulisque de Dialectis Græcorum variis auctæ, itemque communiſſimæ ſunt, & magis parabiliores. Sunt qui ſtudioſis Græcæ linguæ utiliorem Scapulæ laborem iſtum cenſent, quam Theſaurum Stephani, ſed videntur illi ad tirones magis reſpicere & pretium, quo ille venditur, hodie potiſſimum maximum: Multo enim pleniora, & provectioribus magis proficua eſſe volumina illa majora Stephanianæ induſtriæ quis neget. Conferatur Mettairius p. 364. & Almeloveenius p. 74. Stephanus ipſe in ſua de Lipſii Latinitate palæſtra, ubi per Dialogum inter Kænophilum & Coronellum admodum Scapula vapulat, id quod pari vehementia fit in Paralipomenis Grammaticarum Inſtitutionum Græcæ linguæ 4. 1587. exc. His addatur Paulus Pater in diſſert. de arte Typogr. quæ Lipſ. 4. prodiit. p. 77.

Johan-

Johannes Schmidius

THeologus *Argentinenſis*, ob Eruditionem inſignem facundiamque ſacram, & moderationem animi longe celeberrimus, quem in hanc vitalem lucem editum eſſe *Budiſſæ* Luſatorum An. 1594. d. 20. Junii, Patre vero genitum *Johanne*, Pannifice Biographi tradunt. Sub *Biccii* diſciplina aliquo usque in rudimentis ſtudiorum provectus *Hallam* Saxonum pervenit juvenis. Peſte vero ibidem graſſante, & omnia diſſipante, in pago *Zevviker* proxime adjacente nobilis cujusdam matronæ liberos privatim docuit. Hinc *Spiram* poſtmodum profectus, de novo juventuti domi informandæ operam dedit. Sed neque hoc modo ſibi conſultum eſſe credens, *Argentinam* tandem pedem promovit. Rebus autem illic valde attenuatis An. 1613. prope ſesquiennium integrum in officina quadam Typogr. quæ, qualis fuerit, cognovimus nondum, *Theodoſii* tamen *Rühelii* fuiſſe exiſtimavimus, preli curam geſſit, & er-

& errores reſtituit, emendavitque ſedulo ; noctes vero ſtudiis Theologiæ incumbendo totas ſæpe conſumſit. Unde quam dura emergendi occaſio, & quæ ſubeundæ moleſtiæ ei fuerint, priusquam ad honorum culmen adſcenderet, elucet. Neque hoc gradu altius enitendi felicitas contigit viro præſtantiſſimo ; nam poſthac iterum Conſularis viri, urbis præclaræ filios erudiendos domeſtico labore in diſciplinam accepit. Tandem favore hujus Senatoris adjutus Magiſter liberalium artium creatus An. 1617. cum diſcipulo poſtremo exteras inviſit terras, Germaniamque, Galliam, Angliam & Belgium perluſtravit, eoque itinere peracto, variis defunctus eſt officiis minoris conditionis & ordinis. Denique cum quibusdam juvenibus Tubingam, *Jenam* & *Wittebergam* peregrinatus, vix in loco poſtremo conſederat, cum ad Theologiam publice docendam An. 1623. Argentoratum accerſitus eſt. Atque ſic tandem obſequens nutui huic divino per gradus ad ſummos in ſacris muneri-

bus

bus paullatim conſcendit honores, & uxore ducta tres liberos genuit, multaque ſubinde officia delata, qua erat modeſtia, reſpuit. Donec Conventus Eccleſ. & Capituli Thomani Præſes electus, & pene obrutus occupationum multitudine, accedentibus calculi laboribus, diarrhœa & ſingultu viribus attritis d. 27 Auguſti ætatis 65. annorum An. 1658. Spiritum Deo redderet, omniumque deſiderium domi æque ac foris relinqueret. Scripta, quæ ſuperſunt, plurima numerantur, quæ paſſim annotata reperiuntur, & Germanica ſunt atque Latina; Ex quibus potiora Concionibus habitis, Feſtivalibus, Pœnitentialibus & Caſualibus, ut vocant, itemque Pſalmi aliqui conſtant, proſtantque magno numero. Inter Latina vero eminent: De Auguſtana Confeſſione: De Chriſti adſcenſione in cœlum, & ad dextram Patris ſeſſione: De attributis divinis: Diſputationes variæ, quas, ut reliqua omnia, non opus erit recenſere, cum ex Wittii Memoriis, ubi in Decade IX. ultimum occupavit locum, ſatis conſtent.

Nobis

Nobis nunc ſufficit in Correctores eruditos qualemcunque ei locum quoque in noſtro indice feciſſe. Quo celebrior vero noſter fuit Schmidius, eo famoſior eſt is, qui ſequitur, nempe

Michael Servetus

HIſpanus gente, patria *Aragò*, & de reliquo in omnibus *Europæ* Eccleſiis ſatis decantatus Hæreſiarcha. Vocatur quidem ab *Arnoldo* omnium Hæreticorum Cauſidico, *Tarraconenſis Catalaunus:* id quod ſine dubio ex Bibliotheca Sandii ita edoctus aſſeruit, qui itidem, uti & celeberrimus Lipſienſium Theol. *Bærnerus* in continuatione Bibliothecæ ſacræ Longianæ, Catalaunum appellavit; Verum bene Collectores Relationum Nov-antiquarum obſervarunt *Aragonem* fuiſſe. Nam quanquam varia ſcriptis ſuis ſubjecerit nomina, ut plurimum tamen ſe vocaſſe *Rennem ab Aragonia* conſtat. Qua etiam re cum illis conſentit *Caſp. Calvoerius* in notiſſimo de variis orbis religionibus utiliſſimoque opere, cujus verba

verba exprimere brevitatis ſtudio nolumus. Studio a puerilibus annis Medico fuiſſe deditum, paſſim narratur, & mox *Reves*, mox *Rennes*, mox *de Rennes* in ſcriptis vocari maluiſſe, jam ſatis conſtat; utut non raro etiam ſub *Villanovani* nomine occurrat. Blaſphema dogmata ad orcum diu damnata contra S. Trinitatis Myſterium iterum in lucem protuliſſe ex hiſtoria medii ævi Sec. XVI. itidem exploratum eſt. Quo vero ætatis anno, & cujus ductu, ſuone ipſius Marte ad iſta delapſus fuerit portenta, compertum nondum habemus. Illud conſtat fundamentis ſtudiorum in *Aragoniæ* quodam cœnobio poſitis, in Galliam, libertati ſuæ ſentiendi quicquid voluerit magis ſecurum, Inquiſitorum fævitiam timentem, abiiſſe, & poſtquam *Pariſiis* aliquandiu vixerat, in *Africam*, Linguæ Arabicæ addiſcendæ & Alcorani evolvendi ſtudio, transfretaſſe. Atque hic adeo, ut multi, qui pura adhuc in Galliam veniſſe mente ſibi perſuadent, nec ſine veriſimilitudine credunt, ſive hauſit venena, ſive jam præ-

cepta auxit. Eo ſane ex hoc tempore in transverſum abreptus eſt, ut rectius de Turcis eorumque ſalute, quam Chriſtianorum ſentire cœperit, id quod mirum bene multis in hoc homine videbatur, quippe qui judicio, ut Hiſpani ſolent, polleret acri, ſed rationi corruptæ, quod maxime dolendum, & ſui ingenii argumentationibus ambitioſis indulgeret. Reverſus demum in *Galliam* ſemina errorum peſſima illic diſperſit. Ubi & ſententia ejus de S. S. Trinitate An. 1523. primum innotuit. Equidem *Th. Beza*, præcipuus Zwingliani dogmatis propagator, poſt triginta annorum blaſphemias illum periiſſe ait, id quod denuo in Vita Calvini repetit, dicendo: *Eum totos triginta annos tum voce, tum ſcripto, cœlum ac terram infeciſſe.* Sed diſſentit aperte ab eo Calvinus, inquiens in Epiſtola ad Sulcerum An. 1553. ſcripta, *viginti annis ante obitum dogmata eum blaſphema ſparſiſſe.* Utrumque tandem conciliat *Sandius*, *Calvinum* loqui de initio divulgatorum errorum, ope ſcriptorum typis editorum;

rum; anno enim 1531. tr. de Trinitatis erroribus, prodiiſſe affirmans. Quibus litibus intercedere noſtrum non eſt; Alii de iſtis diſpiciant. Nobis ad ſcopum noſtrum accedendum propius: Vixit nempe plerumque *Lugduni*, poſtquam antea in Italia & *Venetiis* potiſſimum latebras fruſtra quæſiverat. Varias illic circumſpiciens occaſiones, quibus virus animo conceptum, ad alios propagare ſine ſuſpicione & periculo poſſet, commodam tandem nactus eſt. Excudebantur *Lugduni* impenſis *Hugonis a Porta* ap. *Caſp. Trechſelium*, Biblia ſacra ex Santis Pangnini translatione. Hæc editio, ut in aliis libris factum erat jam per aliquot annos, corrigenda, ut *Trechſelius* conſueverat, *Servetо* exhibetur. Quo facto non intermiſit ille noſter, cum ſine metu ſalutis, & alio nomine fieri poſſet, varias adjicere gloſſas impias ſatis, & anguem ſub herba latentem indicantes. Atque ita fraudulentum ſub nomine *Michaelis Villanovani* egit Correctorem, & falſarium Impoſtorem. Lectu digna ſunt

verba *Calvini*, quæ dicta a me corroborare poſſunt. *Lugduni*, ait ille in defenſione orthodoxæ fidei adv. Servetum, *cum ſacris literis corrigendis opera ejus (Serveti) conducta foret, poſtquam Typographos quingentis libris Francicis emunxit, ne furatum eſſe quis diceret, quod mercedis nomine ſumſerat, ſingulas paginas partim futilibus nugis, partim impiis deliriis inquinavit. Vide reliqua, & adde l. c. p m. 59.* His factis, a *Lugduno* iterum abiit, & quanquam in latebris ſaltem hærebat, ad cauſam tamen dicendam aliquando productus, *Viennam* Delphinatus evocatus eſt, ibidemque acerrimum ſe Lutheranorum hoſtem profeſſus, ſalvus iterum evaſit; Italiam vero repetiturus, *Genevam* tranſiit, univerſum Vetus Teſtamentum commentariis illuſtraturus. Malis autem auſpiciis, inquiente *Calvino*, iſthuc appulſus. Nam autore illo, unus ex Syndicis dictæ urbis in carcerem ex hoſpitio Servetum duci juſſit. Hic per aliquot hebdomadas detentus, tandem nec reſipiſcens, neque gratiam etiam cujusquam ambiens,

biens, ad rogum damnatus, & vivus, jam ſenectute gravis, ipſoque Calvino major natu, An. 1553. d. 27. Octobris combuſtus eſt. De quo ſupplicio *Sandius* citat verba *Hyperphrogeni Gandavi* ex Manuſcripto deſumta ſequentia: *Atque ita Servetus eductus & abreptus eſt, atque lento igne uſtulatus, totus concrematur. In quo igne cum horas tantum non duas aut tres circumcurſitans, atque vehementiore vento ſuborto, eoque flamma depulſa, emori non poſſet, poſtremo deficientibus lignis, ejulare & exclamare cæpit: Heu me miſerum, qui vitam hoc rogo finire nequeo! Anne ducenti coronati aurei mihi capto abrepti, & non exuſti, lege reclamante, torquisque aureus de collo dependens ſufficiebant, quibus affatim lignorum coëmi, & huc congeri potuiſſent, mihi miſerando conſumendo! Aderat hic Guilh. Farellus Eccleſiæ Genev. Senior Miniſter, qui non ceſſabat Serveto in extremis acclamare: Crede in æternum DEI filium JESVM CHRISTVM: Cui conſtanter Servetus: Ego credo CHRISTVM eſſe verum DEI filium, ſed non æternum. Atque*

ſic tandem exuſtulatus exſpirans, peremtus eſt, poſtquam in manus DEI Patris commendaverat Spiritum. Equidem propterea exprobrare Calvinianis crudelem immanitatem non verentur Sociniani, Pontificii, imo non raro etiam Lutherani, quorum invectivas orationes in unum collegit Clar. *Gothofr. Arnoldus* in Hiſtoria Hæreticorum, quem loco mox citando evolve, lege, & judica. Sed habent ex adverſo, quæ pro juſtitia factorum a ſuis & Senatu inprimis Genev. reponant, qui ſtant a Calvini partibus, & præter *Th. Bezam*, ipſe etiam *Calvinus* Apologiam pro ſe ſuisque conſiliis ſcripſit in *defenſione orthodoxæ Fidei de Sacra Trinitate contra prodigioſos errores Serveti* Hiſpani, ubi oſtenditur Hæreticos jure gladii coërcendos eſſe. Pariſ. An. 1554. typis Roberti Stephani 8. excuſam, in qua de corrigendi officio relata ſupra citavimus, aliisque libri totius diligentem conſiderationem commendamus. Id certo *Zwingliani* uno ore omnes contendunt, in carcere petulantem admodum

modum & procacem ſe geſſiſſe *Servetum*, tetrisque blaſphemiis in Deum, & horrendis convitiis in Magiſtratum omnia impleſſe, neque eo in ultimis quoque conſtitutum adigi potuiſſe, ut a populo preces, pro ſua ſalute ad Deum faciendas, ſibi expeteret. Habes ergo, benevole Lector, fata ultima triſtiaque Correctoris noſtri, ex quibus id ſaltem intelliges, qualia & quanta a Correctore, in quo fides deſideratur, ſi libris imprimendis ſenſa mentis perverſa inſpergere audeat, metuenda ſint. Cetera enim in medio relinquimus, & Theologis expendenda committimus, paucisque ſcripta Serveti, quæ Sandius collegit, addimus. Sunt ea: Theſaurus animæ, alias Deſiderius Peregrinus dictus, Hiſpanice primum excuſus cum Privilegio Regis, atque in Latium poſtmodum translatus 1674. Roterod. in. 24. Dillingæ 1583. 16. it. Belgice Roterod. 1590. Harlemi 1646. Dordraci 1654. & Amſtelod. 1678. 12. cum figuris: De Trinitatis erroribus LL. VII. Baſil. 1531. 8. Belgice per Renier Telle 1620. 4. qui libellus

augm. D. Bœrneri Lipſ. 1709. 8. P. I. p. 687. it. Caſp. Calvoerius tr. de variis orbis religionibus 4. Lipſ. 1705. L. XVI. cap. III. p. 444. Schlüſſelburgii Catal. Hæreticorum ed. 8. Francofurtanæ L. XI, p. 2. Nos, nihil, his niſi Epitaphium, quod aliud agentibus enatum eſt, addemus:

Me miſerum nuper combuſſit lucida flamma,
Accenſoque rogo turpiter interii.
Vox erat infragilis, ſic pectus firmius ære,
Impia defendi, fasve piumve mihi.
Servetus *num* Servatus? *non quære viator,*
An Servatorem *qui negat aſtra petat?*

Johannes Sextus

NOrimbergenſibus magis, quam exteris cognitus, *Elnboga Bohemus.* Cum Parentibus ob ſacra, quæ colebat, Pontificiis exoſa, e patria excedere juſſus, exul migravit ad exteros: ita tamen conſtanter in ſtudiorum curſu progreſſus, ut nullis ærumnis ſe abduci inde paſſus fuerit. Vagus itaque & extorris

quasi *Cygneam*, inde *Wonsidelium* atque tandem *Noribergam* delatus est. Abhinc, Scholastico excusso pulvere, *Moguntiam*, *Francofurtum* atque porro *Argentoratum* studiorum gratia migravit, omnique sedulitate iisdem incubuit. Sed A. R. S. 1636. *Ulma* salutata, Noriribergam repetiit, atque illinc, post alios excursus peractos breviores, quos Egram & Wonsidelium suscepit, firmas tandem sedes fixit. Atque ex eo tempore, ut vitæ necessariorum comparandorum rationem haberet, & tamen in literis melioribus simul proficeret, Typographeo Endteriano præfectus, libros in eo impressos per aliquot annos correxit, multumque in hisce negotiis se profeciisse, sæpius professus est. Quo factum, ut permulti etiam viri eruditione clari, & in orbe literato celebres, amicitiam ejus ambire non sint dedignati, in quibus *Joh. Georg. Styrzelius*, Augustanus & Reipubl. Rotenburgensis ad Tubar. Consularis, aliique plures gratissimum & constans literarum commercium cum eo inierunt. Eundem in nostrum favo-

favorem *Mauritii Hoffmanni*, celeberrimi Altdorfini Medici, itemque *Joh. Gabr. Wurfbainii*, & *Georgii Richteri* aliunde colligimus, a quibus & in Philotheca Doctiſſimi Endteriana Typogr. Directoris & Eccleſiæ Candidati, titulum & elogium retulit. Ita ſibi & laboribus memoratis diu admodum vixit; donec tandem in *Hersbruccenſi* Noricorum municipali urbe Scholæ ſuprepremus conſtitutus eſt An. 1654. Gubernator. Quo munere non conſtanter perfunctus eſt, ſed inde denuo Norimbergam rediens, Scholaſticis negotiis abdicatis, priores denuo ſuſcepit curas, atque ad ultima vitæ fata Endterorum Corrector permanſit. Librorum præterea jam compactorum mercatu, ſed non niſi inter amicos inſtituto, magnum ſupellectilis librariæ collegit apparatum, qui poſtea in B. *Arnoldi Burgeri*, Primicerii Noribergenſis eruditiſſimi, cum filia Sexti, in matrimonium accepta, venere poteſtatem. Unde, poſtquam nuper ille diem ſuum obiit, mirum, quantus optimorum codicum numerus

merus in omni disciplinarum genere divenditus & distractus est. De reliquo, Poëtam fuisse *Sextum* nostrum excellentem, nostratium neminem fugit. Carmina vero ipsa, hinc inde in manibus Eruditorum dispersa, quodammodo in agro Norico circumvolitant, quæ ut conjunctim aliquando luci publicæ exponantur, quisquis intelliget, quid distant æra lupinis, exoptaverit. Speciminis loco unicum ab eo structum, & in Philothecæ ipsius frontispicio amicorum benevolentiam ambiens, placet hic repetere:

Quæritis, insignes Virtute atque arte Patroni,
Et lecti juvenes quid liber iste velit?
Non deposcit opes, non ditis munera Cræsi,
Hoc tantum votis flagitat ille suis:
Ut, vestro videor si dignus amore, favore,
Vestra album signet littera picta manu.
Extet ut indicium, pignusque favoris, amoris,
Pectora & ut pateant candidiora nive.

Et

Et quoties liber hic noſtris occurrit ocellis,
Sim toties Veſtri cum Pietate memor.
Sic etiam abſentes inter firmumque ratumque
Tempore perpetuo fœdus amoris erit.

Johannes Guicæus Stratander

ARtis Medicæ, cujus natales non innotuere nobis, indefeſſus cultor, qui poſteaquam per varias Europæ Provincias iter peractum finierat, idque ſumtibus & impenſis potiſſimum *Laurentii a Ravenſtein*, tandem *Baſileæ* An. 1560. ſubſtitit; Collecturo ibidem peregrinationum & ſtudiorum fructus non defuere occaſiones, quibus notitiam, qua pollebat in Græca & Latina literatura, exactam demonſtraret, tantaque, dum viveret illic, fuit ejus exiſtimatio, ut omnium conſenſu dictarum linguarum peritiſſimus ab univerſis propemodum cenſeretur. Ita tunc temporis colebantur ſtudia etiam Medica, longe diverſo a noſtris moribus ſtatu, ubi vel vigeſimus ex ſtudii Medici cultoribus Græcas callet litteras; ita etiam omnibus hono-

honorum titulis ornabantur, cum hodie, id quod interdum vix mirum mihi videtur, non ſemper adeo magni habeantur. Sed ad noſtrum Stratandrum revertor, is omnium maxime ab *Hieron. Frobenio* diligebatur, a quo etiam, ut emendationi Sphalmatum Typographicorum in officina ſua incumberet, rogatus haud illubenter petitis viri locum dedit, omni induſtria & ſtudio pro Eruditione, qua præcelluit, huic muneri & Frobenii expectationi ſatisfecit. Hinc a *Guilhelmo Crataolo* in Indice *Galeni* operibus apud Froben. fol. adjecto, vocatur *Frobenianus Corrector, Juvenis eruditiſſimus & Medicinæ Studioſus:* id quod nec ipſe, ut alii ſolent, diſſimulavit, aut prorſus negavit in Dioptra, ſive Elencho Galeni librorum ſpuriorum, aut impropriorum eidem editioni adjecto. Hanc etiam Dioptram, ſive copioſiſſimum Indicem, breviter & accurate ſingula in Galeno occurrentia complectentem, laudato *Laurentio a Ravenſtein* inſcripſit, & eo ipſo gratum animum, cum aliter non poſſet, publi-

publica beneficiorum ab eo acceptorum professione abunde demonstratum dedit. De reliquo, an Basileæ substiterit, hisque laboribus immortuus sit, pro certo affirmare nequeo. Plura enim comperire de hoc viro, quamvis omni adhibita opera, non potui. Conferatur laudata editio Galeni apud Frobenium & Nicol. Episcopium excusa 1562. fol. Unde, quo tempore in isto corrigendi labore occupatus fuerit, intelligi potest. Hoc misso, jubente ordine, succedat

Jacobus Ludovicus Strebæus,

GEnte Gallus, & patria *Rhemensis*, natus A. O. R. 1481. Claruit sub initium Sec. XVI. familia prognatus non splendida quidem & nobili, honesta tamen. Quam etiam ob rem a parentibus, qui pauperrimi erant, & opificio quodam vitæ alimenta quærebant, subsidiorum perparum expectare poterat, unde se sustentaret, & in studiorum cursu feliciis facere progressus posset. Proinde pauciſſimis contentus, cum

cum bonitatem ingenii ſui noſſet, fortunæ quaſi obviam procedens, ſedulo in ſtadio, quod ingreſſus erat, perſtitit. Ingenuum ſcil. credebat animum metu periculorum non territari, virtutemque non humilia, inertia & tuta ſectari, verum per alta ire, atque ita procedere, ſic exiſtimante Seneca de Providentia:

Utque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen adverſi gradiaris cornua Tauri
Æmoniosque arcus, violentaque ora Leonis.

Solet alias in hujusmodi fortunæ caſibus ultima via pronior eſſe, initio ſaltem exiſtente gravi, id quod permultis teſtimoniis exemplisque comprobari poſſet, ſi opus eſſet. Verum in eodem noſtro *Strebæo* conjuraſſe quodammodo omnes ærumnarum ventos crediderim, ita ad extremos usque vitæ dies calamitatibus fuit expoſitus. Quod ad litteras quidem attinet, lætus & fortis easdem tractavit, nec infelici in iis decremento eſt gaviſus, ea præcipue methodo, qua in diſciplinis elegantioribus,

ut

ut non ſecluſo artium aliquarum teneretur fonte; ſed unde univerſum flumen guſtare poterat. Unde & diſertiſſimus, & ad ornate dicendum paratiſſimus redditus eſt. Primus certe *Lutetiis* puriorem loquendi & ſcribendi modum induxit, & a barbarie maxima, ibidem dominium obtinente, Scholas expurgavit. Dolendum autem eſt haud immerito, quod munus publicum, doctrina ſua dignum, conſequi fortunæ & Monachorum malignitate & invidia non potuit, & in ſumma egeſtate vita pertrahenda fuit. Atque hæc ratio denique fuit, cur omni quaſi ære congeſto, ut ſe ſuosque honeſte nutriret in Typographiis Pariſinis, apud *Stephanos* præcipue & alios, pro ſoluto pretio, tanquam ſtabulum Augiæ purgaturus, Eruditorum libros maluerit corrigere a vitiis, quam otiari, vel otioſa cum egeſtate conflictari. Omnium vero maxime iſthac opera debilem ſuſtentavit ſenectutem, cum, ætate etiam provectior, eo non amplius apud Auditores uteretur favore, quem in flore ætatis

conſecutus erat. Unde his etiam negotiis diffiſus, atque hac quoque via ſibi & miſeriæ nondum ſatisfactum putans, triſtitia animum, cui nimis indulgere ſolebat, ſubeunte, in morbum periculoſum incidit, ex quo etiam, non ſine bonarum artium detrimento, fato ſuo tandem placide functus eſt. Scripta ejus LL. V. de Oratoria verborum collocatione Baſil. An. 1539. elegantiſſime conſcripti: & Commentarius in Ciceronis LL. de arte Rhetorica, & perfecto Oratore T. II. Baſ. 1541. clarent. Tranſtulit etiam in Latium ſcripta aliquot Ariſtotelis, Ethicam nempe, Politicam & Oeconomicam, idque ſumma fide & ſtilo concinno atque valde perſpicuo. Cetera, ut & ipſe annus emortualis, latent, aliorumque ſtudiis evolvenda commendantur. Nobis in ejus fatis pernoſcendis profuit inprimis, qui videri poteſt, Tollius de infelicitate Literatorum ed. Lipſienſis, cum qua Pierius Valerianus ſimul excuſus eſt, 12. p. 478. Adde Scævolæ Sammarthani Elogia Jen. 1696. 8. recuſa p. 31.

Hen-

Henricus Stephanus

Roberti filius,& *Henrici* Nepos, natus An. 1528. Vir præclarus, qui cum a puerilibus annis non niſi inter Eruditos verſatus eſſet, non potuit non omni inſtructus doctrina adoleſcere. Præter *Petrum Daneſium* inſuper *Jac. Duſanum* & *Adrianum Turnebum* ſtudiorum ſuorum moderatores habuit, a quibus mirum in modum in omni literatura expolitus eſt. Accedebat, quod in familia non niſi Latina & Græca audiret videretque. Unde conſtanti exercitio gaviſus, ad faſtigium omnis eruditionis adſcendit. Notabilia & maxime huc facientia verba ſunt., quibus ad filium *Paulum* diſſerit, in Epiſtola Commentario in Agellium Pariſ. An. 1588. exc. præmiſſa, eumque edocet, unde Soror ejus *Catharina* notitiam linguæ Latinæ acceperit: *Fuit*, inquit, *tempus, cum Avus tuus Robertus decemviratum* quendam literarium domi haberet, eumque ut *πάνγλοσσον, ita etiam ex omnibus nationibus conflatum, ut omnium erat linguarum.*

Decem hi partim literati, partim literatiſſimi viri, quorum quidam correctorio munere fungebantur (iique præſertim, qui Epigrammata poſtremæ ejus editioni Theſauri præfixerunt) cum ſicut ex diverſis oriundi erant gentibus, ſic etiam diverſum ſermonem vernaculum haberent, lingua Latina, tanquam communi interprete, inter ſe utebantur. Ac cum ex his decem modo hos modo illos famuli pariter & famulæ, de rebus, quas ipſi ipſæque vel noverant, vel ſaltem conjectare poterant, colloquentes; quin etiam in menſa quotidie cum de his, cum de aliis, ut argumenta ſe ſuggerere ſolebant, ſermonem habentes, audirent, ita ſuas paullatim aures verbis illis aſſuefaciebant, ut non ſolum plerique eorum, quæ dicebant intelligere, ſed quædam etiam loqui valerent. (vid. *Colomeſii* opera Hamb. 1709. a Cl. Fabricio ed. p. 24.) Si itaq; mulieres & ancillæ ex commercio hoc erudito aliquid apparatus eruditi hauſerunt, multo ſane magis affirmare poſſumus, filium Henricum, qui in choro tantorum virorum educabatur, eosque non raro corrigendo juvabat,

vabat, & in linguæ ipſius cognitione, & præcipue habilitate ſermocinandi mirum in modum profeciſſe. His fundamentis poſitis, ad exteros abiit, ac præcipue in Italia ſcrinia Bibliothecarum excuſſit, eaque, quæ impoſterum uſui fore animo cerneret, diligenter annotavit. In Patriam deinceps reverſus, Parenti aliquandiu operam in corrigendo ex inſtituto præſtitit. Deinde vero eo An. 1556. mortuo, ad genitoris exemplum officinæ non minori laude celebrandus præfuit, & primo quidem ab An. 1558. usque ad Annum 1568. Illuſtris *Fuggeri* Typographus dici voluit; ſed poſtmodum totum ſe ſuis curis & ſtudiis privatis tradidit. Quanquam autem, ut Pater ſolebat, plagulas in publicis plateis non ſuſpenderit, nec detegentibus errorem certum promiſerit pretium, attamen non minori cura ipſe cuncta, aut potiora tamen, inſpexit, quæ excudit, eoque recognitionis ſtudio & ſedulitate effecit, ut, ſicuti *Roberto* Patri, ita & huic correctiſſimos hodieque debeamus codices, typis exſcriptos. Imo quod non

raro filio vitio vertitur, tanta induſtria Doctorum ſcripta virorum ſcrutatus eſt, ut elementorum, ſi qui occurrerent, nævos non ſolum, verum ipſa etiam verba Autorum temere caſtigarit, ſenſumque invitis ſæpe illis, immutarit. Unde *P. D. Huetius* Civis ejus L. II. de Interpretatione p. m. 48. admodum quidem Henrici operam & aſſiduitatem in Inſtitutis prædicat: *Pauca quidem*, inquiens, *ſed omnibus abſoluta numeris in eo ſtudio elucubravit Henr. Stephanus, quem plane Interpretem audeas dicere: Summa in exponendis ſententiis accuratio, mira in charactere exprimendo felicitas, pari concinnitate conjuncta &c.* Sed longe aliter celeberrimus *H. Boeclerus* in Epiſtola quadam, qua in Stephanum invectus eſt: *Prorſus tamen*, ſcribit, *egregiũ factum eſt, quod elegantiſſimus ſcriptor Herodianus elegantiſſima interpretatione a Politiano in Latinum verſus eſt, nec minus præclare ceſſit, quod Henr. Stephanus multa induſtria, typisque mundiſſimis utriusque curas publicavit; at quod idem ille Vir doctiſſimus Politiani verſionem, cui*

cui ſimilem hactenus in nullo ſcriptore habemus, tot caſtigationibus non neceſſariis in ordinem redigere conatus eſt, id ego nec ex Græci Scriptoris nec ex Latini Interpretis merito arbitror accidiſſe. Effecit equidem tam Critica manus, ut dicendum mihi non ſit, quod, niſi inſtituti ratio efflagitaret, nollem dictum: Henricum Stephanum tum alibi, tum hic præſertim prodidiſſe, ſe minus Latine quam Græce eruditum. Ut taceam, quod de Politiani propoſito ne ullam quidem videtur cogitationem ſuſcepiſſe. Durius adhuc judicium eſt acutiſſimi *Scaligeri*, ut in *Scaligerianis* legere poteris, qui, *Lexicon Erotiani*, inquit, *extat Genevæ apud Henr. Stephanum, apud quem Autores mire invenias depravatos, quippe qui* φιλαυτίᾳ *laborans, temere, quicquid diſplicet, immutat & corrumpit.* His & alia *Scaligeri* verba a *Cl. Crenio* excerpta, & hinc, quod grati fatemur, ſumta adjiciemus: *Dalechampius*, porro dicit, *Vir alioqui bene doctus Plinium emendandum atque excudendum ſuſcepit, ſed, qua eſt audacia, omnia invertet & corrumpet, quia, quod multi ſolent,*

ſi hoc illudue vocabulum non arridet, ſtatim immutat, atque ſæpius in deterius: Et ſi id tam religioſe obſervaſſent importuni iſti Correctores, *cujusmodi etiam habemus Henr. Stephanum, qui omnes, quotquot edidit editve libros, etiã meos, ſuo arbitrio jam corrumpit, & corrumpet, & alios multos, non haberemus hodie auctores veteres adeo depravatos: nam hac ſe ingerente licentia, intempeſtive & inconſulto corrigendi, quod diſplicet, totidem varietates locorum prodeunt & prodierunt, quot editiones; & nullos magis corruptos reperias, quam qui ſæpius excuſi, & a pluribus perlecti ſunt.* Plures hujusmodi querelas ſuppeditat Clar. *Crenius* in Animadv. Philoll. P. III. p. 56. ubi *Boecleri* non ſolum & *Scaligeri* citata verba, verum etiam *Andr. Schotti* & *Chriſt. Ad. Ruperti* invectivæ in *Henricum* noſtrum inveniuntur. Denique Rupertum Prof. Altdorfinum Impoſtorem eum duriuſcule vocare non erubuiſſe, ibidem notatum eſt, & quæ ſunt alia hujusmodi. Sed abſolvenda ſunt fata Henrici, quæ oppido triſtia tandem fuerunt. Nam poſtquam diu *Lutetiis* & in orbe

orbe erudito, velut in luce quadam, vixerat, ſcripta tandem Anno 1566. Gallico & Latino idiomate *Apologia* illa pro *Herodoto* omnium Papicolarum, præcipue vero Cucullatorum odio in ſe concitato, inſidias eorum evitaturus, fuga ſalutem bonorum & vitæ, patris exemplo, quærere neceſſe habuit. Qua tamen re prohibere non potuit, quo minus in effigiem boni viri ſæviretur, quam publice carnificis miniſterio cum execrationibus multis flammis hoſtes combuſſiſſe conſtat. Utut cum id peractum eſſet ſupplicium imaginarium, per jocum poſtmodum dicere ſoleret: Nunquam ſe frigoris vim magis ſenſiſſe, quam cum Lutetiis medias conjectus fuerit in flammas. Autorem hujus Hiſtoriæ Dn. *Caille* doctiſſimum Gallum habemus, cujus cornu etiam Tollius inflaſſe videtur. A vero tamen aberraſſe utrumque *Mettairius* autumat, qui & cauſam, quare Lutetiis diſceſſerit, longe aliam fuiſſe adſtruit, eam nempe tot tantosq; Theſauro Græcæ linguæ impendiſſe ſumtus, & in grave æs alienum

prolapſum, atque adeo, cum ſolvendo non eſſet, pauperrimum Gallia exiiſſe tuetur; a quo etſi non diſſentiat *Janſonius* in Vitis Stephanorum, in medio tamen rem, usque dum aliorum autoritate lis dirimatur, relinquit. Certum eſt, vagabundum hinc inde per *Helvetiam Germaniamque* ex eo tempore oberraſſe: Mox enim *Genevæ* ſedem fixit, artemque ibidem Typographicam exercuit; mox *Heidelbergam* venit, ibidemque communi beneficio victus cum ſtudioſis uſus: qua occaſione voracitas ejus & mores perquam ruſtici obſervati fuere. Lugduni tandem, opibus omnibus deſtitutus, Anno ætatis ſeptuageſimo & R. O. S. 1598, in Noſocomio vitam finiit, unde jure meritoque a Corn. Tollio in numerum infelicium literatorum fuit relatus. Cujus vid. nova Lipſ. ed. 12. p. 481. Addatur Janſonius ab Almeloveen in Vitis Steph. p. 41. ſcripta ejus potiora ſunt:

Lexicon Ciceronianum Gr. Lat. 8. & 4. 1557. Commentarius in Sophoclem & Euripidem, de quibus ipſe eleganter ſic diſſerit: *Æſchy-*

Æſchylon edideram, Sophocles invidit:
At idem
Cur ab eo poſthac invideatur, habet.

Græcorum Comicorum ſententiæ. Præter hæc Pſalmi Davidis aliquot metro Anacreontico & Sapphico in pretio habentur. Edidit etiam Homerum, Heſiodum & alios ſcriptores Græcos multos. Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia & ceterorum Lyricorũ carmina cum verſione ſua excuſa ſunt, cum adhuc Illuſtris Viri Hulderici Fuggeri Typographus eſſet 1560. forma in 12. oblonga. Huc vero inprimis pertinet Artis Typographicæ querimonia, carmine Elegiaco ab eo ſcripta, quam Almeloveenius & Mettairius uterque ſuis narrationibus adjecere. Epitaphia it. quorundam Typographorum: De Lipſii Latinitate, it. de Plauti falſo ſuſpecta An. 1572. breviores ſunt opellæ. Ultimum Theſaurus Græcæ linguæ fol. Genev. 1594. locum habet, quem primum mereri dignitate & labore, nemo eſt, qui diffiteatur. De quo vero & reliquis omnibus conſuli poterit libellus ſive Epiſtola

quam

quam Henricus imprimi curavit, de ſuæ Typogr. ſtatu, & præcipue Theſauri ſui Græci, cui Epiſtolæ ad calcem Index librorum, qui ex officina ejusdem prodiere, adjectus conſpicitur An. 1569. 8. Conferatur ſæpius memoratus Mettairius, qui exacte deſideriis Tuis ſatis faciet. Sed ad poſtremum in elemento hocce Correctorem convertendum eſt, erit ille

Fridericus Sylburgius,

QUi natus eſt fertili, & doctis viris & proventu terræ loco, *Wetteræ Haſſorum*, quod infra *Marpurgo* ſitum eſt oppidum, ut & ipſe conſtanter *Veteranum* aut *Wetteranum* ſe dicere conſueverat, parentibus infimæ conditionis & agriculturam exercentibus. Ab his, ut perhibent paſſim omnes Scriptores, non prohibitum, ut vulgo fit, retractumque a ſtudiis literarum, ſed adeo potius inſtigatum, atque in ſchola patria primis rudimentis imbutum, donec ad altiora emergere inciperet. Quo facto progreſſu, ſub ductu *Juſti Vulteii* & *Johannis*

hannis Pincierii Marpurgenſium Doctorum, feliciter etiam, quæ optabat, eſt conſecutus. Poſthæc iter ad exteros ſuſcepit, eoque facto cum peregrinando omnem fere ſuam adoleſcentiam confeciſſet, ab Illuſtriſſimis *Solmenſibus Comitibus*, ut ludo recens erecto *Lichenſi* præeſſet, advocatus, accepto munere, nunquam in ſe aliquid curarum deſiderari paſſus eſt, ſed omni diligentia & indefeſſo conatu ſpartam ſuam ornavit: ibidemque, otio ſubinde dato, alios jam cœpit labores erudita opera tractare. Ex quibus eminuit, ut erat Græcæ linguæ peritiſſimus, (Hebraica enim prorſus ignoraſſe dicitur) *Clenardi Grammatica Græca*, quippe quam emendatam ac ad faciliorem Scholarum uſum præparatam, ſub id tempus emiſit in publicum. Verum enim vero *Lichenſem* ſuam Scholam, & *Neuhuſianam*, ubi etiam aliquandiu docuerat diſcentium ſtrepitu moleſtas, tandem plane reliquit. Neque ſane inauſpicato, multo enim plura ex eo tempore & majora orbi literato doctrina ſua exaſciata pariter & aſſiduitate labo-

laborum, quam in pulvere Scholastico obscuro attulit commoda; præsertim postquam totum se tractandis veteribus Scriptoribus Græcis consecravit. Hos enim Codices ex Manuscriptis Vir in arte Critica exercitatissimus, restitutos, Latine redditos & expolitos, non solum prelis tradidit frequenter, sed & ipse correxit hos aliosque ingenti copia, atque sic emendatissimos literato orbi exposuit. Et in hoc negotio discrepat ab Henrico Stephano, quod raro suum ingenium in restituendis locis vetustate temporum deperditis fuerit secutus, sed vel alios codices Manuscriptos vel eruditos hac in arte Critica viros antea consuluerit, dignum adeo se præstans, qui encomiis inter Philologos sui ævi præcipuis mactetur. Neque vero in suis tamen elaboravit operibus, sed alios quoque sua opera & industria adjuvit mascule. Interque eos supra laudato *Henrico Stephano* in concinnando Thesauro Græco multum profuit, ut quarta fere pars istius operis ei adscribenda veniret; cui etiam in excudendis *Pausaniæ*, *Justi-*

Justini, Clementis, Alex. Dionysii Halicarnassensis operibus sedulam navavit operam, ejusdemque Viri præstantissimi Indices præcipue faciendo accuratissimos, omnium Doctorum sibi conciliavit favorem. Testem habeo hujus rei *Georg. Whitakerum* doctissimum Anglum, qui in præfatione libri a se conscripti de Autoritate S. Scripturæ, An. 1610. editi Tom. II. ita de nostro loquitur: *Qui hodie in veterum monumentis recudendis, atque repurgandis fidelem operam navant, omni laude & gratia dignissimi sunt. Inter quos non possum, quin honoris causa meminerim Viri accuratissimi & diligentissimi Frid. Syllburgii, cui clementem Alex. Theodoreti* Θεραπευτικὴν, *& Justinum Martyrem debemus. Ab eodem Athanasium indies expectamus, qui quodam infortunio suo, non potuit situ suo & latebris emergere. Rogandus Pater cœlestis, ut hujus viri sanctissima studia afflatu suo provehat, talesque plures literarum & Veritatis vindices, qui Pontificiorum barbariem, & nefariam in pervertendis omnibus fraudem expugnent, exci-*

excitare dignetur; ſed non ſolum Henricum ſtrenue juvit Stephanum, verum etiam maximam vitæ & laborum immenſorum partem apud celeberrimos Typographos *Wechelios* & *Commelinum* corrigendo confecit, iſtis quidem *Hanoviæ* conſtanter, huic aliquandiu etiam *Heidelbergæ* inſerviens, neque propemodum noctu aut interdiu unquam interquieſcens, niſi quod, antequam cænaret, vel unicam horam obambulando per prata & agros conſumſiſſe dicatur. Quibus curis perpetuis non obſtantibus, felix tamen proper nominis gloriam, tum etiam meritorum magnitudinem dicendus eſſet, niſi in eorum numerum referendus veniret, qui ob ſociam thori, quippequam Diabolo furenti, quam homini, ſimiliorem Sylburgio contigiſſe narrant, infelices prædicandi ſunt. Quo malo, uti ærumnis reliquis, nonniſi per mortem liberatus eſt. Poſtquam enim ipſius *Friderici II.* Electoris Palatini juſſu ad *Commelinum Heidelbergam* commigraſſet, editionem omnium Eccleſiæ Patrum ibidem curaturus,

turus, & ſummo ſtudio emendaturus, evenit, ut peſtilentiſſima lues, quæ tunc omnes Germaniæ Provincias permeabat, Heidelbergam infeſtaret. Quo pacto immatura & Typographi & Correctoris morte præclarum illud inſtitutum fuit interceptum: quippe jam ſexagenario Sylburgio, altero ſtatim peſtiferi hujus anni menſe d. 16. Febr. An. 1596. Commelino autem inclinante anno, ſequente d. 17. Novembris An. 1597. correptis morbo contagioſo, atque ex hac vita abreptis. Acerbe juſtis ex cauſis tulerunt Eruditi utriusque, & præcipue quidem *Sylburgii* fata, ut pote a cujus ſtudio, aſſiduitate & eruditione multi adhuc ſibi multa promiſerant. Quanta de reliquo ejus fuerit exiſtimatio, inde patet, quod Academia Marpurgenſis annuum ei ſolvebat ſtipendium, ut diligentiam magis excitaret, & quod publico funere, non clandeſtino, ut tempore morborum peſte validorum fieri aſſolet, fuerit elatus. Ad Epitaphium autem ejus quod attinet, reperitur illud Heidelbergæ in cœmeterio Petrino,

quod apud Adamum in Vitis Philoſ. legi poteſt, qui de peſte, ex qua obierit, nihil memorat; ſed quando *Anagnoſtam diligentiſſimum vocat, nimiis vigiliis ac Typographicis laboribus conſumtum teſtatur*, & eidem corrigendi labori, de quo agimus, immortuum eſſe ſatis luculenter demonſtrat. Scripta, præter laudatas Patrum editiones, extantiora alia ſunt: Herodoti Hiſtoria caſtigata: Ariſtotelis τὰ ἐυρισκόμενα, quibus adjecit ob argumenti ſimilitudinem ejusdem generis quædam Theophraſti, Alexandri, Caſſii &c. Notæ in Clenardi Grammaticam cum Antèſignani notis prodiere An. 1583. Francofurti apud Hæred. Wechel. 4. majori, & alibi. Ipſæ vero Clenardi Meditationes luci expoſitæ ſunt An. 1587. ibid. & ap. Claudium Marnium & Joh. Aubrium & apud Andr. Wechelium ipſum. Vid. Adami in Vitis Philoſ. p. m. 416. & Crenius in Animadverſionibus Philol. p. 105. ſeqq. P. V. Quibus adde H. Clarmundum P. I. & Pope Blount in Cenſuris Celebb. Autorum p. 813. ſeq. ed. Genev. ubi quanti

ejus in corrigendo induſtriam fecerint *Scaliger* atque *Caſaubonus*, in primis animadvertendum eſt.

Petrus Trecius.

OBſcurum nomen, cujus natales omnino etiam qua gente natus, & qua patria ortus, neſcire me hactenus fateor. Ut autem in recenſum noſtrum referremus, in cauſa fuit *M. A. Coccius Sabellicus*, qui in ſuis Enneadibus eum commemoravit; ex quibus nobiliſſimus *Mallinkrotius* excerpta quoque nonnulla dedit. Quorum uterque, *eum magnificis*, inquit, *gloriatum de ſe verbis, quod triginta Voluminum millia a ſe reviſa & recognita ex prelis exiiſſent.* Quem numerum librorum quoties perpendo, fieri non poteſt, quod vel *Sabellicus* Hiſtoricus, vel *Trecius* Thraſo a veritatis tramite aberraſſe non injuria videatur, niſi plus, quam olim *Origenes* dici conſuevit, χαλκέντερος ille fuerit. *Sabellici*, ſcriptoris non contemnendi, & qui primus, uti Dn. Struvius in Bibliotheca Hiſtorica inquit, inter ſcriptores Hiſtoriæ univer-

universalis nugari desiit, editis operibus de Historia Mundi ad annum usque 1502. Lugd. 1574. & Basil. 1560. excusis, ut fidem dubiam reddam, vix possum adduci. Plus ergo crediderim, Trecium sibi indulsisse, quando triginta millia voluminum a se correcta fuisse grande aliquid sonans dixerat. Quid multis, temporis ratio, quo vixit *Trecius* iste, Seculum erat XV. quo minus id credamus, postulat, utpote quo ævo tanta copia neutiquam adhuc excudebantur libri in universa Italia, multo minus in una alteraque officina, in qua forte Correctoris officium is subire solebat. Quanquam ergo neque Typographeum, neque etiam alia hominis hujus fata cognita erant, placuit tamen eum adducere, ut sicuti militis glorioſi apud Plautum, temeritas in ore omnium est, jactabundi etiam Correctoris inter nostros exemplum compareret. Quare eum missum facientes lectorem ad *Mallinkrotium* remittimus, ejusque de ortu & progressu Typogr. Comment. ed. Col. 4. p. 97. atque ad alios progredimur. Quos inter eadem litera occurrit proxime Her-

Hermannus Tulichius

VIr omni doctrina elegantiori, & humaniorum artium doctrina inſtructiſſimus: Natus *Steinhemii*, quod oppidum eſt *Weſtphaliæ* ad Epiſcopatum *Paderbornenſem* pertinens, ubi Anno reparatæ hominum a Chriſto ſalutis 1486. lucem hanc adſpexit. Studiis ætati convenientibus in Scholis eruditus ad annum usque 1515. in ludis *Monaſterienſi* & *Quedlinburgenſi* potiſſimum profecit, qui famæ celebritate ſatis tum conſpicui erant. Hinc vero ſtudiorum continuandorum gratia Lipſiam petiit, ibidemque ea tractavit, quibus in recenſum hunc referri meruit. Dignior autem viſus magis, quam alii, qui cum laude commemoretur, quandoquidem in tam arduo labore eo ſucceſſu deſudavit, ut maximum vitæ diſcrimen adierit, e quo vix ſalvus evaſit. Audiamus hac de re *Lucæ Bacmeiſteri* Theol. haud obſcuri Roſtoch. verba, quibus in oratione de *Luca Loſſio* ejusque in orbe meritis habita, inter alia de *Tulichio* ſeqq. memoriæ prodidit: *Biennio poſt An. 1515. in*

Academiam Lipſ. inquit, profectus eſt, ubi ἐπανορθωτὴς, *ſive Corrector, ut uſitate dicimus, fuit in officina Melchioris Lotheri Typographi. Hic Melchior cum libros quosdam Lutheri in initio renaſcentis Evangelii recudiſſet Lipſiæ, Dux Saxoniæ Georgius, Patruus Mauritii & Auguſti Electorum, Zelo Veteris Religionis Pontificiæ, & odio Lutheri, quod, dum viveret, nunquam depoſuit, Typographum & miniſtros ejus in carcerem conjecit, & capitis ſupplicio affecit, præter unum Georgium Stangen, quem Lüneburgi poſtea Bibliopolam factum, virum facetum & officioſum, multi ſuperioribus annis, etiam Vitembergæ, quo crebro librorum coëmendorum cauſa commeabat, noverunt. Is vero mirabiliter a ſupplicio liberatus eſt. Quæſitus etiam tunc fuit Julichius librorum iſtorum Corrector, ut cum cæteris in carcerem traheret. Sed occultantibus eum viris doctis & præcipuis in Academia Lipſienſi evaſit, & venit Vitembergam paulo poſt diſputationem habitam inter Lutherum & Eccium Lipſiæ Anno 1519. in Julio, &c.* In florentiſſima igitur ad Albim Muſarum

rum ſede ſtudiorum Medicæ artis captus amore, ac totus ei deditus, vixit poſtea, ita tamen, ut ſubinde prioribus vacaret laboribus, & quæ apud *Georg. Rhauium* aliosque imprimebantur, emacularet priſtina adhibita induſtria. Quæ dum agebat, ſtudiis ſimul incumbens ſuis, ſummos in Scientiis Philoſophicis honores conſecutus, ea felici rerum ſuarum uſus eſt viciſſitudine, ut publice Poëſeos & Eloquentiæ fontes aperiendi ſparta illi demandata fuerit. Id quod etiam publicum officium ſummo cum diſcentium applauſu adminiſtraſſe, ac ſemel etiam ſummi Magiſtratus Academici faſces & ſceptra prudenter geſſiſſe An. 1525. Wittenbergenſes Annales Acad. docent. Quo favore uti omnium Doctorum, ita maxime *Lutheri* & *Melanchthonis* uſus ſit, inde elucet, quod prior ſolo ductus viri Præclariſſimi amore libellum de captivitate Babylonica eidem inſcripſit. Antequam vero ad ejus abitum ex *A*cademia Vitenbergenſi nos conferamus, de eodem verba Clariſſimi *Jac. Burchardi Hilpers-*

huſani, Gymnaſii Prof. Publ. in libro elegantiſſimo de fatis linguæ Latinæ in Germ. 8. Hanov. *An.* 1713. p. 354. tranſcribere lubet. Sic autem ille inter alia de *A*cademia Vittenbergenſi ſcribit: *Enimvero, licet ea eruditos antea habuerit Doctores, quam Philippus Friderici Electoris auſpiciis eo eſt accerſitus, quorum numero, præter Buſchium, Hermannus Tulichius cum primis fuit laudati Murmelii auditor, qui Lipſiæ etiam bonas literas tradiderat, priusquam Wittenberga abiit, quo poſtremo loco Lutherus tanti operam ejus æſtimavit, ut ipſi ſcripta ſua, quod ſtilum ſpectat, ſæpius corrigenda dederit, rudis tamen Seculi ſqualor detergi, literarumque cultus ante Melanchthonis adventum penitus enitescere ibi non potuit.* Quibus præmiſſis, quæ ad laudem *Tulichii* magnopere faciunt, ut, qua occaſione tandem ex Academia Leucorea is exceſſerit, dicamus. Factum id eſt, cum *Lüneburgum* expetitus eſſet ad regendum Gymnaſium illic recens conditum, atque inter docentes primus illi concederetur locus. Huc enim commigrans,

migrans, etiamnunc Gymnaſii iſtius *Johannæi* Moderator omnium primus celebratur. Teſtem & præconem virtutum Tulichianarum *Lucam Loſſium* σύγχρονον καὶ σύνεργον habemus, qui de eo ſequentem in modum cecinit:

Tum quoque Muſarum ac Chriſti inſtaurata benigne eſt
Sedes, qua Chriſtum diſcat, doctasque juventus
Artes, in vita quorum eſt hac maximus uſus.
Artibus ingenuis ſua florent regna beata.
His Chriſtus floret felix Eccleſia in orbe.
Tulichius Rector clarebat miſſus ab urbe
Leucorea, ſed is primus, parvæque juventæ
Vir fuit, Orator clarus, clarusque Poëta,
Weſtfalia Hermannus, Tua quondam gloria &c.

Reliqua omittimus, & obiiſſe tandem Virum optimum, nulla relicta maſcula prole, obſervamus, poſtquam octo annos Scholæ Lüneburg. præfuerat d. 28. Julii Anno a Chriſto nato 1540. ætatis quinquageſimo quarto. Epitaphium

quod ei positum est ab *Hermanno Bonno*, Superintendente Lubecensi sequens fuit:

Hermannus jacet hic Tulichius, ille
Orator bonus, & Poëta felix.
Hujus sceptra Scholæ tenebat urbis
Magna laude diu; sed ante tempus
Tantum fata virum abstulere mundo,
Cum mœrore gravi omnium bonorum.

Videantur qui incidenter saltem Tulichii fecere mentionem Programma de Viris & Rectoribus Gymn. Johannæi M. Eliæ, Henr. Lauterbachii Hamb. 1694. it. Schediasma Histor. Theol. de Conversis Pontificiis ex lectione librorum Lutheri, Lutheranorumque Theol. G.H. Goëzii Lips. 1705. 4. p. 40. in notis it. Adamus in Vita Luc. Lossii p. 309. Clarmund. P. IX. p. 73.

Justus Vultejus

EJusdem oppidi *Wetteræ*, quod & *Sylburgium* dederat, civis An. 1529. Parentes habuit & opibus & genere mediocris conditionis, atque honestis literarum tyrociniis initiatus est, sub

Joh.

Joh. Fænilii ductu, donec *Dillenbergam* novam & haud ſpernenda fama Scholam adiret. Ubi tanto ad Sapientiæ metam contendendi ardore vixiſſe memorant, ut modum excedere juvenili quodam ac raro impetu videretur, & freno quaſi injecto, coërcendus eſſet. Unde facile eſt conjicere, qua ubertate inſtructus humanioris literaturæ *Marpurgum* acceſſerit, & quibus opibus ibidem auctis, & ad incrementa majora perductis, hinc abierit. Diſceſſit autem Marpurgo & Galliæ finibus ὡς ἐν παρόδῳ luſtratis, Argentoratum, ubi *Martinus Bucerus* & *Joh. Sturmius* tum docebant. Exardeſcente vero Germania bellis fere internecinis, his turbis ceſſurus *Erfurtum*, *Lipſiam* & *Wittenbergam* denique demigravit. Sed inde eodem fortunæ caſu pulſus in *Helvetiam*, & *Tigurum* primum excurrit. At neque hic fortunam faventem ſentiens, tandem *Baſileam* profectus eſt, ubi in ædibus *Miconii* hoſpitatus a *Joh. Oporino* illud accepit faciendum, cujus cauſa Correctorum Eruditorum numero adſcribendus fuit. Non enim

enim ſolum vertendis aliquot Autoribus Græcis in Latinum ſermonem, cum eſſet adhuc annis adoleſcens, ibidem operam dedit, verum etiam typis poſtea ſubmiſſos liberavit a ſqualore vitiorum, quibus libri alioqui optimi evileſcere ſolent. Cui occupationi dum fuit intentus, ſimul & favore *Miconii*, aliorumque Eruditorum Baſileæ viventium, & largis ab *Oporino* datis præmiis admodum truebatur. Sed tamen nulla poſtmodum habita commodorum ratione, peregrinandi iterum captus amore, per Galliæ Provincias plurimas digreſſus, & *Genevam* & *Lauſanam* tranſiens, in patriam tandem reverſus eſt. Hic ducta uxore, primum quidem in ludo pueros fideliter aliquantiſper docuit, & paullo poſt ad officium Eccleſiaſticum evocatus, credebatur in eo perſtiturus, at vacillanti in religionis negotio potius viſum eſt ad priores redire labores, eo quidem ſucceſſu, ut non pueros ſolum haberet diſcipulos, verum etiam permulti, iique ætate provectiores Marpurgo Wetteram ingrederentur, ut ſuæ doctri-

doctrinæ areolas ex ore *Vulteji* rigarent. Quo factum eſt, ut fama nominis undique percrebeſcente, tandem & ipſe a Schola iſta *Marpurgum* transferretur; ubi fato ſimili, feliciſſimaque in docendo fortuna, mirum quantum profuit juventuti. Nec minori dexteritate in linguæ ſanctæ auditoribus ſuis tradendæ munere ſatisfecit. Solus pene lugubris vitæ exitus cætera ingenti ægritudine contaminavit: Capum enim in tenebris oberrantem capturus, inclinato eum in finem corpore, per clathratã feneſtram præcipitatus, lethali vulnere in capite accepto, ex eo caſu An. 1575. d. 31. Martii, ſeu, ut Freherus habet, d. 17. ejusdem menſis obiit. Monumenta, quæ reliquit, præcipua ſunt: Verſiones Æliani, Heraclidis, & Poliæni. Suſceperat etiam Dionyſium Halicarnaſſeum expoliendum, quæ tamen opella ad finem non fuit perducta. Præter hæc circumferuntur varia carmina, quæ & in ipſa mortis hora ſibi feciſſe vulgo ferunt.

Dum

Dum finimus, in mentem venit breve & inconditum Epigramma, quod ſubjicimus:

Juſtus *dicebar, ſed eo non juſtificatus:*
Nam vivo Chriſti Juſtitia & merito.
Sit caſus vultu ſubitus, ſit læſio frontis,
Cuncta placent gnaro me cecidiſſe Deo.
Felix, qui cecidi! quia Numinis alma voluntas
Juſſit. Vult ejus *gloria, reſtituar.*

Chriſtophorus VValther.

VIr ea ætate, qua vixerat, celebris, ſed obſcuri ortus; neque enim, ubinam locorum in lucem editus ſit, comperire, adhibita etiam maxima induſtria, hucdum potui. Notior eſt ſtudiorum & laborum ſedes: Vixit enim quamplurimum, & quod facile mihi perſuadeo, ad finem usque vitæ *Wittenbergæ*, ubi σύνεργος *Rorarii* diu fuit, & paria cum eo *Crucigeroque* nec inutilia Eccleſiæ Chriſti præſtitit officia. Siquidem *Johanni Lufftio*, optimo & de primis EccleſiæEvang. procuſis libris Bibliisque Germanicis excudendis Typographo meri-

meritiſſimo, per multos annos menda Typotheтarum correxit. Qua occaſione amicitiam coluit intimam cum ſupra laudato *Rorario*, quæ tamen perpetua non fuit, quandoquidem eo ex *Dania Jenam* revocato, certamen inter utrumque vehementiſſimum exortum eſt. Cui anſam dedit *nova* operum *Lutheri* Germ. *Editio* Jenenſis: Hæc enim cum ex mandato Principum Saxonicorum *Rorarius* curaret imprimenda, atque, ut accepta grataque Eruditis redderentur, aliquot pagellis oſtentaret, maxima ornamenta & prærogativas, quibus Wittenbergenſibus antecellerent, vix aliter fieri potuit, quin extollendo iſtam editionem, priorem Wittebergenſem videretur ſupprimere. Acceſſit ad hæc etiam, quod a *Rorario* atque *Flacio*, quædam in Wittenbergenſibus Tomis confuſa, & minus ordinata, imo permulta prorſus omiſſa eſſe, publicitus ſpargeretnr. Quem in finem Amsdorfii nomine prodierat libellus An. 1549. cui titulus: Daß die zu Wittenberg im andern Theil der Bücher Luthe-

Lutheri im Buch / daß dieſe Worte / Das iſt mein Leib / noch feſte ſtehen / mehr dann ein Blat und 4. gantze Paragraphos vorſetzlich ausgelaſſen haben. Quæ cum ægre ferrent Wittenberg. Tomorum Patroni, communi nomine reſpondit ad iſta *Waltherus* noſter, excitatus a Typographis & Bibliopolis Wittenbergenſibus, & calumniarum Jenenſes poſtulavit. Præcipue autem oppugnandum ſibi ſumſit *Waltherus Flacium*, qui itidem contra eum quædam poſt fata Rorarii ſcripſerat, & hominem Crypto-Calvinianum appellaverat, libello: Bericht von denen Wittenbergiſchen Tomis der Bücher des ehrwürdigen Martin Luthers / wider Matthes Flacium Illyricum An. 1558. 4. ap. Joh. Lufftium. Qua vero animorum commotione lis ea acta ſit, ſpeciminis loco, quæ ex præfatione hujus excerpſimus, verba ſequentia Germanica eſſe poſſunt: Nachdem / inquit Waltherus, Matthes Flacius Illyricus in ſeinem Schand- und Lügen-Buch / jetzt neulich in Truck ausgegangen / auch die Tomos des ehrwür-

ehrwürdigen D. Martin Luthers seel. und groß-löbl. Gedächtnüs hie zu Wittenberg getruckt / aufs schändlichste läſtert / und verleumdet / ſo habe ich nicht können unterlaſſen / weil ich nun länger den 20. Jahr / erſtlich neben D. Creutziger / und hernach neben M. Georg Rörer / beyder ſeel. Gedächtnüs / bey der Truckerey geweſen bin / und habe helffen corrigiren und leſen / dieſen nachfolgenden Bericht von ſolchen Tomis zu Wittenberg getruckt den frommen Chriſtlichen Leuten zum Tröſt und Guten / die ſolche Tomos gekaufft haben / und dem Teufel zum Verdruß / &c. Sed quia poſteriora cum *Flacio* litigia poſt mortem demum *Rorarii* exorta de illis paucula hæc dicta ſufficiant. Ad priorem diſceptationem quod attinet, non minor quidem fuit utriusque partis in defendenda ſua diligentia ſolicitudo, ſed capita cauſæ, & argumenta altercationis ſuper uno alterove ſæpe vocabulo adeo levia erant, ut de lana caprina interdum fuiſſe diſputatum veriſſime mihi videatur dici

posse. Consentit hac in re B. Joh. Frid. Mayerus tr. de versione Bibliorum Lutheri cap. IV. p. 53. *De multis quoque aliis mutationibus*, inquiens, *Wittenbergenses a Jenensibus Typographis, & hi vicissim ab illis male audierunt, quemadmodum etiam serram contentionis inter eosdem reciprocatam esse constat, super fide præstita in aliis scriptis Lutheri per Tomos digestis, & tam Witteberga quam Jena vulgatis. Sed fatendum est, invidæ odiique plus fuisse in his certaminibus, quam momenti: præcipue credibile non videri, fraude usos in excudendis Bibliis Lutheri vel Jenenses, vel Wittenbergenses. Verum quod aliter posita immutataque sint, partim negligentia factum esse credimus, uti quod diversum characterem in exscribendo nomine* Herr *& alias ejusmodi non tamen inutiles minutias Jenenses prætermisere, partim consilio, quod Luthero viderentur* δευτέραις φροντίσι *niti, partim denique nimia accuratione sciolorum, qui in alieno opere ingenioſi esse voluerunt.* Hæc sunt, quæ de Walthero nobis innotuerunt. De mortis autem tempo-

tempore atque genere fruſtra fuit inveſtigandi labor, quamvis iterum iterumque ſcripta publica Wittenbergenſia revolveremus. Illud vero agentes forte fortuna in novum Correctorem Wittenberg. Typogr. incidimus, de quo mallemus ipſius Academiæ publicum programma audire, quam noſtris verbis ea, quæ reperimus, enarrare, ni eum in Centuria horum Correctorum altera recenſere conſtitutum nobis fuiſſet. Ad Walthérum ſi redeamus, hæc certamina omnia cum ejus morte ſimul ſunt ſopita, nec hodie unquam de iis reſtituendis, ut & de aliis tunc temporis exardeſcentibus cogitatum eſt. Quemadmodum ergo laudis plurimum debetur viro laboriosiſſimo, ita unicum his dictis addimus a Walthero emiſſum ſcriptum: Edidit nempe Regiſter aller Bücher und Schrifften Lutheri / welche in die XI. Teutſche Theil / und VII. Lateiniſche zu Wittenberg getruckt ſind. Ic. welche in dem 12ten Theil getruckt werden ſollen / nach dieſem Regiſter verzeichnet An. 1558. 4. apud Joh. Lufft.

Sed ad alia procedendum, ſequitur proinde

Georgius VVolfgangus VVedelius.

HIc Saxonum Hippocrates, ut a Cl. Richardo merito vocatur, *Golſenæ*, *Luſatiæ* inferioris oppido, natus Anno 1645. Parentem habuit M. *Joh. Georg. Wedelium*, Antiſtitem ibidem primarium, & poſtea Eccleſiæ Sprembergenſis Ephorum, matrem vero *Evam* Præſulis Golſenſis filiam. Ita *Richardus*: Sed, niſi me fallit memoria, natales hoſce oppugnatos a non nemine, inter privata & familiaria colloquia, memini, qui perhibebat, *Sprembergæ* celeberrimum *Wedelium* adſpexiſſe primam vitæ hujus lucem, parentemque Piſtorem quendam habuiſſe, quos Schwartzbecker / appellant. Verum doctiſſimo Jenenſium Bibliothecario potius quam aliis credimus, neque quidquam cauſæ videmus, cur fides hac in re ei poſſit denegari, utpote conjunctiſſime cum Doctoribus Academiæ Salanæ viventi indagare ea omnia

omnia quam optime contigit. Mirum ſane ſi tantos errores commiſſiſſet etiam in eorum fatis recenſendis, quos ſingulis diebus horisque coram conſulere potuiſſet. Neque etiam modeſtia unquam ſuſpecta mihi reddi poterit ipſius Cl. Wedelii, cujus nota eſt omnibus pietas, & morum vitæ integritas, ut vel ceſpitantem, credo, de emendando errore commonefeciſſet. Quales igitur parentes, talis nativi..., & educatio, ejusdemque generis ſtudia, nobilitate nempe inſignia ad ſummum faſtigium generoſa mente contendentia. Horum fundamenta, ajunt, poſuiſſe in ludo *Sprembergenſi*, poſtea vero in *Golzeno* ductore potiſſimum Doctoreque *Caſp. Dolcio*. Hinc in Scholam Portenſem translatus, mirum quantum ſub regimine piorum pariter ac eruditorum Moderatorum profecit. Ita quinquennio ibidem, more Pythagoricorum, exacto, nobiliſſimam Muſarum ad Salam ſedem petiit. Philoſophicis hic primum imbutus artibus ad caſtra Medicorum mox tranſiit, inque iis militando ela-

borandoque profectus, ſudavit & alſit, idque eo magis, quo magis interdum penuria rerum premebatur, quove pauciora a matre, patre non amplius ſuperſtite, expectare potuit: Huic igitur inopiæ quadam ratione ſubventurus, *Krebſianæ* Typographiæ operas ſuas, & horas otio literario deſtinatas conſecravit, plagulas ibidem excuſas longo tempore corrigendo emendandoque. Contubernio ſimul uſus *M. Mayeri* Paſtoris h. t. in tractu *Eiſenbergenſi*, cujus beneficia interea quoque varia expertus erat. Cui proinde etiam grati animi teſtimonia ferunt exhibere, medicamentorum quorumque uſum gratis eidem concedens, ita quidem, ut neque vecturæ ab eo pretium pro transportandis hujusmodi rebus expendi patiatur. Et ne in Krebſianos etiam hæredes ingratus videri poſſit, patre mortuo, ſuperſtitem nunc filium favore & ſtudio omni non modo proſequitur, ſed etiam, ut relatum nobis eſt, haud concedit iis, qui vires ſuas diſputando periclitari, ſe præſide, cupiunt, ut alibi quam apud

Kreb-

Krebsium Schedia isthæc imprimantur. Quæ non alium in finem recensemus, nisi ut cognoscat benevolus lector Pietatem tanti viri: Mirari igitur desinat, quod Deus. O. M. ad tanta honorum culmina eum adscendere jusserit, Postquam enim aliquandiu hæserat Jenæ noster Wedelius cum *Samuele Ochlitio* Doctore nobilissimo *Landsbergam* abiit, medica illic sua tractaturus ex instituto negotia. Hinc vero perlustrata *Silesia*, & *Sprembergæ* salutata matre sua, Jenam reversus An. 1666. ætatis anno vigesimo & primo, summos in arte Medica honores, moderante Celeb. *Rolfinckio*, cum omnium applausu, consecutus est. Tandem Medicus Provincialis, & post quinque annorum decursum publicum profitendi Medicas artes munus adeptus, sensim & semper inclaruit magis. His accedebat dignitas Comitis Palatini Cæsarei, Consiliarii Saxon. Ducalis & Hæreditarii in Schwarza, quibus condecoratus in hunc usque diem floret, vigetque in totius orbis literati & Academiæ Jenensis ornamentum. Adsit

porro laudabilibus ejus conatibus ſummum Numen, tandemque Neſtoreis annis exſatiatum ad cœleſtia perducat gaudia. Scripta hucdum edita videri poſſunt in laudati Richardi libello, qui librorum ab eo luci expoſitorum viginti & octo numerum inivit: Diſputationes autem ſub ejus Præſidio habitas eſſe ducentas & duas referet, quibus plures interea acceſſere. Ex prioribus eminent: Progreſſus Academiæ Naturæ Curioſorum 1680. Opiologia 1682. De Medicamentorum compoſitionibus 1693. De Medicamentorum facultatibus cognoſcendis LL. II. 1696. Amœnitates Materiæ Medicæ 1704. Exercitationes Pathologicæ Therapeuticæ 1697. Centuriæ duæ Exercitationum Medico-Philoll. Sacrarum & profanarum, varia eruditione refertæ, & Polyhiſtoris decus viro Illuſtri conciliantes. De cæteris confer laudatum jam ſæpius Richardum in ejus Commentatione de Vita & Scriptis Profeſſorum in Academia Jenenſi hodie publice docentium exc. 8. Jenæ 1710. p. 66. ſeqq. qui tamen neſcio qua

de

de causa, de laboribus certis sine dubio in officina Krebsiana factis, alte silet; unde illud pro instituti ratione addendum duxi, sperans, virum Illustrem pro Pietate sua male id haud consulturum. Sed ad alium properandum esse duco, qui occurret statim

Andreas VVissovvatius.

VIr maximi inter divinitatis Christi hostes nominis, qui natalem terram magnum Ducatum Lithuaniæ, atque in Borussiæ confiniis situm oppidum *Philippoviam* habuit, ubi die 26. Novembris An. 1608. vivendi initium fecit. Satrapa erat hujus loci *Christophorus Morstinius*, *Socini* affinis, sub cujus tutela Sacrorum suorum cœtum sacrum jam ante collegerant, & ductore ac Moderatore notissimo illo *Joh. Volckelio* auxerant. Fuit & ipsius *Wissovvatii* generis prosapia nobilis & equestris dignitatis, quam a patre *Stanislao* Philippovienſis Satrapiæ Præfecto Vicario accepit. Nec materno genere ignobilior origo celebratur: Erat enim

Agnete unica filia famoſiſſimi *Fauſti Socini* natus, hujus tam ingenioſi Hæretici nepos. A quibus parentibus cum & educatus eſſet filius, iisdem Sacris cum virtutibus cæteroquin honeſtis innutritus, nihil mirum eſt, ſi erroribus peſtilentiſſimis illaqueatus, quos cum lacte materno quaſi imbiberat, in iisdem etiam tuendis ad vitæ finem perſtitit. Patre ex *Podlachia* in Cracovienſem Palatinatum migrante, noſter cum *Morſtini* filiis, uno eodemque Magiſtro, quem domi ille alebat, uſus eſt, & humanitatis tyrocinia præclara poſuit. Idoneus poſtmodum judicatus, ut ad altiora enitteretur An. 1619. nondum ætate quidem, ſed doctrina inſigni ſupra ætatem maturus, in *Racovienſe* contulit ſe *Gymnaſium*, & flore ejus Scholæ, qui maximus erat, & ad invidiam prope aſſurgens frequentia eo extimulatus. Fundaverat illud non ita pridem *Jacobus Sieninius* Podoliæ Palatinides, Racoviæ hæres, Calvinianus antea, An. 1600. Rexerunt autem Viri eruditiſſimi, *Joh. Crellius*, *Brokajus*, *Manlius*, *Niecieccius*, *Paulus*

Paulus Crokierius, quos deinceps *Martinus Ruarus*, *Joachimus Stegmannus*, *Adamus Francus Sileſius*, *Petrus Teichmannus*, *Georgius Nigrinus*, & *Laurentius* denique *Stegmannus* exceperunt, ſub quo, occaſione fractæ imaginis, crucifixi Chriſti, funditus deletum fuit. *Crellio* moderante Gymnaſium, *Wiſſovvatius* illud ingreſſus eſt, ubi tantum diſcentium numerum invenit, ut trecenti Equeſtris ſaltem ordinis adoleſcentes tunc numerati in eo fuerint: Heic ſtudiis liberalibus impigre incumbendo magnum eruditionis apparatum conſecutum Parentibus ex Schola protrahere, atque ad Politica negotia adhibere conſtitutum fuit; verum a *Martino* præcipue *Ruaro* Altorfinæ noſtræ Academiæ olim infectore, de quo alio loco & ſcripto multa erunt dicenda, effectum, ut ſacris conſecratus manſerit literis: Ille enim cum aliis avum maternum in nepote reſurrecturum ſperabat. Permanſit igitur diutius *Racoviæ*, & hoſpitio, menſa, quotidianaque conſuetudine fruens doctiſſimorum virorum, quales Photiniani pleri-

plerique erant, mirum quantum profecit in hauriendis ex eorum disciplina sententiis hæreticis. Tandem e Gymnasio egressus, & ipse aliorum curam nempe *Alexandri Petri Tarlonis* filii *Lublinensis Palatini* natu maximi suscepit An. 1529. Cum quo deinceps ad exteros abeundi concessa quidem fuit nostro facultas, sed quia Pontificiæ Religionis iste fuerat, ea conditione uti abnuit, & aliam optabiliorem mox consecutus est. Sumtibus enim a Patre & Ecclesia suppeditatis, comitibus simili mente hominibus, *Ruaro*, *Pastorio*, *Lubenienicioque* stipatus *Gedano* in Belgium profectus est. Hic venena sua disseminaturus Lugduni aliquandiu commoratus est. Mox tamen in Angliam, & inde in Galliam transivit. Ubi præcipue Lutetiis vixit, atque familiaritatem *Grotii*, *Gassendi*, *Mersenni* & aliorum consecutus, placita sua, data forte occasione contra Sorbonæ Professores acriter non solum defendit, verum etiam clandestino conatu, ut solent isti homunciones, & aliis suum instillare virus non desiit. In Patriam An. 1637. demum redux tristiora suæ æta-

ætatis tempora videre cœpit, & ipſam cataſtrophen ſibi ſuisque lugubrem, quo An. 1638. Gymnaſium Racovienſe ſingulari divino nutu interiit, coram intuitus eſt. Quo facto iterum peregre abire ſecum conſtituit. Ex quo itinere reverſus, patre antea ſpoliato, & ad incitas redacto, tandem etiam morte privatus eſt. Exinde noſter Eccleſiaſticis officiis diverſis fungi cœpit, atque An. 1648. matrimonio cum *Alexandra, Rupnoviæ* gentis virgine, inito, alia atque alia ſubiit fata, & Socinianorum res, tam privatim, quam publice, in Comitiis ſtrenu, nec ſine fructu egit. Hinc porro bellorum rabie pulſus, in Boruſſiam, mox iterum in Poloniam rediit, ſuorumque res nobilis cognationis ope apud plurimos diu ſtabilivit. Interea ſcripta ab eo concinnata, qualia Notæ in N. T. Pſalmi Davidis rhythmis Polonicis expreſſi, & Polonica quædam, ſed poſtea deperdita, ingruentibus bellis, legunt. Graviſſima enim iterum in bello Suecico mala ſuſtinuit, & fuga vitæ haud raro denuo conſulere neceſſe habuit, usque dum Sueci e Polonia in Daniam excederent.

derent. Qua tamen quiete non diutius noſtro frui licuit, usque dum generalis illa Socinianorum proſcriptio An. 1658. publicaretur. Utut enim noſter utcunque ſe adhuc tueretur, & cum *Cichovio* Jeſuita, aliisque in diſputationis campum procedere non dubitaret, unde etiam incolumis evaſit, tamen repetito adverſus Vnitarios edicto illo, tandem etiam *Wiſſovatius* in Sileſiam ſeceſſit. Unde in Hungariam & Tranſilvaniam aliquoties excurrit; ſed neque his locis firma ſede reperta, atque tentato quoque fruſtra *Palatinatu* ad *Rhenum*, quem cum *Stegmanno* juniore adierat, ad extremum *Amſtelodamum* tanquam aſylum certiſſimum & tutiſſimum petiit. Ubi An. 166 . adventans ad ultimum usque vitæ halitum perſeveravit, ibidemque egit ea, quibus effecit, ut in recenſum hunc fuerit a nobis relatus. Corrigendo enim illic in Typographiis ſe ſuosque fere ſolum ſuſtentavit, eosque præcipue luci exponens, vel ut evulgarentur, procurans libros, quos a ſuis profectos, vel iſtis ſaltem favere bene

nove-

noverat. Excudebatur tunc temporis etiam opus illud maximum, rarum, pretioſiſſimumque, quod *Bibliothecæ Fratrum Polonorum* titulum gerit, & in Tomos aliquot digeſtum, cujus editio ſi non uni, præcipuo tamen ἐργοδιώκτῃ Wiſſowatio adſcribenda eſt. Bibliothecæ hujus Volumen I prodiit Irenopoli (Amſtel.) An. 1656. in quo continentur opera omnia *Fauſti Socini* in duos Tomos diſtincta, priori Exegetica & Didactica, altero Polemica comprehendente, accedentibus quibusdam adhuc ineditis, quorum omnium Index præmittitur. Volumen II eodem anno Eleutheropoli (Amſtel.) comparuit, & exhibet opera omnia Exegetica, Didactica & Polemic. *Joh. Crellii* Franci, duabus partibus, adjectis Indicibus, 1. Locorum S. Scripturæ explicatorum, 2. rerum memorabilium & phraſium S. S. In Volumine III tertia pariter Pars *Crellii* operum abſolvitur, ubi etiam Ethica ejus Chriſtiana apparet, quæ ſeorſim etiam in 4. Selenoburgi, hoc eſt, Amſtelodami, (Lüneburgũ enim vel typi excuſant accuratius

curatius inſpecti) prodierat. In Volumine IV conſpiciuntur *Joh. Ludov. Wolzogenii*, Baronis Auſtriaci, opera omnia, Exegetica, Didactica & Polemica, duabus Partibus, in quibus tamen Epiſtolæ Jacobi & Judæ ipſius Wiſſowatii ſunt. Volumen V complectitur *Jonæ Schlichtingii de Bukowiec* Commentaria poſthuma Irenopoli An. 1656. ut reliqua omnia ſumtibus Irenici Philalethi P. II. His operibus poſtmodum adjectum eſt, Volumen VI adinſtar Supplementi Anno 1692. impreſſum, in quo leguntur *Samuelis Przipcovii* Equitis Poloni, & Conſiliarii Regii opera: ut Cogitationes ſacræ ad Initium Evang. Matthæi, & omnes Epiſtolas Apoſtolicas, & cætera Eleutheropoli, quanquam ea cum omnibus exemplaribus conjuncta, ſed ſeparatim etiam proſtant, & multoties venduntur. Ceterum non prætereundum eſt, hujus operis ſi priora volumina, quæ alias Bibliotheca Fratrum Polonorum proprie audiunt, inſpicias, inveniri omnia An. 1656. ut titulus habet, fuiſſe typis mandata. Nec dubium ſplendido operi

Wiſſo-

Wiſſowatium, ut Autor Vitæ ejus habet, operam ſuam inprimis navaſſe, atque in iis voluminibus adornandis corrigendisque ſtrenue deſudaſſe. Sed animo reputantibus tempus, quo id factum fuerit, & annus ſexageſimus ſextus ſupra milleſimum ſexcenteſimum occurret, ubi Belgium id inhabitaturus noſter legitur acceſſiſſe: Anno enim 1656. adhuc inter Polonos vixiſſe, antea dictum eſſe meminimus. Quemadmodum ea conciliánda ſint, nondum perſpicere potuimus; niſi dicendum ſit, ex arbitrio atque certis de cauſis annum quinquageſimum ſextum fuiſſe præmiſſum; vel eo anno imprimi cœpiſſe; poſteriori vero abſolutum eſſe. Prius veroſimilius eſt; in qua conjectura me confirmat Sandius in Vita Fauſti Socini: ubi Bibliothecæ ſuæ Anti-Trin. ſic diſſerit: *Hæc omnia ſimul juncta totius Novi Teſtamenti explicationem complectuntur, edita Irenopoli poſt annum Domini 1656. fol. i. e. Amſtel. 1668. niſi quod Crellii & Schlichtingii opera Exegetica duobus fere annis prius lucem viderint.* Hiſce autem

voluminibus affirmat Autor vitæ Wiſſowatii, & ipſum ſcripta quædam Didactica & Exegetica, ut in S. Apoſtolorum Actus, atque in Judæ & Jacobi Epiſtolas, flagitantibus amicis, at memorato operi non præfixo & indicato nomine, inſeruiſſe. Hæc de Bibliotheca Sociniánorum. In qua, ut dictum eſt, præcipua Wiſſovvatii fuit cura & ſedulitas. Neque tamen ſolum in hoc, verum & aliis ſcriptis, corrigendi labore multum Typographos ſua induſtria juvaſſe, compertum habemus. Tandem inter ſtudendum paralyſi commotus, collectis quamvis viribus, An. 1678. d. VII. Junii, vitam & labores cum calamitatibus exilii in his terris finiit, poſtquam per annos ſeptuaginta amplius multo plurima adverſa exantlaverat. Scriptorum Indicem exhibet *Sandius* in Biblioth. citata, è quibus eminent Annotationes in Evang. Matthæi, Marci, Lucæ, in Acta, Epp. Jacobi & Judæ. Aſcetica ſunt: Stimuli virtutum, Fræna peccatorum, Amſtel. 1682. 12. De hominis vera beatitudine conſectanda, 1682. it. Diſcurſus de

de Vita æterna ibid. Philoſophicæ Epiſtolæ II ad Lubieniecium altera, Anno 1665, Manhemii, altera 1666. Amſtel. ſcriptæ, & inſertæ ſunt celebri Theatro Cometarum Lubieniecii Amſtel. 1667. fol. Narratio ejusdem, quomodo in Polonia a Trinitariis Reform. ſeparati ſint Vnitarii, impreſſa eſt cum Sandii Appendice ad Nucleum Hiſtor. Eccleſ. 1678. 4. itemque in Sclavonia Reformata Andr. Wengerſcii, 1670. Omnium maxime notabiles ſunt notæ in Catechiſmum Racovienſem Stauropoli 1680. 4, cum reliquis excuſæ. Reliquit præter hæc Manuſcripta plurima, quæ magna diligentia recenſuit Sandius, ad quem B. L. remittimus, & non niſi quædam eorum in Wengerſciana Hiſtoria Sclavonica impreſſa monemus. Quod ſupereſt, videri poteſt in Biblioth. ſæpius citata Anti-Trinitariorum Sandiana 1684. Freiſtadii i. e. Amſtel. itidem vulgata, cui nos pleraque debere, atque inde, quoniam libellus iſte non omnium teritur manibus, excerpta exhibere viſum eſt.

Franciſcus VVylerus.

MOnachus Baſileenſis, & Vir doctiſſimus, Fratrum Minorum ordini adſcriptus, & Græca literatura non minus, quam Latina inſtructiſſimus: Id quod facile ſubolere Lectori Benevolo poterit ex ea opera, quam diu exantlavit in eadem Civitate, eruditorum & doctorum Typographorum feraciſſima. Codices enim ignorantia & vecordia ſtupidorum Monachorum inter deſcribendum admodum male habitas, quanta potuit induſtria, reſtituere laudabili ſtudio, & ævo vix e barbarie eluctato, allaboravit. Nec minus cum a Typographis typis traderentur; pari fide & ſedulitate ac doctrina relegit, emaculavit, atque ſic immortalem ſibi peperit in orbe literato famam. Defunctus vero hoc labore quam maxime legitur ſub initium Sec. XVI. anno circiter 1516. & quod excurrit. Idemque inter primos accuratius diſtinxit libros in capita, argumenta ſingulis præmiſit, eaque omnia præſtitit, quibus & ipſe

æterna

æterna laude dignus esse queat, & ipsi codices ætatem ferant. Distinguendus interim diligenter a *Joh. Wilero*, Decretorum Doctore, & Ecclesiæ Basileensis Cathedralis Pastore, qui, ut *Urstisius* in Epit. Historiæ Basil. 12. p. 105. affirmat, An. 1450. jam est mortuus, utut e posteritate illius fuisse non temere negaverim. De nostro Francisco videatur, si placet, Adami in Vita Pellicani Theologi, de quo paulo ante, p. 272. Sed ad colophonem addendum progredior tandem, & si qui sint in Elemento postremo Z, lustrabimus. Ex duobus vero primus esto

Filippus a Zesen *a Fürstenau.*

MIrus in Germanica lingua struendorum carminum artifex, & Novator lepidissimus; stolidum enim dicere non audeo. Natus ille An. 1610. *Priravia* Saxonum, & a puero jam varium suum & ludicrum ostendit ingenium, quippe jam tunc sibi relictus, iis solum vacavit artibus, quibus postea inclaruit. Unde etiam duarum Societa-

tum Poëticarum Collega evaſit, in fructifera: Der Wohlſetzende; in der Teutſch-geſinnten Genoſſenſchafft vero der Fertige dictus. Cujus poſterioris autor fuiſſe creditur, quemadmodum etiam fundaſſe Societates, *Roſigeram*, *Liligeram*, *Caryophylligeram* & *Rutigeram*, mentione prolixa indignas, dicunt. Non diu autem per omnem vitam moratus in patria eſt, ſed hinc inde per ambages Provinciarum vagatus, totus in eo occupatus fuit, ut Germanicam linguam ſuæ indoli nativæ reſtitueret, omnesque peregrinas voces, qua poſſet via, exterminaret. Non diffitendum quidem varias deſiderari voces in noſtra vernacula, eas præcipue, quibus res compoſitas unius tantum pronunciamus vocis compendio, multasque adeo exoticas irrepſiſſe, in peregrinitatem ſane ejiciendas, ſi commode id fieri poſſet. At enim vero unius hominis vix eſſe eum conatum, ut Reformationem pleniſſimam idiomatis noſtri Germanici ſuſcipiat, putamus, præcipue, ſi ea methodo procedere vellet,

qua

qua Cæſius uſus eſt: Tyrannum enim ille potius vocabulorum, quam Reſtauratorem ac Medicum egit, tantamque barbariem in animo habuit inducere, ut ſi novata ejus verba ſaltem auribus hauriantur, eæ propemodum horrore commotæ omnibus tinnire incipiant. Neumeiſterus Clariſſimus Poëta in tr. de Poëtis Germanicis, quædam hujusmodi vocabula recenſet, quæ hic repetere non piget, ut L. B. quid non ſingularitatis ſtudium deſignet, vel hoc ſpecimine intelligat. Nempe: Die Natur/ ei eſt, die groſſe Zeuge-Mutter. Pabſt/ der groſſe Ertz-Vatter: Pommerantze/ Göld-Apfel: Fenſter/ Tage-Leuchter: Mantel / Windfang: Hut / Kopf-Decker: Feuer-Mauer/ Tachnaſe: Pinſe/ Mahler-Quaſte: Rußqueten / Schieß-Prügel: Piſtol / Sattel-oder Reut-Puffert: Spiegel/ Geſichtſchauer. Quibus addimus, Regimenter / Heerſchaaren: Obriſt-Lieutenant/ Schalt-Obriſten: Admiral/ See-Held: Vice-Admiral/ Unter-See-Held: Kutſche / Himmel-

Wagen/ & quam ridicule ſonant verba, quibus præfationem Joſephi ſui inchoat. Mich deucht/ich ſehe die Welt ihr Leſch-Horn rümpfen/ ꝛc. Magis horrida ſunt vocabula technica, ut Jambus ein ſteigender Schritt; Trochæus ein fallender oder ſtuffender; Dactylus ein rollender oder hüpfender: Genus Dactylicum, die rollende Palmen/ oder Tattel-Art: Syllaba penultima, das vorletzte Wort-Glied: Echo, Thalmunde; Genus, Ober-Art; Species, Unter Art; Sed nondum ſatis eſt literaturæ curioſæ exemplorum. En carminis inſcriptionem ſic habentem: Ein zweyſtebender mit ſteigenden und kurtz-langen Tritten/ in ſechs ſtuffichten Zwölfftingen durch untermengte Männliche und Weibliche Reim-Bänt. Riſum continebis L. B. Viri boni præpoſteræ intentioni haud male illud dabis, ſed vix ab indignatione Tibi temperabis, ſi perpendas Viri hujus arrogantiam, qui fertur, reſpondere non raro ſolitus ſciſcitantibus, quisnam ſit? Num vero Cæſium ignorare potes. Quaſi ex vultu,

oder

oder aus ſeinem Leſch-Horn / Herculeſ iſte cognoſci potuiſſet. Verum hæc ejus ſuperbia mirum quantum ab omnibus ſui temporis viris, vel exigua ſapientia præditis, traducebatur. Cum etiam aliquando Noribergæ hoſpes viveret, viſitavit illic Senatorem quendam, quem *Philippum Harsdörferum* fuiſſe dicunt, tectoque nomine amicitiam ejus ſibi conciliaturus erat, cum tamen optime ille noviſſet hoſpitem ſuum, utut diſſimularet. Inter alios igitur ſermones, quos inter miſcebant, gloriæ cupidus Cæſius noſter, quærebat: Quidnam alter exiſtimaret de Philippo iſto Germaniæ miraculo. Depingebat ille Cæſium, ut erat lingua liberrima cordatus, & ſtolidiorem Germaniam totam vix habere, audacter aſſeruit. Erubuit Cæſius, abiit, nec amplius poſt vera iſthæc audita ad illum rediit unquam. Sed præter hæc vitia, amoribus etiam nimis indulſit ſuis, ut ſæpe numero a Poëtis fieri aſſolet, utpote qui pro ſanguineo, quo gaudent temperamento, ut maxime idonei ad carmina ſtruenda omnes, ita huic

quoque affectui dediti esset solent. Et quis non est, cui ignota sit *Adriatica* ista *Rosemundis* decantatissima, Cæsio nostro Amasia, quam tamen non nisi ancillam Lipsiæ fuisse quidam autores narrant. Sed quid opus his nugis recensendis, alia monenda restant, eaque potissimum, quæ operas ejus Typographicas respiciunt. Discurrère ergo cum soleret per omnes Germaniæ latebras, & gradu Magistri Philos. dignitateque Comitis Palatini ornatus, ut plurimum vixit *Lipsiæ*, *Hamburgi* & *Amstelodami*, & posterioribus duobus locis Typographos quosdam frequentissime juvabat: non semper enim habebat, unde sibi victum, amictumque & itinerum sumtus necessarios pararet. In primis vero *Johanni Blavio* Typographo & erudito & celebri Batavo, & *Joach. Noschio* Hamburgensi suam operam locasse accepimus. Emendavit igitur non suos tantum fœtus plane singulares, sed & aliorum, unde merito inter præcipuos nominandus erat. Obiit tandem iisdem intentus laboribus septuagenarius, sec. quosdam Ham-

Hamburgi An. 1680, d. 13. Novembris vel, ut rectius Cl. Möllerus in Introductione in Cherſon. Cimbr. An. 1689. variaque monumenta varii ſui ingenii reliquit. Ut ſunt der Hochteutſche Helicon, 8. Hochteutſches Heliconiſches Roſen-Thal / Amſtel. 1669. 8. Scala Heliconis Teutonici, 8. Amſtel. Das Hochteutſche Heliconiſche Lilien-Thals Vorbericht: Deß Hochteutſchen Heliconiſchen Nägelein-Thals Vorbericht / Hamb. 1687. Poetiſcher Roſen-Wälder Vorſchmack / Hamb. 8. Luſtinne h. e. gebundene Rede von Krafft und Würckung der Liebe / Hamburg / 4. Beſchreibung der Stadt Amſterdam / 4. Hochteutſche Heliconiſche Hechel: Rettung der Hochteutſchen Haubt-Sprach: Die ſtützende Verzeichnüs der Zeſiſchen Schrifften: Der keuſche Joſeph / Nürnberg & Amſterdam / ꝛc. De Zeſii vero ſcribendi ratione conſuli poterit *Dan. Habichthorſtii* Bedencken über die ſonderbahre Zeſiſche Art / Hochteutſch zu reden und zu ſchreiben / Hamb. 1678. & 1683. 16.

Sub

Sub finem monumentum a nonnemine fugitivo calamo Zesio positum annectemus:

Bleib stehend Wanders-Mann/
Betrachte diesen Stein/ und den/ so hier begraben/
Wilt du die Quint-Essenz von den Poeten haben/
So schaue diese Krüffte an.
Der grosse Jesus/ das Wunderwerck der Erden/
Kan hier in kleine Raum genau betrachtet werden/
Der Teutschen Sprach Tyrann.
Wilt du nach deinem Tod dergleichen Titul erben/
Schreib noch was seltsamer/ so kanst du rühmlich sterben.

Videatur M. E. Neumeisteri diss. de Poëtis Germ. 4. 1706. Molleri Introd. in Chersonesum Cimbricam P. II. p. 204. Ejusdemque Homonymoscopia, p. 88. Supereſt

Theo-

Theodorus Zvvingerus.

ULtimum hic in noſtro Catalogo occupat locum, utut dignus ſit, qui interprimos ob eruditionem & nominis famam commemoraretur: ſive enim ad Philoſophorum te convertas, ſive ad Medicorum caſtra, Primipilos eum referri videbis, non injuria ab Abnepote *Theod. Zvvingero*, Polyhiſtoris titulo condecoratus. Certe quod in confeſſo eſt apud omnes, ab hujus viri ſolertia accurata, labore indefeſſo & lectione omnimoda, nonniſi quod elegans & inſignem doctrinam ſpirat, provenit: Unde merito de conſortio hoc ſplendido reliqui Correctores poterunt gloriari. Erat is patria *Baſileenſis*, natus parente *Leonh. Zvvingero*, *Epiſcopicellenſe*, nuper admodum civitatis jure Baſileæ donato, in lucem editus, An. poſt Chriſtum natum, trigeſimo tertio ſupra milleſimum & quingenteſimum, d. 2. Auguſti, Patre cive honeſto, matre celeberrimi *Oporini Sorore*. Poſitis non infeliciter, moderante Vitrico *Conr. Lyco-*

Lycoſthene, fundamentis literarum elegantiorum, plura iis & altiora ſuperſtructurus, in Italiæ celebrem Muſarum ſedem Patavium migravit. Hic poſtquam diu magna cum laude, & cognitionis doctæ incrementis & frugaliter vivendo, corrigendoque in officinis Typogr. verſatus eſſet, in Galliam migravit, & Lugduni uti & Lutetiis ſe eodem labore emendandis libris facto aluit, atque tandem ad patrios lares reverſus, munus mox fuit ei oblatum publicum, quo accepto, Græcam literaturam primum, deinde vero Ethicam & Politicam accedentes, non ſine magno omnium applauſu publice docuit. Qua fide viri integerrimi in illis functionibus adminiſtrandis conſpecta, Medicas tradendi artes officium tandem ei fuit injunctum. Verum enim vero quanquam ita augebantur labores & honores, debilitabantur ex adverſo corporis vires, & cum pauperibus, aliisque, quibus domi res anguſta erat, Medicinam gratis faceret, fieri etiam non potuit, quam ut ipſe interdum neceſſariis ad vitam vel me-

mediocriter tranſigendam careret. Idem itaque eidem accidebat, quod in noſtris Academiis non raro fieri ſolet, ubi ſplendidi plerumque ſunt tituli, labores magni, ſtipendia vero minima, quæ veſtibus familiæ vix ſufficere videntur, ut quæ nomini & honori reſpondeant neceſſe habentur. Quare ut huic defectui noſter mederetur, & literas tamen ſimul juvaret meliores, Typographicis, juxta officium publ., inſervire cœpit officinis, in primis Epiſcopianæ, ea opera, qua viros claros hucusque vidimus defunctos. In quo tandem labore, viribus valde attritis, febre Epidemica tum graſſante correptus, variisque fidei & conſtantiæ ſignis in ipſis extremis horis vitæ editis notabilibus, obiit An. 1588. Nuncio tanto obitu a *Baſilio Amerbachio* accepto, exclamaſſe hic dicitur: *Piget me vivere, & poſt tantum virum ſupereſſe, cujus magna fuit doctrina, ſed exigua, ſi cum Pietate conferatur!* Inter ſcripta ejus præter alia minutiora inprimis claret opus immenſi laboris & incredibilis lectionis, Theatrum

trum Vitæ Humanæ a Præceptore Lycosthene inceptum, a noſtro perfectum, & in quo quindecim annos integros ſudatum eſt. Extat Baſil. apud Epiſcop. An. 1686. V. Tomis excuſum; antea vero jam etiam prodierat apud Oporinum An. 1565. & recuſum poſtea etiam extat recognitumque a Jac. Zwingero filio Gr. Ling. P. P. Baſil. apud Henr. Petri III. Voll. An. 1604. Ejusdem induſtriæ debemus etiam Phyſiologiam Medicam, & Commentarios varios, quos ſcripſit in Galenum, Hippocratem, Ariſtotelem, Catonem & Varronem (Rei ruſticæ ſcriptores.) Bene de reliquo diſtinguendus eſt a Nepote *Theod. Zwingero*, qui Theologiam in templo æque ac in *Auditorio Academico* Baſileæ quoque profeſſus eſt, cujusque ſcripta de S. Cœna & ſimilia proſtant Theologica; itemque Abnepote, e cujus præfatione ad Tr. de Feſto corporis Chriſti ad vitæ Proavi hanc enarrationem pertinentia accepimus, quam etiam apud Freherum & *Adamum* in Medicorum vitis deſcriptam repe-

reperies. De laboribus vero Typograph. vid. Celeb. Th. Crenius in præfatione P. III. Methodorum ad ſtudia recte inſtruenda pertinentium, & in Animadverſionibus Philoll. P. V. p. 109. It. Monumenta Pietatis & literaria Virorum in Republ. liter. illuſtrium ſelecta 4. exc. Parte II. p. 129. in Ep. Grynæi ad Lingelshemium ſcripta. Apud priorem paucis de *Johan. Bernhard. Zinſerlingio*, Profeſſore quodam Roſtochienſi in iisdem laboribus occupato, meminit, quem Centuriæ ſecundæ, ſi Deus vitam, vires, & favorem Eruditorum conceſſerit, inſerturi ſumus. Cui parti plures alios, ut *Sebaſtianum Caſtellionem*, Literatorem notiſſimum, *Johannem Georgium Hoffmannum*, *Matthæum Zuberum*, *Georgium Nigrinum*, *Lothum Fiſcherum*, *Ludovicum Saurium*, *Euſebium Meiſnerum Kürſchium*, & ſimiles D. V. ſervamus. Atque ſic tandem ad finem perduximus recenſum Correctorum eruditorum, quali labore fungi maximi,

ut vidisti, Viri non renuerunt, cujus rei testes non solum ipsi erunt ; sed Clar. Marvillius bene satis & vere scripsit in Melanges d'Histoire & de Literature p. 29. Au commencement qu'on eut trouvé l'art d'imprimer les livres, les plus grands hommes faisoient gloire d'être les correcteurs des habiles Libraires. Les Medicins, les Juris-Consultes, les Prêtres, & les Evêques memes s'en mêloient. Huic quidem opellæ constitueramus submittere libellum integrum, duas quippe plagulas non excurrentem, *Hieronymi Hornschuchii*, qui instructionem operas Typograph. correcturis dicatam Lipsiæ 8. An. 1608. ap. *Mich. Lanzenbergerum* excusam, continet. Verum ne Lectorem minutiis his obruam, omittere plenum illud opusculum placuit, ea tamen conditione, ut nonnisi duobus verbis ex eodem, quæ ad bonum & genuinum requirantur Correctorem, indicemus, aliisque observationibus subinde illustremus. Primum est, quod *Hornschuchius* ab hujusmodi homi-

homine præſtari debere credidit,& ſubmonuit : Non quemlibet huic præfici poſſe provinciæ, niſi eum, qui linguarum, quibus excuduntur libri, exactam habeat notitiam, & præcipue polleat acrimonia judicii, qua diſcernere queat, quæ non raro peſſimis ab eruditis characteribus exarata ſunt. Eo, quod magnum Doctorum vitium ſit, ut peſſime pingant elementa literarum, ſuamque manuum negligentiam etiam, vulgari proverbio, Doctos male pingere, pallient. Quaſi vero eruditio comparari haud poſſet, niſi ea induſtria, eoque niſu, ut reliquarum & καλλιγραφαὶς neglecta habeatur ratio. Id vero quoquo modo ſe habeat, hinc certe Typographi eas ſæpe in officinas ſuas accipiunt ſchedas, ad quarum characteres dignoſcendos vel centum requirantur oculi, & non unus Argus. Vnde interdum culpa in Typothetas chalcographorum devolvi, niſi injuria, vix poterit; verum ipſi non raro Doctores cauſas harum corruptelarum dici jure optimo, nemo inficiabitur. Poſt hæc, ut eximia quadam

dam acie oculorum valeat Corrector, idem poſtulat, qua opus habeat, non tam in exilioribus literis, & conſpiciendis, & pingendis, interponendisque, quam ut inter relegendum ſingularum vocum ſingulas articulatim ſyllabas, imo & apices exacte contemplari queat. Maxima certe hæc cauſa tot tantorumque errorum, qui ſæpius in libris noſtris prælo excuſis occurrunt; dum hallucinantes oculi ſingula elementa vix inſpiciunt, ſed vel prima Syllaba & ultima cognita, reliquæ vocis literæ neglectæ, præterlabuntur, vel fugitivo oculo adſpectæ intactæ remanere, & in mendis cubare ſinuntur. Atque illud quidem præcipue uſu venit in interpunctionibus, ubi lineolæ non raro atramenti vitio comparent, quæ vel commata creduntur eſſe, vel cola, & ſimilia, & ſic vel intempeſtive delentur, vel ut maneant, temere permittuntur, unde errores in promtu eſſe ſolent. Verum ex commodo hoc aciei oculorum id oritur ſæpiſſime incommodum, ut ſi nimis diu & in ſenectutem usque Correctores

rectores legendis relegendisque ſchedis vacant, tandem acies illa penitus abeat, oculorumque varia vitia contrahantur. Quare conſulendum erit iis, qui defectum quendam ſentiunt, ut in tempore ab hujusmodi laboribus abſtineant, aliisque relinquant. His additur amplius & deſideratur, ut, quisquis in emendandis paginis occupatus eſt, quam diligentiſſime omnes devitet affectus, Iram puta, Amorem, Triſtitiam, aliasque commotiones vehementiores. Id enim ubi fit, mente nubila & aliorſum converſa, cum animo non agitur præſenti, committi errores poſſe, quisque intelligere poterit. In primis vero ebrietatis & crapulæ vitium ſummo declinetur ſtudio, ne aut omnino nihil, aut contra plus, quam re ipſa præſto ſit, cernat. Facilius quippe ceſpitare, & oculis falli ebrio quis poſſet, non video, præſertim ſi omnis ab hujusmodi homine bene ordinatus rationis abeſt uſus, ubi Dianam, quod ajunt, Ranam, & Ranam putabit eſſe Dianam. Vnde hujuscemodi com-

potationum ſocii expellendi potius ſunt ex officinis, quam in eas recipiendi, nec talia illis concedenda, quæ agant, negotia, ex quorum vel pravitate vel bonitate Typographi non minus, quam libri ipſius atque ſcriptoris non raro pendet æſtimatio. Atque hac occaſione meminiſſe juvabit, Celeb. *Eraſmum Roterodamum* a *Scaligero* accuſari, quod non raro vino ſe ingurgitare ſolitus fuerit, cum in Aldina officina Correctorem egiſſet, unde ob ſphalmata occurrentia ſæpe plagulas *Aldo* recudendas fuiſſe. Verum quamvis non negandum, vini cupidum admodum fuiſſe Eraſmum, attamen ne hoc quidem unquam Scaligero conceſſerat Roterodamus, quod hujuscemodi laboribus Venetiis incubuerit, & certum eſt, iniquo per omnia Scaligerum de Eraſmo ſcripſiſſe animo, unde an fides ſit hoſti habenda, vix credidero. Porro ad eundem Correctorem pertinet, ut rationem bene & probe addiſcat conſecutionis, & collocationis columnarum, in quacunque librorum multis modis complicandorum,

rum, forma, ſeu, ut terminis artis utamur, quomodo in Folio, Quarto, Octavo, Duodecimo &c. dictæ columnæ ſibi reſpondeant in parte anteriori & poſteriori, vulgo **Schöntruck und Wiedertruck.** Cujus tamen rei notitia facillime comparari poterit. Ante omnia inculcandum eſt Correctoribus, & ſtudioſe advertendum, ut, plagula accepta, numeri paginarum examinentur, & litera, quæ notari ſolet, & ordo plagularum, quandoquidem nævi & παραράμματα in prioribus commiſſa moleſtiſſime lectorem, qui Indices evolvit, decipiunt, & nihil magis exacerbare valet Eruditos, quam ſi in Indicibus alium inveniant numerum, quam in libro reperiunt, vel geminæ notæ aut aſteriſci, erroris indices, in ipſo Indice properantem morentur. Denique ad poſtremum, non vagabundæ ſit mentis Corrector bonus neceſſe eſt, & ſigna, quibus utuntur iſti homines, in ſingulis Typographiis recepta, exacte calleat.

Ut, ſiquid eſt omiſſum, in locum, ubi vel vox, vel litera, vel interpunctionis

nota exiſtere debebat, inſeratur ſignum notatum, in margine vero adſcribatur, quod prætermiſſum eſt, clare & dilucide.

Quod abundat, & ſuperfluum eſt, id calamo inductum hæc figura in margine poſita, expurgare jubeat. ℘.

Cum litera aut nota diſtinctionis eſt inverſa, cancellatur, & hoc in margine collocetur ſignum. ſ.

Si quando dictiones, quæ ſejungendæ erant, omiſſo ſpatio junguntur, iſthac nota divellantur. ⌢.

Divulſa & hiantia conjungat eo modo, quem jam indicavimus. ⌣.

Quæ diſtorta ſunt, & oblique poſita, aut quæ altius extant prominentia, quo vicinæ literæ minus exprimantur, hoc ſigno intus & in margine notentur. ⫽.

In transpoſitionibus, numeris linea ſubducta utendum. 1. / 2.

Spatium deprimendum, ſignificatur per figuram. ⫻.

Puncti nota hæc eſſe ſolet. ⊙.

Reli-

Reliqua interpunctionum consueta genera sua figura semicirculo inducto pingantur. (:

Nota divisionis in extremitate lineæ, quæ totum vocabulum non capit, est.(--.

Si quæ linea propius ad marginem ducenda, hoc utantur charactere. [.

Si removenda longius, retrahi debeat vox a margine, indicat & sequens.].

Si litera inversa fuerit, sive alia pro vera posita, illa per lituram tollatur, & hæc in margine notetur. Si litera vero mutila, detrita, obtusa vel alio modo corrupta expungatur, & plenior adscribatur in spatio albo. Si deprehenderit vero errores ex oscitantia vel Autoris vel Scriptoris relictos, eos corrigat, si parvi sunt momenti, ne fama exinde Autoris operis lædatur. Unde male me habuit, cum in nostra hac opella p. 16. Typothetæ vel Correctoris non inerudite, at operi huic immortui, negligentia pro *extulerunt*, positum vocabulum *extollerunt*, ita in corrigendo fuerit relictum. Et fere idem nunc dici pote-

rit, quod de Auguſti Pfeifferi Antiquitatibus Judaicis 4. Jenæ excuſis, quas corrigendas clariſſimus Sagittarius infeliciter ſatis ſuſceperat. Ita certe Beatus noſter Corrector cujus Lexicon Lat. nuper demum prodiit, neſcio qua de cauſa paginas opuſculi hujus priores haud ſecundis trivit manibus, uti fere eadem fata experta eſt Cel. Relandi Palæſtina Norimb. excuſa, eodem viro curante, ubi errata omnia in Batava editione ad calcem notata feliciter manſere. Caveat porro Corrector probus, ne ex pruritu & oſtentatione quid agat, & forte in odium autoris incurrat, id quod Henrico Stephano contigiſſe antea in vita ejus meminimus. Sin ſecus nota addita lectorem moneat, aut ſi tempus permiſerit, & locorum intervallum, ipſum Autorem, vel alios eruditos Viros conſulat. Multo minus vero ea immutet, quæ bona ſunt, & quæ melius ſaltim exprimi poſſe vana credit perſuaſione. Ita enim vel ignorantiam vel ſtultitiam prodet lectoribus. Qua tamen labe ii ſæpenumero hodie infecti

ſunt,

ſunt, qui inter Typothetas fundamenta etiam literarum exceſſerunt, & latius quodammodo in campo Muſarum vagati, ut luſci inter cæcos regnant. Quanquam idem pari modo illis quoque dictum cupiam, qui prima non nihil deguſtarunt elementa, & quando naſutiores ſibi videntur aliis, qui nonniſi figuras literarum norunt, interdum tamen inter legendum corrigere quædam ſolent. A quo auſu iſtiusmodi hominibus prorſus abſtinendum, & Correctoribus doctis, vel auctoribus ipſis labor ille relinquendus eſt. Præterea etiam Autor, ſi fieri poſſit, cum eo, qui emendata, notataque reſtituit, amice vivat neceſſe eſt, certe inimicitias inter eos intercedere oppido noxium eſt: Alias enim ex odio ille facile aliquid inſeret, ex cujus vitii enormitate facillime & fama editoris æque ac Autoris, & ipſius Correctoris labefactari poſſet. In quem poſteriorem tamen omnis culpa potiſſimum devolvi ſolet, utpote qui curam harum rerum habere debuiſſet, id quod exemplo Eraſmi, in ejus Vitæ recenſu, demon-

demonſtratum dedimus. Præcipue vero ſibi proſpiciat, attentusque ſit Typographus in corrigendis libris, imo & excudendis, & per Typothetas deſcribendis, qui diverſa a noſtris ſacra ſectantur, ut ſunt Pontificii, Calvino-Reformati & ſimiles alii, imo & abſtinendum puto ab hominibus peregrinis, qui aliud patrium amant ſolum, & facile, ſcelere quodam commiſſo, ad lares ſuos redire poſſunt. Præcipue vero cum prioribus, Pontificiis nempe, ſapienter & circumſpecte erit agendum, utpote vehementioribus, & ſuperſtitioſis, magis quam hi eſſe ſolent. Quam etiam ob rem non ſatis prudenter egiſſe putaverim Correctorem quendam, cui nomen *Kiefnerus*, ob impoſturam in libro quodam Pontificio commiſſam, tametſi a vero obſervatio non abluderet. Excudebatur in diverſis locis *Speculum Parochorum Magnum*, ex quo opere plagulas quasdam etiam *Endteri* noſtri Norimb. accepere. In his, cum duobus in locis Purgatorii facta eſſet mentio, Kiefnerus ille, Corrector operis, addidit inter relegendum,

Si

Si quod eſt, vel, *ſi credere fas eſt*. Impreſſis in hunc modum exemplis, re ipſa *Würzburgi* ex inſpectione comperta, dici non potuit, quanti motus exinde orti fuerint. Non ſolum enim per Legatum ſuum Epiſcopus, ut Corrector ſibi tradatur, omni virium contentione petiit, verum etiam fuga eo ſalutem ſibi quærente omnibus viis intercipere profugum laboravit. Sic & narratum nobis eſt, in eodem loco & illuſtri Franconiæ civitate Epiſcopali, Correctorem quendam ſuperiori ævo publice in foro virgis cæſum, atque urbe cum infamia exire juſſum eſſe, quod pro Veronicæ Schweiß-Tuch / litera W omiſſa, putidum vocabulum, quaſi ex oſcitantia ſubſtitui paſſus eſſet. Ex adverſo Noribergæ homo quidam malignus, cum Biblia ſacra procuderentur, ad verba Loci 1. Cor. III. 15. addidit: So doch/als durchs Feg-Feuer / cujus corruptionis exemplaria audio ſupereſſe. Inprimis vero in excudendis Patrum ſcriptis hujusmodi homines bene ſunt obſervandi, in quibus corrumpendis Pontificii

ficii facillimi ſunt, cujus rei luculentum teſtimonium in vita Ludovici Saurii, in Centuria altera occurrentis, ſum exhibiturus. Hæc nunc pro arguenda noſtra dehortatione ſufficiant. Non poſſum autem, quin quæſtiones aliquot ſubtexam neceſſarias, at brevibus diſcutiendas. Harum prima eſt: Utrum liceat per conſcientiæ religionem corrigere libros Pontificiorum, vel aliorum veritatis cœleſtis adverſariorum. Ad quam reſpondendum cenſemus, id ſalvis Chriſtianiſmi & Evangelii regulis non licere; eo quod neque directe, neque indirecte, neque adeo ut Architectis horum erroris promovendi adminiculorum, neque etiam ut inſtrumentis adſcita cauſæ moralis culpa, & participatione alieni peccati negotiis quibusque vacare licet, judice Paulo 1. Tim. V. 22. & 2. Cor. XIII. 8. 9. Emolumenta vero, quæ ex ſcriptis hujusmodi in Eccleſiam puram redundare finguntur, vel nulla ſunt, vel conſultius ſaltim actum judicamus, ſi penitus aliis relinquantur a nobis, hujusmodi opella abſti-

abſtinentibus. Idem vero plane argumentum valebit, ſi quando libri impudici, Athei, ſeditioſique occurrant, quorum publicationem ſi qua promoveamus, judicium non ſolum humanum, verum etiam, & quæ maxime metuenda, divinam Nemeſin incurremus. Atque ex his facile judicari poterit, quid de Bibliopolis quoque ſentiendum, quorum ſumtibus hujusmodi opera, & tenebris æternis digniora ſcripta, in lucem protrahuntur, quos tanto gravior premit culpa, quoniam id genus libelli, qui non raro apud nos ſunt, mandatis etiam Magiſtratuum, & jurisjurandi religione, quo minus apud nos excudantur, prohibiti ſunt. Quibus tamen omnibus neglectis Bibliopolas reperias, qui mercaturam nullo fere alio librorum apparatu niſi Pontificiorum exercere ſolent.

Aurì ſacra fames quo non mortalia cogis
Pectora?

Altera quæſtio eſt: Num conſultum ſit, ad Correcturam, ut ita loquar, faciendam, hominibus diverſæ a noſtra religionis,

gionis, uti miniſtris. Non repeto ea, quæ a Serveto commiſſa ſunt Lugduni Gallorum, & alibi. Hoc ſaltim innuo, non circumſpectum ſatis mihi videri, neque rationibus cujusque Eccleſiæ congruens, ſi alii præſto ſint, ut ejusmodi a nobis diſſidentes in auxilium vocentur, utcunque polliceantur ſe bona fide acturos. Nam ſemper tamen ab eorum fervore aliquid erit timendum, cujus poſtea damni incommoda non ita facile reſarciri poterunt, quam commiſſa eſſe videmus. Igitur vel jurejurando obſtringendi a Magiſtratu ſunt, vel iis hujuscemodi negotio præficiendi, qui inquilini ſunt, & quos facili opera in jus vocare poſſumus, cum cæteri, quibus patria eſt, ubicunque bene eſt, abeuntes elapſique ſui haud raro triſte relinquant deſiderium. Sed ex diverticulo redeundum mihi erit in viam, ejusque finem, nempe dicendum, in quibus rebus accurata Correctoris diligentia præcipue poſtuletur. Heic ergo tenendum, requiri, ut ab oſcitantiæ & inadvertentiæ vitio longe abſit; deinde

ut patientia iterata paginæ recognitionem iterum iterumque non moleſte ferat, quæ virtutes Melancholicis & Phlegmaticis ſunt propriæ potius, quam cholerici & ſanguinei temperamenti hominibus: Tum ut ſedentariæ vitæ adſuefactus interdiu noctuque revolvere haud detrectet excuſas paginas, & quemadmodum oculorum acie inſtructam faciem res ipſa depoſcit, ita ne nimis ſit oculatus, h. e. ſibi ſoli placens, & qui alienis laboribus manus temere inferat, exigitur. Præcipue caveat ab avaritia, ne in ſchedis perlegendis canis feſtinantis inſtar agat, unde cæcos poſtea parturit catulos, atque id hoc noſtro nunc ævo, quam maxime inculcandum, ubi Typographi pretium correctarum plagularum ſecundum numerum earum ſolvere ſolent, & hinc deproperando ut numerus chartarum & magnitudo pretii augeantur, ii ſæpius prodeunt libelli, qui vitiis Typographicis in omnibus paginis ſcatent. Experto crede Ruperto. Amplius vero deſideratur, ut orthographiæ rationem

habeat ſedulam, daß er einen rechten Schul-Fuchſen abgeben könne / in Germanico præcipue idiomate, & animadvertat errores, qui in his præſertim regionibus occurrunt, circa Articulos & Caſus, circa modum ſcribendi in Synonymicis vocabulis, in vocibus συμφόνοις, ut meinen & meinem / vorſtehen verſtehen / Haan Hahn / ſeyn ſein / Weiſen Waiſen / &c. In quibus rebus eo major diligentia adhibenda, quo magis Doctores hallucinari in hujusmodi nugis, ut appellant, ſolent. Hæc itaque erant, quæ paucis ſubnectere e re noſtra viſum eſt. Quibus breviter expoſitis, nunc nihil reſtat, quam ut denuo opellam hanc, qualemcunque Lectoris æquo commendem judicio, præcipue ſi viderit, permulto a me repetita eſſe, quæ ab aliis jam ſcripta fuerint, ea præcipue, quæ ad vitam fataque Correctorum non nullorum ſpectent, & in Biographis aliis occurrere ſoleant, omittique in hoc recenſu, ſi ſumma rerum capita conſectari voluiſſemus, potuiſſent. Verum cauſis, cur vitæ curricula

ricula singula adjecerim, cognitis, melius de meo instituto Viros bonos judicaturos credidero. Nam partim eam ob rationem verbosior fui in tractatione mea, ut Lectores, quicunque sint (non enim omnes Vitarum scriptores cunctos possident, vel ipsa etiam fata doctorum Virorum norunt) uno quasi intuitu brevem de Correctorum fatis ad manus haberent delineationem, ne, si forte eos penitius nosse desiderarent, ad alios Autores recurrendum esset. Partim vero & quod potius erat, eam ob rem singularia horum virorum adjecimus, ut appareret, qua occasione, quave ratione ad labores istos Typographicos animum converterunt, ultro ne id factum sit, & ex amore in literarum emolumenta, an vero propter paupertatem, aut alio quocunque modo, fortuito quasi & præter opinionem accidente instinctu. Postea, quod præcipue nos ad eam permovit methodum, propositum nostrum fuit, quo demonstrandum nobis sumsimus, eruditos fuisse Correctores, eaque Eruditione præditos, quæ trivialem Scholasticam-

ſticamq; doctrinam & umbratilem ſcientiam ſuperaret. Unde Academiarum delitias plerosque non modo delibaſſe, ſed imbibiſſe etiam cum ex muneribus publicis, tum vero etiam ſcriptis non vulgaribus, oſtendendum putavimus. Ita quoque in Centuria altera eos potiſſimum recenſebimus, quorum fata hactenus a pauciſſimis Biographis fuere memorata. Inde igitur incongruens mihi viſum fuerat, ſi prolixa continuatio hujus opuſculi fieret, cujus prima pars vel per tranſennam tractata fuerit. Vitæ vero terminus ideo de induſtria, ubicunque fieri potuit, addebatur; ut cognoſcere hinc poſſent Lectores, immortui ſint iſti his occupationibus, nec ne. Nam ita etiam ſimul cognoſcere licebit, quousque laborem corrigendi continuarint, & Chronologia operum correctorum lucem accipiet. De reliquo id quoque facit ad inſtitutum meum defendèndum, quod, cum quidam penitus nondum innotuerint, niſi ex fama nominis, quorum merito prolixius facienda fuit mentio, ut Apini, Bergleri, Desleri, Piſtorii,

ſtorii, Sexti, Beerii &c. non abs re eſſe crediderim, ſi & reliqui eodem tractarentur modo, ne quid in æquale aut hiulcum appareret. Quod denique ad ſcripta attinet, quæ non minus recenſita fuiſſe legiſti, ea non admodum multa, neq; omnia enumerata ſunt, & acquieſces haud dubie in iis, quæ diligentia laudatorum virorum ſingulare quoddam ornamentum & aliquem, ut ita dicam, ſplendorem debent. De cæteris vero excuſatum me habebis, Lector Benevole, ſi parcior videar fuiſſe in ſcriptis nominandis ab ipſis correctis: nam ea nonniſi ex Chronologia deducenda, multæque plagulæ ad faſtidium replendæ fuiſſent. Sufficiet ergo Tibi, ſi concludere poſſis vel illo tempore a nobis ut plurimũ deſignato, in corrigendis libris operam viros hosce clariſſimos Typographis præſtitiſſe. Ubi, ſi placeat etiam tempora conferre, quotquot opera ſunt excuſa in officinis nominatis, correcta eſſe ab eodem Miniſtro videbis neceſſario ſtatim conſequi. Sed erant etiam alia obſtacula, quæ nos remorata ſunt; namque, ut nihil

dicam, años neutiquam accurate cognitos esse de universis, quibus talibus præesse cœperant, aut desierant functionibus, illud saltim velim notes, duos etiam vel plures interdum uni adstitisse Typographo, quos adeo solicite dignoscere, &, quid cuique negotii datum sit, definire, videbatur esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Tu ipse, nisi molestum sit, B.L. periculum facies, sed mox crede, uti & mihi factum esse doleo, labore isto incerto abstinebis: nam in tam profundum Te immersisse pelagus, unde salvo Tibi vix egredi liceat, animadvertes, tum demum meæ excusationi locum benigne dabis. Nec tamen penitus desperata res est, quin potius, succedente tempore, meliora, ut ab aliis, sic a me quoque in eo imposterum etiam elaboraturo expectari posse firmiter Tibi velim persuadeas. Quibus perpensis, mecum deprehendes deniq; omne initium grave esse, neque initia, sed coronare opus quodque

FINEM.

h-11-263

Cum præſens Opuſculum, Auctore abſente, ob Correctoris ſive incuriam, ſive valetudinem adverſam, ex qua etiam haud ita pridem vitam finierat, quamplurimis fœdatum ſit ſphalmatibus, *Benevolo Lectori* ſequente Catalogo ſignificandum duximus, quo pacto, levioribus omiſſis, medica gravioribus tantum ſanandis manus adhiberi poſſit:

PAg. 1. lin. 13. lege *ſpecial* p. 2. l. antepen. *ſentit*. p. 3. l. 17. *eum*. p. 4. l. 7. *Quicquid*. l. 22. *adſpiciemus*. p. 5. l. 5. pro, *Schweppermanno*, lege, *Columbo*. l. 20. *maximo*. l. 21. pro *Sic*, lege, *Sacra*. p. 7. l. 13. *Janenius*. l. 19. *Sixtus*. l. 24. *recenſere*. p. 8. l. 6. *cæperunt*. l. 23. *poſſet*. p. 9. l. 14. poſt *quem* deleas comma. lin. ſeq. del. *in*. p. 10. l. 5. *Verilongis*. p. 14. l. 20. *Baſileenſibus*. l. 22. *inter Helvetos*. lin. ult. *cum* fama. p. 16. l. 15. *Matthias* in cad. lin. *extulerunt*. p. 17. l. 21. *negligentes*. p. 18. l. 2. 1564. l. 12. *Marbachium*. p. 21. l. 22. *quorum* vix. p. 24. l. 3. *regnantes*. l. 18. *Graeceque*. p. 25. l. 10. *ad* Gleditſchium. l. 14. *ſumtibus*. l. 15. *in* plurimas. l. 16. del. *in*. l. 20. *ætate*. p. 26. l. 11. pro *ſeptem*, lege, *ſegetem*. p. 27. l. 17. & ſeqq. pag. *Mettaire*. p. 28. l. 18. *poſſint*. p. 30. l. 2. *impoſterum*. p. 32. l. 15. *Princìpes*. p. 36. l. 9. quod *ad*. ib. *pauciora*, pro, *ranciora*. p. 42. l. 23. *Magiſtratuum* p. 45. l. 6. *Giſſenſium*. l. 20. *Veneto*. p. 47. l. 4. aliisque in locis, *Gravio*. l. 11. *potuiſſe*. p. 49. l. 6. 11. l. 17. *relinquendum*. p. 50. l. 5. *ſimus*. & ult. *ſirendi*. p. 52. l. 6. *Mediceo*. p. 54. l. 3. *eum*. p. 56. l. 21. *ob id laudari* potuerit. p. 60. lin. pen. *eum*. p. 61. l. 9. locisque aliis, *Amerb*. p. 63. lin. antep. nempe *fama*. p. 66. l. 12. *Purpuratus*. p. 68. l. 19. *Typographos*. p. 69. l. antep. *prater*. p. 70. l. 7. *ſedem*. p. 71. l. 3. & l. 12. *lineamenus*. p. 72. l. 4. dele *quondam*. p. 73. l. 7. placide *emigravit*. p. 76 l. 12. *edocturus*. p. 77. l. 20. *cum* notis. p. 79. l. 11. *nominis*. p. 80. l. 8. *experietur*. l. 10. *eum*. l. 15. & *tanto*. pag. 85. l. 8. *vacavit*. l. 9. *qua*. l. 21. *plurima qua*. pag. 87. lin. 13. *morari*. pag. 88. lin. 4. *editioni*. l. 16. *ſubſidium*. p. 89. l. 11. *acceſſitus*. p. 90. l. 1.

ita *ut*. l. 3. *Facta*. l. 10. *docti*. p. 91. l. antep. *magnamque*. p. 92. l. 17. novem *annos*. p. 98. l. 17. *processisse*. p. 99. l. 9. *Typographus*. l. 11. *libros*. l. 14. *Piniferi*. l. 18. *cujus*. p. 102. l. 10. *profecit*. l. 19. *Vstam* Bratii. p. 103. l. 3. *praepositus*. l. 4. *Cotonensis*. p. 104. l. 19. *Chevilerius*. p. 105. l. 20. *miracula*. p. 106. l. 21. *Chevisburium*. p. 107. l. 18. *Baronii*. l. 20. *Perionio*. p. 108. l. 9. *denuo*. p. 109. l. 9. *iidemque*. l. 13. *inficiari*. l. 23. *at*. p. 110. l. 2. *primam*. l. 20. *Kortholdi*. l. 21. *Anti-Baronianas*. p. 111. l. 8. *Caille*. l. 10. *Teisserius*. p. 112. l. 13. *collocutus*. l. 14. *in* animum. Sup. p. 113. l. 8. *demonstrarit*. l. 10. *omnibus* modis. p. 114. l. 12. *Francisci*. l. 16. *dederit*. p. 115. l. 17. *quadam*. p. 116. l. 14. *Francisco*. p. 117. l. 16. *Posnaniam*. p. 121. l. 23. pro *tamen*, lege, *tractat*. p. 122. l. 1. *Lectori*. l. 6. Oestreicher. p. 123. l. 12. *laboriosissimus*. pag. 124. l. 10. *reponebat*. pag. 126. l. 9. *incunabulis*. pag. 127. l. 17. *nubecula*. l. 23. *Tindallus*. pag. 128. lin. 10. & 22. *Tindallus*. lin. pen. *Matthai*. pag. 130. l. 2. *Wittingham*. p. 131. l. 17. *abierit*. p. 134. l. 17. *Granvellanus*. p. 136. l. 7. *in* Historia. l. 15. *Sunt vero*. p. 138. l. 13. *munus*. p. 140. l. 1. *refellitur*. l. 21. *Mosis*. p. 141. l. 7. *properanti*. l. 8. *occurrit*. l. 13. 1586. p. 143. l. 20. *inclinans*. p. 144. l. 8. *eum*. p. 146. l. 18. A. 1657. p. 147. l. 12. *Papissa*. p. 150. l. 5. *subsidiorum* raritate. lin. antep. *adhuc* dum. p. 151. l. 6. *Typograph*. p. 153. l. 6. *adspirante*. l. 16. *Ascetica*. lin. pen. Oracion *y*. p. 154. l. 5. exiguam *fore*. l. 13. *Chalcondylas*. l. 18. *solum*. p. 157. l. 1. *verum*. p. 158. l. 5. *Meinunga*. p. 160. l. 12. *Historiarum*. l. 17. *eum*. l. ult. *quanta* deleatur. p. 161. l. 5. gratiam. l. 11. *amisit*. ead. *beneficio*. p. 162. l. 1. *Typographia*. l. 23. *Biographis*. p. 164. l. 15. *continuatione*. p. 166. l. 6. *nullis*. p. 169. l. 1. *repetiit*. l. 7. *ov*. l. 23. pro *exercuerat*, lege, *exigerat*. p. 170. l. 8. *Bonif*. l. 13. *quantam*. p. 173. l. 2. *Mallinkrot*. p. 174. l. 1. *incuria*. p. 175. l. 11. *Gallicum*. l. 18. *quis* poterit. l. 22. *Long*. l. 25. P. l. p. 178. l. 14. circumspectionem. l. 21. ejus *ex*. p. 180. l. 7. *Sandii*. lin. antep. *Gissa*. p. 181. l. 21.

l. 21. *Giſſenſi.* p. 182. l. 18. *easque.* p. 183. l. 11. *Anti-Gocl.* l. 19. Uhſe. p. 634. p. 186. l. 16. Matth. *Judicis.* p. 187. l. 5. *rectius.* l. 18. *eo excrevit.* p. 188. l. 19. *multi.* p. 189. l. 7. *Diſſenſionibus.* l. 12. ſuperſedere *vole.* l. 17. *Goularziana.* p. 190. lin. ult. *altiora.* p. 191. l. 7. *interea.* p. 192. l. 10. *Francofurtano.* l. 13. Heidfeldii *Sphingem.* p. 193. l. 9. *Adde* M. pag. 196. l. 22. *Adhac.* pag. 198. l. 23. & *ad tumulum.* pag. 201. l. 19. *haut* raro. pag. 204. l. 12. *dicterium.* p. 208. l. 14. *addictus.* l. 17. *Baſilea.* p. 212. l. 2. *συγχρόνως.* p. 213. l. 19. *præmittendo.* lin. pen. *Norico.* p. 214. l. 3. *immoriendo.* p. 215. l. 23. *annotatu.* p. 218. l. 8. *ad* me. l. 9. πολιτεύειν. p. 219. l. 3. κιγλίζειν. p. 221. l. 8. *penitius.* p. 222. l. 8. *præ.* l. 10. *iſthoc.* p. 223. l. 23. *ſupellectili.* p. 224. l. 14. *conatus* eſt. l. 21. *obſtat.* p. 228. l. 11. *Origenis.* p 230. lin. antep. *muneri.* p. 231. l. 4. *juvandi.* p. 232. l. 11. verba: *ad corrigendum*, deleantur. l. pen. *Hoc ei impertiit.* p. 233. l. 5. *multifariam.* l. 16. *eum.* lin. ult. *illic.* pag. 234. l. 20. *Seculi.* p. 235 l. 1. *laboraret.* l. 11. *Mallinkrotius.* l. 13. *Typographica.* p. 236. l. 2. *reus.* l. 20. *Anabaptiſtarum.* p. 237. l. 7. *Tzetzis.* p. 238. l. pen. laurea*que.* p. 239. l. 10. *ibidemque.* l. 16. pro, *factum*, curavit p. 241. l. 1. *Mallinkrot.* l. 7. *dictorum.* l. 8. *Svveertius.* l. 21. *ſola fide.* l. 22. *fonte communi.* l. 23. *me nisi.* hac. p. 243. l. 16. pro *uni*, legi, *cui.* p. 245. l. 9. *ſupellectili* l. 10. *acquiſita.* p. 246. l. 1. *totum.* l. 5. *exarata*, pro *exaſſe.* p. 247. l. 4. in *hac.* p. 248. l. 5. *fatebuntur.* l. 13. *Vir*, pro, *Vos.* l. 23. An. 1566. l. pen. 1544. p. 250. l. 14. dediſſe *ſe.* l. 23. *celebratiſſimis.* p. 252. l. 19. *Marte.* l. 25. *Rycquius.* l. 26. *inſcripto.* p. 253. l. 5. *quis.* lin. 18. *ſidus.* pag. 255. l. 5. tum. pag. 256. l. 22. *Honeſtiſſime.* pag. 257. lin. 9. *Hagenoënſi.* lin. 13. *evulgato.* pag. 260. l. 12. *Typographis.* pag. 263. l. 9. *Schefferum.* l. 21. *militantis.* p. 264. l. 12. *compareo.* p. 266. l. 14. *ea.* l. 20. pro *vix*, lege, *ad.* p. 269. l. 3. *obeſt.* p. 270. l. 12. haud raro *ab iis, qui.* l. 14. *ſed ita*, ut de. p. 272. l. pen-ult. *Typographica.* p. 278. l. 4. pro *ſcitis*, lege, *ſortis.* p. 282.

l. 18. *desumtas*, l. 21. *Mutinensem*, l. 24 Targum. p. 286. l. 13. *partas*, l. 14. *dilapsas*. p. 287. l. 11. *conventu*, l. antep. *ex positu*. p. 288. l. 13. *Discorso*. l. 14. *del.* Petrarca. p. 290. l. 11. *sint* ap. l. 20. *praclaris*. 5. pro, addit, ostendit. p. 296. l. 1. *qui*, l. 12. *data in*. p. 297. l. 10. *Hemsterhusio*. p. 300. l. 3. *agitque*, lin. pen. ea *à*. p. 301. l. 6. *Cominæi*. l. 17. *ἀποσπασμάτιον*. p. 302. l. 5. *hunc*, l. 15. *patris* Ludi. p. 304. l. 3. sensit. p. 305. l. penult. *progrediar*. p. 307. l. 20. *quam*. l. 21. *relata*. p. 308. l. 2. *ignominiam*. l. 4. *metiri*. l. 9. pro *infer*. lege, *super*. l. 21. *exercitationis*. p. 312. l. 2. *Cantabrigiensis*. l. ult. *referre*, pro, *referendum*. p. 313. l. 1. *Neocarus*. p. 315. l. 13 *pratereo*. l. 16. *Diatriben*. p. 316. l. 16. in 8. p. 320. l. 9. *Suppl.* T. II. p. 323. l. 1. *Arti Typographica*. p. 322. l. 18. Oxonienſis. p. 324. l. 5. *eſurivitque*. l. 6. *quaque*. l. 17. *gratiſſimus*. l. 22. *Brisgoia*. p. 326. l. 20. *celſi*. p. 327. l. 13. *Patri* nunc. p. 328. l. 6. *Qua tenera*. l. 20. *ſtudio*. p. 331. l. 16. 1596. p. 333. lin. penult. *habuit*. p. 334. l. 5. *Demoſthenis*. p. 335. l. 14. *ipſa*. p. 340. l. 20. *mœrore* inde *contracto*. p. 341. l. 9. *ad* doctrinam. l. 16. proferendo *eadem*. l. 23. *faciam*. pag. 342. lin. 19. *tam*, pro, *tanta*. lin. ult. deleas 4. pag. 344. lin. antep. *Joh.* Gabriel *Major*. p. 346. l. 15. deleas *inter*. p. 348. l. 1. *ignaro* rei. p. 352. l. 14. *quor*. l. 18. lege, Hinc Vögelianam omnibus anteferendam. l. 20. *Ipſam* v. Philippi *deſcriptionem*. p. 354. l. 20. *occurrentia*. p. 355. l. 9. ſibi per. l. 21. deleas *in* p. 356. l. 5. *Hylas*. l. 8. *circumferuntur omnia*. l. 9. pro autem, lege *ad*. p. 357. lin. penult. *nec raro prodigus*. p. 358. l. 1. pro *minus*, *nimis*. l. 2. negotio nimis. p. 359. l. 2. ſuas terras. l. 5. *Mauritius Hellingius* l. 7. *Laurentius*. l. 11. *poſtea*. p. 360. l. 3. pro *de*, lege, *&* l. 9. dele *diebus*, & lege, *Climacterico anno*. p. 361. l. 11. *pra multis*. l. 16. *collocanda*. p. 362. l. 7. pro, *nomina*. lege *inter*. l. 12. pro, *quo is*, vulgus. p. 363. l. 12. patribus. l. 22. *Typographica*. p. 364. l. 9. *adduxit*. l. 19. excuderet, emitteret. p. 367. l. 19. tum, pro, *dam*. l. 23. pro *amiſſis*, *privatus*. p. 369. l. 4. *S.* Audomari.

l. 10.

l. 10. 1597. l. 13. *in B.* p. 370. l. 6. *Melanchthon.* l. 13. *pietati.* p. 374. l. 8. *poſcente.* l. 10. ut diu noctuque laborandum eſſet. lin. 17. *repurgandisque cum.* lin. 18. *multumque.* l. 20. *eadem* fide. p. 375. l. 3. *Ea.* l. 4. *expectata.* l. 6. *halitum.* p. 376. l. 11. Chryſoloras. l. 12. *Argyropylus.* p. 377. l. 5. *allici.* l. 10. per *totum.* p. 380. l. 3. *Regium.* l. 18. *ulli.* p. 381. l. 14. *Malarizianum.* p. 382. l. 3. *rei.* p. 383. l. 12. *Muſure*, *ô.* p. 384. l. pen. *Sadeelis.* p. 387. l. 11. *Zwinglium.* p. 389. l. 22. *neque.* p. 390. l. 16. diſcipulus *fieri.* l. ult. eam tractandam. p. 392. l. 3. *intentus.* lin. 4. *nulla.* pag. 393. lin. 10. *convolarent.* l. 14. non potuit aliter fieri. p. 394. l. 5. appellare *eum.* p. 400. l. 5. *ut* paſſim. pag. 403. l. 19. *prioribus.* p. 407. lin. pen. pro, *fata*, *vita.* p. 408. pro, *idque*, *unde.* pag. 411. l. 17. publice *hac*, pag. 412. l. 5. *ſatis* laudibus. l 13. *Patinus.* l. antep. *cœpto.* pag. 414. l. 23. *propter.* pag. 415. lin. 7. del. *& gravi-fuiſſe.* lin. 16. *dicere* con. pag. 416. l. 21. *adſpiravit.* pag. 418. l. 5. *expetitus.* p. 422 l. 7. exhibendorum. p. 424. l. 19. deleas verba: *recenſendis hujus in modi laboribus.* p. 425. l. 14. *cœnobium.* p. 428. l. 5. *abnuerent.* l. 11. *defenſo.* l. 18. *Abbatia.* p. 431. l. 11. deleas, *verba.* p. 435. l. 9. *Venerabili.* p. 436. l. 9. pro, *illam*, l quam. p. 439. l. 7. de *Friderico.* p. 444. l. 12. deleas *ut.* p. 445. lin. pen. *idque.* p. 446. lin. antep. *Lucanus.* p. 448. l. 10. *Jungermannorum.* p. 449. l 5. *qui* loco. p. 454. l. 21. *fatis.* p. 458. l. 10. *Hervag.* p. 459. l. 6. *adverſam.* p. 461. l. 20. *ferre.* l. ult. *Esdra.* p. 465. l. 9. *à* mendis. p. 466. l. 2. *pariter ſua.* l. 6. quæ *excudebantur.* p. 469. l. 20. *audit &.* p. 473. l. 19. *imbutus.* p. 476. l antep. *operum.* p. 479. l. 1. *conjungantur.* p. 482. l. 8. qui *cum.* p. 484. l. 2. *commentitium.* p. 486. l. 1. *in ea.* p. 491. l. pen. *qua variis in.* p. 496. l. 1. ſufficit *inter.* p. 502. l. penult. *certe.* p. 507. l. 21. in B. *Georg.* Arnoldi. p. 512. l. antep. in iis *incremento.* p. 518. l. 17. J. H. p. 536. l. 9. *in* quorum. p. 556. l. 7. 1629 p. 560. l. 18. ea *non.* p. 568. l. 20. *&* Viri. p. 569. l. 8. *Georg.* Philippum. p. 573. l. 7. inter prim.

Bericht
an den Buch-Binder.

Derselbe beliebe auf alles fleissig Achtung zu geben / insonderheit aber auf Pag. 11. und 12. ingleichen Pag. 81. 82. 83. 84. und so weiter / damit kein Fehler vorgehe.

ſummi autoritate, nummisque munita, nonniſi egregia proferebat. Florentiis artem hanc, præter alios, exercuerunt Juntæ, quorum nomen & codices Clariſſimum olim Germanorum in Belgio decus, *Grævius*, ita quidem amavit, ut, cum Scriptores ſuos ederet Latinos, Claſſicos vocant, Juntarum, ubi potuit, editiones inprimis conſuluerit. Ex Italia feliciſſima, amœniſſimaque Europæ Provincia in Galliam migranti offerunt ſe certatim viri Eruditiſſimi, quibus vix hodie pares vivunt. Quosdam horum & celebriores nominabo, ceteris omiſſis. Quis enim eſt, cui *Stephanorum* nomen notum non ſit. Ecce, benevole Lector, Genealogicam Tabulam familiæ Stephanicæ celebratiſſimæ, in qua


Henricus I.
Robertus I.
Franciſcus I.
Carolus Doct. Med. Typ. Reg.
Henricus II.
Robertus II.
Franciſcus II.
Catharina.
Paulus.
Dionyſia.
Florentia. If. Caſauboni uxor.
Robertus III.
Henricus, Aulicus Regius.
Nicolaina, Joh. Libaut Med. D. uxor.
Antonius, Joſephus Typ. R. Catholicus.
Johannes, Mericus.
Robertus IV. Advoc. Parlam.
Henricus, Sieur des Foſſez.

9-11-26

611

5-11-26

00562673